PERIODICA

DE RE

MORALI, CANONICA, LITURGICA

TOMUS VICESIMUS ALTER

(VII. novae seriei)



BRUGIS
SUMPTIBUS BEYAERT
Via Notre-Dame

ROMAE 1
UNIVERSITÀ GREGORIANA
Piazza della Pilotta

1933

16766

v. 22

IMPRIMATUR

P. Raphael Bitetti, S. I.
Praep. Prov. Rom.

IMPRIMATUR

Sorae, die 29 Dec. 1933.

† Augustinus Mancinelli
Episcopus Aquinatens., Soran. et Pontiscurvi

SOC. TIP. A. MACIOCE & PISANI — ISOLA DEL LIRI

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

Amoris et curae in pauperes in primis Ecclesiae saeculis selecta aliquot testimonia.

N. B. *Quia cum in re morali, tum in re sociali primae deferendae sunt caritati, placuit hunc novum tomum ab antiqua beneficae caritatis commendatione exordiri.*

De caritatis exercitatione in primitiva Ecclesia multa satis, eaque optima, scripta sunt, quae hoc loco retractare et inutile fortasse, et, certe, pro spatii brevitate, ieiunum esse videretur.

Id igitur consilii est, ut, quantum per angustias concisae lucubrationis licebit, documenta quae aut minus trita sunt aut, quae in multis aut in magnis voluminibus sparsa, ad manus facile haberi non possunt, in unum colligam. Sed ne testimoniorum tractatio sit acervo potius quam ordinatae seriei similior, allegabo primum quae magis generalia sunt de caritate in proximos, deinde ea quae ad modum exercendae caritatis pertinent. Novi equidem in multis testimoniis multa haberi promiscua, quae in varias partes trahi possunt: quodsi minutatim, quasi per particulas, hic duo verba, illic quattuor, allegantur, ita discerpuntur, ut nihil sapiant. Id ego sic vitare studebo, ut lector, hoc consilium prae oculis habens, indulgentior sit.

I.

De beneficentiae commendatione et pretio.

a) *Beneficentiae causa et stimulus.*

Cum caritatis in Nova Lege radix illa sit, quod eam Christus Dominus ut *suum* et *novum* praeceptum, ut discipulorum suorum tesseram, ut Evangelii totius summam et apicem proposuerit, non mirum videri debet quod ita evolvi coepta sit, ut brevi in arborem trunco et ramis perfectam et fructibus uberrimam increverit.

Et primum quidem, quasi ad sanctificandam suo contactu eleemosynam, ipse cum Apostolis caritatis subsidio sustentari voluit.

Certe, Christum et Apostolos sustentare maioris felicitatis fuit, cuius maxime participes fuerunt sanctae illae feminae, quae *(Luc. 8, 2. 3)* post duodecim Apostolos enumerantur, et ab antiqua servitute redemptae, sancta quadam in novo regno civitate donatae, Dominum sequuntur, eique de suis facultatibus ministrantes, primae evangelicae praedicationis consortes reputari possunt. Hoc inquam, maioris felicitatis, sed non eo solo maioris meriti, quod ne credamus a Domino ipso cautum est: « *Quod uni ex his minimis fecistis Mihi fecistis* ».

Ecce maximus in Ecclesia caritatis stimulus: Christus personam pauperis, quicumque ille sit, suscipit.

Perpetuus pauperum advocatus fuit CHRYSOSTOMUS. Liceat inter innumera alia hoc fragmentum excerpere, in quo, revocata in memoriam fidelium evangelica sententia, non quis sit pauper, sed cuius vices gerat attendendum esse docet (in Acta, Hom. 44 MPG. 60, 318).

« Dicet fortasse vestrum quispiam: Si quis mihi Paulum hospitio excipiendum offerret, id prompte et alacriter facerem. Ecce, Pauli Dominum tibi hospitio excipere licet, et non vis! Nam ait: *Qui suscipit unum ex his minimis, Me suscipit* (Mt. 18, 5; Lc. 9, 48). Quanto minor est frater, tanto magis Christus per ipsum advenit. Nam qui magnum quempiam excipit, per vanam saepe gloriam id agit: qui vero parvum, pure propter Christum. Licet tibi etiam Patrem Christi excipere, et non vis! Nam ait! *Hospes eram et collegistis Me;* et iterum: *In quantum fecistis uni ex his minimis, Mihi fecistis* (Mt. 25, 35. 40). Etsi Paulus non sit, si fidelis sit et frater, etiamsi minimus, Christus tamen per illum advenit. Aperi domum, excipe. *Qui recipit prophetam*, inquit, *mercedem prophetae* recipiet (Mt. 10, 41). Ergo qui recipit Christum, recipiet mercedem Christi peregrinantis.

« Ne fidem neges verbis eius, sed esto confidens. Ipse dixit: Per illos Ego advenio.... Suscepisti Me, inquit, in diversorio tuo; suscipiam te in regno Patris mei. Solvisti Mihi famem; solvam tibi peccata. Vidisti Me vinctum; videri te faciam solutum. Vidisti Me peregrinum; faciam te civem caelorum. Dedisti Mihi panem; do tibi regnum totum, ut illud haeres accipias et possideas. Ait enim: *Venite, possidete paratum vobis regnum* (Mt. 25, 34). Non dicit Accipite, sed (haereditate) *possidete* (κληρονομήσατε): quod dicitur de his qui vere (ut domini) possident, ut cum dicimus: Hoc haereditate possedi. Fecisti Mihi in occulto; Ego praedicabo in manifesto: et tua quidem dico, quia gratiae erant; mea vero debiti sunt. Quia enim tu coepisti, inquit, Ego sequar: non pudet Me fateri collata Mihi beneficia, nec a quibus Me liberaveris, a fame, nuditate, errore (sc. viarum). Vidisti Me ligatum; non videbis gehennae ignem. Vidisti Me infirmum; non videbis tormenta nec supplicia. O manus vere benedictae, quae talibus ministeriis serviunt, quae dignantur ministrare Christo! Pedes in carceres euntes propter Christum, facile contemnunt ignem; vincula non experiuntur manus, quae ligatum Illum viderunt. Induisti veste; et indueris veste salutari. Fuisti cum Illo in carcere; et in regno cum Illo eris. Haec confitetur non erubescens, sed sciens te Illum invisisse ».

Iam nunc singulari attentione dignum videri debet, quemadmodum variis de causis *eleemosyna sacra* et ipsa virginitate, si haec sola sit, praestantior reputetur, et *pauperes* ipsi, et *ministerium* distribuendae caritatis, eiusque *ministri res sacra* habeantur.

b) *Eleemosyna* **sacra**: *sola virginitate praestantior.*

Nescio an sine commotione animi legi possint quae Paulus ad Philippenses de pecunia ad se missa scribit, ubi eleemosynam ipsam, post magnam eorum laudem, « odorem suavitatis, hostiam acceptam, placentem Deo » appellare non dubitat (*Philipp.* 4, 18).

Qua de re eleganter ESTIUS :

« Vocat autem Apostolus, inquit, munera Philippensium ad se missa, *odorem suavitatis*, vel, ut alii propius e graeco vertunt, *odorem bonae fragrantiae*, phrasi hebraica : id est, odorem suavissimum seu fragrantissimum : quod instar huiusmodi odoris aut sibi, aut potius Deo grata essent. Alludit ad id quod apud Mosen passim de sacrificiis legitur, ea *Deo accepta esse in odorem suavitatis.* Vocat eadem munera *hostiam acceptam, placentem Deo :* vel, ut in graeco, *beneplacitam Deo ;* non quod propriam habeant rationem sacrificii Deo oblati : sed quod Deo accepta placitaque essent, perinde atque si sacrificium ad eius honorem oblatum fuisset. Etenim omne bonum opus factum eo fine, ut sancta societate Deo inhaereatur, tamquam summo ac beatifico bono, generali ratione sacrificium est, teste Augustino lib. 10 de civit. cap. 6. Quo in genere Scriptura numerat imprimis opera beneficentiae erga proximos. Unde est illud Hebr. 13. *Beneficentiae et communionis nolite oblivisci : talibus enim hostiis promeretur Deus.* Nec obstat, quod Apostolus non oblationem munerum, sed ipsa munera memoratis epithetis exornat, dicens : *Quae misistis, odorem suavitatis, hostiam acceptam* etc. Sic enim vocantur, non secundum se considerata, sed relata ad animum seu voluntatem, a qua proficiscebantur » (ESTIUS, in omnes Pauli epist. Comment. Philipp. 4, 18).

Brevissime autem Chrysost. « Quae misistis, odorem suavitatis, hostiam acceptabilem, placentem Deo ». Papae! quo istorum munus evexit! Non ego, inquit, accepi, sed Deus per me. Quamobrem, etiamsi non egeam, non hoc tamen spectate : nam neque Deus egebat, et tamen accepit : adeo ut divina Scriptura non reformidarit dicere, *Odoratus est Dominus in odorem suavitatis* (Gen. 8, 2), quod sane laetantis est. Nostis enim, nostis, quantum ex odoris suavitate afficiatur anima nostra, quantum iucunditatis et voluptatis capiat. Non ergo recusavit Scriptura verbum adeo humanum atque humile Deo tribuere ; ut ho-

minibus ostenderet accepta ipsorum dona fuisse: non enim nidor neque fumus accepta faciebat, sed animus qui offerebat ». In ep. ad Philipp. hom. 15 n. 3. M. PG. 62 col. 292.

Multa possent in eumdem sensum colligi, unde satis patet ipsa quoque pauperibus et apostolicis ministris e corrogata stipe collata munera appellari *sacra,* « quasi deposita pietatis » (Tertull. Apol. 39), immo sacrificia, Deo ipsi in odorem suavitatis oblata.

Huc accedit, quod primis illis temporibus oblationes fidelium tum quia per diaconos, et altaris et pauperum mensae addictos, distribui, tum quia sacri officii tempore colligi solebant, *cum sacrificio eucharistico* maximum vinculum haberent.

Eleemosynam vero (quam vocem graecam non abstracte, sed concrete de ipsis caritatis operibus tam ad corpus quam etiam ad spiritum pertinentibus intellexerunt) ipsi *virginitati* (1) esse praeponendam passim Patres docuerunt. Et quia sic accepta verae sinceraeque caritatis pignus est et manifestatio, non immerito caritatis ipsius laudem summam nanciscitur, ut apud sanctum ROMANUM, MELODUM, in contacio *De decem virginibus,* tropario 6:

« Qui statuit omnium virtutum optimam esse eleemosynam, misericors ipse id hominibus tradidit » (PITRA, *Analecta sacra, Spicil. Solesm.* t. 1 p. 79). Et 9: « Vincit omnes virtutes eleemosyna coniuncta fidei, ac bona cuncta, regis instar, transgreditur (2); aethera scindit, ultra lunam et solem transilit, inoffenso pede ipsum penetrat caelestem aditum, neque huc usque sistitur, quin et permeat ad angelos, excurritque ad choros

(1) Quod *praecisive,* ut aiunt, intelligendum est, virginitati sine bonis operibus, lampadi per breve tempus lucenti sine caritatis oleo, virginitati, inquam, sic acceptae.

(2) Alia lectione: et vere omnibus splendidior virtutibus apud Deum praesidet. « Non novi (inquit Sponsus) eos qui ieiunium servant, *μετὰ ἀσπλαγχνίας* immisericordes; sed recipio potius eos qui cibo utuntur *μετὰ εὐσπλαγχνίας* misericordes: virgines vero odi quae sunt *inhumanae ὄντας ἀπανθρώπους;* honore autem afficio *humanas φιλανθρώπους* misericordes, etiam nuptas. In eodem Carmine ed. Camelli, tropario 24.

archangelorum; iam vero Regis ante thronum consistit, [et non discedit donec Altissimus] tribuerit omnibus eum invocantibus immortalem coronam ».

c) *Res sacra pauperes.*

Ex qua Christi caritatis luce omnia pervadente factum est in primaeva Ecclesia, ut pauperes, egeni, hospites, viduae et virgines auxilio destitutae, ut quae Christi ipsius personam gererent, quasi res sacra et Ecclesiae ornamentum, maxime in honore haberentur.

Ut STEPHANUS Hierosolymis, sic Romae LAURENTIUS, Ecclesiae diaconus, pauperibus providebat, quos quanti faceret, sic describit PRUDENTIUS (Prudentius, hymn. II Peristeph. Passio Laurentii sanctissimi Martyris).

v. 140 « Tribus per urbem cursitat
Diebus, infirma agmina
Omnesque qui poscunt stipem
Cogens in unum et congregans.

***

v. 169 Tum martyr: Adsistas velim
Coramque dispôstas opes
Mirere, quas noster Deus
Praedives in sanctis habet...

***

v. 297 Nunc addo gemmas nobiles,
Ne pauperem Christum putes:
Gemmas corusci luminis,
Ornatur hoc templum quibus.

Cernis sacratas virgines,
Mireris intactas anus,
Primique post damnum tori
Ignis secundi nescias.

Hoc est monile Ecclesiae;
His illa gemmis comitur;
Dotata sic Christo placet;
Sic ornat altum verticem ».

d) *Eleemosynae praemium.*

Eos autem vel viros, vel feminas qui in haec opera incumbunt participes esse laboris apostolici, tum ex verbis Christi Domini, tum etiam ex ingeminatis eiusdem Pauli sententiis constat.

« Evodiam, rogo, et Syntychen deprecor idipsum sapere in Domino: etiam rogo et te, germane compar, adiuva illas quae mecum laboraverunt in Evangelio, cum Clemente et ceteris adiutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitae » (Philipp. 4, 2. 3). Quem in locum haec CHRYSOSTOMUS: « *Mecum laboraverunt*. Quid ais? mulieres tecum laboraverunt? Nae, inquit. Non parum et illae contulerunt: quamvis enim multi essent, qui Paulo auxiliarentur, tamen inter multos et istae suas in agendo partes praestabant. Non parum igitur tunc Ecclesiae augebantur... etenim primum quidem caeteri ad parem zelum adducebantur etc. Propterea ubique vides id curantem Paulum ac tales homines commendantem ». Eleemosynae quoque deferendae legatum, Epaphroditum, idem S. Paulus summa commendatione *λειτουργὸν τῆς χρείας μου* ut publico munere rei sacrae destinatum ministrum extollit (Philipp. 2, 25). In ep. ad Philipp. hom. 13, n. 3. M. PG. 62 col. 280.

Audivimus nuper CHRYSOSTOMUM exponentem illud: *Qui suscipit unum ex his minimis, Me suscipit.* Iisdem fere laudibus beneficentiae opera in pauperes, eodemque proposito praemio, quod omnium maximum est, prosequitur magnum illud Syriacae Ecclesiae lumen, S. EPHRAEM (serm. de admonitione et poenitentia n. 16. 17. *Lamy* S. Ephr. Hymn. et serm. t. I col. 300-302):

« Ama paupertatem, dilige inopiam; si in utroque profueris, haereditatem habebis in caelo. Ne despicias vocem pauperis, nec causa sis ut tibi maledicat. Quodsi maledicat ille cuius amarum est palatium (*Eccli.* 7, 14), scilicet vir egens, audit Dominus precem eius.

Si sordidae sunt vestes eius, lava eas aquis quae gratis emuntur. Ingrediturne pauper in domum tuam? ingreditur cum eo Dominus et in habitaculo tuo commoratur. Recreastine eum

a perpessionibus suis? a perpessionibus liberabit te Dominus. Lavastine pedes peregrinorum? sordes abluisti peccatorum tuorum. Mensamne coram paupere parasti? respice Deum Patrem per ipsum manducantem et Christum per ipsum bibentem et Spiritum Sanctum per ipsum se reficientem. Satiatusne est pauper de mensa tua et refocillatus? refecisti Christum Dominum tuum, erit merces tua coram angelis et hominibus, confitebitur quod refecisti famem eius et gratias tibi habebit quod satiaveris et sedaveris sitim eius.

O quam misericors est Dominus! O incommensurabiles misericordiae eius! Beatum mortalium genus, cui testimonium reddet ipse Deus! »

e) *Ministerium distribuendi eleemosynas sacrum.*

Nec mirum videri debet iam ab ineunte Ecclesia hoc ministerium ita sacrum esse reputatum, ut ab ipsis Apostolis primum exerceretur, et paulo post, ne Apostoli cum praedicationis iactura nimis occuparentur, Ecclesiae nomine et instituto singulares personae deputatae sint, quae etiam a ministerio ducto nomine *diaconi* sunt appellati: non quod diaconi hoc solum haberent muneris, sed quod huic etiam summo cum studio se dederent. Cfr. Act. Ap. c. 6 et v. 2.

Rem innuisse sufficiat, cum eorum ministerium propter manuum impositionem proxime ad sacerdotium accederet et non solum profanae mensae, sed eucharisticae etiam ex officio institutoque assisterent et sacrum panem eucharisticum distribuerent. Pulcherrime utrumque complexus est PRUDENTIUS (in hymn. II Peristeph.) de S. Laurentio archidiacono S. Sixti Romani Pontificis: v. 37 sqq.

« Hic primus e septem viris
Qui stant ad aram proximi,
Levita sublimis gradu,
Et ceteris praestantior,
Claustris sacrorum praeerat,
Caelestis arcanum domus
Fidis gubernans clavibus
Votasque dispensans opes ».

« Quod vero de mensarum tantum ministerio meminit Lucas, ea ratio est, quia communes mensae primis Ecclesiae temporibus cum sacra coniungebantur, bonorum autem Ecclesiae administratio cum ad diaconos pertineret, ut multis probat Baronius, Bellarminus lib. 1. de clericis, c. 13, cum iam usus adesset diaconici muneris, occasio illa fuit, ut tunc constituerentur diaconi, qui et illa obirent profana munera, et sacra suo tempore peragerent. Adde quod, cum a fidelibus oblata bona quodam modo essent iam sublimioris ordinis, et ut ita dicam ecclesiastici, a sacris et ecclesiasticis viris tractari debuerunt ». (Gasp. SANCTII comm. in Act. 6, 8).

Notum est etiam huic ministerio deditas fuisse initio quidem *viduas,* deinde cum viduis *diaconissas,* de quibus superfluum est hoc loco disserere.

f) *Avaritia ut maxima pestis vituperata.*

Ab allegandis testimoniis ex SS. Paulo, Petro, Ioanne, Iacobo Apostolis abstineo, quia notissima esse debent et prae manibus habentur.

Praeter Patres apostolicos, eloquentissimi qui eis successerunt Patres hunc caritatis ignem assiduis exhortationibus ita foverunt, ut in tanta segete paucis ad exemplum manipulis contenti esse cogamur. Notum est quam acriter S. BASILIUS vel umbram ipsam avaritiae carpat, ut eius in hac re doctrina temperamento indigeat.

« Audite, divites, quale pauperibus demus consilium ob vestram inhumanitatem, nempe, ut gravissima quaeque constanter ferant potius, quam calamitates ex fenore provenientes perpetiantur. Morem si Domino gereretis, quid his verbis esset opus? Nam ait: *Mutuum date iis a quibus non speratis recepturos vos esse* (Lc. 6, 35). Cum enim pauperi Domini gratia dederis; idem et donum est et foenus. Domum quidem, quod recepturum te nihil esse speras: foenus vero, ob Domini pro inope persolventis munificentiam, qui, paucis per pauperem acceptis, ma-

gna eorum loco redditurus est » (S. Basil. serm. 4 de eleemos. MG. 36, 1162-3).

« Quando in domum inepti viri ingredior, videoque ipsam omnimodis renidentem ornamentis, intelligo eum nihil iis quae videntur pretiosius possidere, sed ornare diligenter inanimata, animam vero incultam relinquere. Quamquam innumeri stant pro foribus pauperes nullam non emittentes vocem miserabilem; negat ille se daturum, seque ait sufficere non posse rogantibus. Et lingua quidem eiurat non posse, sed a manu arguitur. Illa enim silet quidem, sed mendacium praedicat, annuli pala coruscans. O infelix atque miser, quot potest unus tuus annulus aere alieno liberare! quot domos corruentes erigere! Arca tua vestiaria vel unica potest totum populum frigore rigentem amicere. Et tamen sustines pauperem non donatum dimittere, iustam iudicis vindictam non reformidans! Non misertus es: non consequere misericordiam. Non aperuisti domum: a regno excluderis. Panem non dedisti: non accipies vitam aeternam.

— Sed pauperem dicis teipsum. — Et ego assentior; pauper enim est qui multis indiget! Vos autem insatiabilis cupiditas multorum indigos efficit. Talentis decem, decem alia adiicere conamini; viginti coactis, totidem quaeritis, neque appetentiam sistet quod semper additur, immo accendit appetitum. Quemadmodum enim ebriis vini accessio bibendi fit occasio: sic etiam recens ditati ubi multa acquisierint, plura concupiscunt, semper addendo morbum nutrientes.. » *De avaritia*, serm. VI. MG. 32, 1182.

g) *Publica pro pauperibus et miseris oratio*

Demum, orationis Ecclesiae pro pauperibus, qui vicissim pro divitibus rogare solebant, hoc testimonium ex liturgia S. Gregorii Alexandrina eligendum videtur:

« Kyrie eleison. Concede... aegrotantibus salutem, indigentibus refrigerium, iis qui in exiliis sunt quietem, orphanis auxilium, viduis protectionem, angustiatis subministra quantum opus est ut bene sint » (MG. 36,718). « Da... divitibus bonitatem, indigentibus adiutorium, pauperibus auxilium... (ibid. c. 714) ».

h) *Beneficentiae fontes.*

Longum esset exemplis illustrare quinam essent ecclesiasticae in pauperes liberalitatis fontes inexhausti, qui in haec capita distribui solent: *collectas* quae de more fiebant in ecclesiis; — *donationes liberas* ordinarias; — *donationes extraordinarias* divitum, vel baptismatis occasione, vel adventante martyrio ut de Sanctis Praxede et Pudentiana narratur (Act. SS. Boll. XVII, p. 299); *possessiones* ipsas ab Ecclesia acquisitas; — *collectas extraordinarias,* penuriae aut publicae alius calamitatis tempore (Const. Ap. VIII, 20), et tandem *jejunia,* quorum ea norma erat ut quod de proprio subtrahebatur, reservaretur pauperibus. Hoc ultimum, ut non adeo fortasse tritum, libentius tractarem, nisi illud repetere cogerer: *Inopem me copia fecit.*

Tempus est enim ut iam de modo ipso beneficentiae exercendae singularia aliqua, prout mihi proposui, attingam.

II.

De modo exercendae caritatis eiusque ambitu.

a) *Collectae.*

Quae Sanctus PAULUS de ratione faciendae in agapis collectae scripsit, praetermitto. Quomodo Paulina traditio servata sit et quo se eleemosyna porrigeret, e variis documentis novimus. Praeter ea quae ex Actibus Apostolorum repeti possent, gratum erit, ut puto, recolere quae legimus apud S. IUSTINUM Martyrem (Reg. fid. 67):

« Qui abundant et volunt, suo arbitrio quod quisque vult largiuntur, et quod colligitur (scil. in sacro conventu diebus dominicis) apud eum qui praeest deponitur, ac ipse subvenit pupillis et viduis, et iis qui vel ob mortem vel aliam ob causam egent, tum etiam iis qui in vinculis sunt et advenientibus peregre hospitibus; uno verbo omnium indigentium curam suscipit ».

Item TERTULLIANUS de iisdem sacris synaxibus:

« Cogimur, inquit, ad litterarum divinarum commemorationem si quid praesentium temporum qualitas aut praemonere cogit aut recognoscere. Certe fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus; ibidem etiam exhortationes... Praesident probati quique seniores... Etiam si quod arcae genus est, non de honoraria summa, quasi redemptae religionis congregatur. Modicam unusquisque stipem menstrua die, vel cum velit, et si modo velit et si modo possit, apponit. Nam nemo compellitur, sed sponte confert. Haec quasi deposita pietatis sunt. Nam inde non epulis nec potaculis nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis humandisque, et pueris ac puellis re ac parentibus destitutis, iamque domesticis senibus, item naufragis, et si qui in insulis, vel in custodiis, dumtaxat ex causa Dei sectae, alumni confessionis suae fiunt... Itaque qui animo animaque miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus ».

Apologet. 39 ML. 1, 468.

Venerabili antiquitate commendatur etiam haec quae apud DIONYSIUM Corinthium (166-175) de coaevi sui Soteris ep. Romani caritate memorantur:

« Haec enim vobis (Romanis, ad quos scribit) consuetudo est iam inde ab ipso religionis exordio, ut patres omnes vario beneficiorum genere afficiatis, et Ecclesiis quam plurimis, quae in singulis urbibus constitutae sunt, necessaria vitae subsidia transmittatis; et hac ratione tum egentium inopiam sublevatis, tum patribus qui in metallis opus faciunt, necessaria suppeditatis: per haec, quae ab initio transmittere consuevistis, munera, morem institutumque Romanorum a maioribus vestris acceptum Romani retinentes ». DIONYS. COR. ap. Euseb. H. E. 2, 236; MG. 20, 387.

b) *Accusatio promiscuae liberalitatis diluitur.*

Saepe quidem, et nostris maxime temporibus, Ecclesiae exprobratum est, quod caritatem sine ullo personarum delectu, sine ratione et via sic exercuerit, ut potius nocumento quam utilitati rei publicae fuerit. Fovit enim, inquiunt, otium et vitia, cum, per continuam et promiscuam liberalitatem, honesti laboris

taedium generaret. Qua accusatione nihil est magis a veritate alienum.

Obligationem honesti laboris passim urget Apostolus, nec potest quidquam severius quam eius contra omne otiosorum genus comminationes afferri.

« Denuntiamus autem vobis, fratres, in nomine Domini nostri Iesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate ». Ipsi enim scitis, quemadmodum oporteat imitari nos: quoniam non inquieti fuimus inter vos; neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore, et in fatigatione, nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus. Non quasi non habuerimus potestatem (sc. a vobis stipendium accipiendi), sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam et cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis: quoniam si quis non vult operari, nec manducet. Audivimus enim inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. Iis autem qui eiusmodi sunt, denuntiamus, et obsecramus in Domino Iesu Christo, ut cum silentio operantes, suum panem manducent.

Vos autem, fratres, nolite deficere benefacientes.

Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate et ne commisceamini cum illo, ut confundatur: et nolite quasi inimicum exstimare, sed corripite ut fratrem ».

2 Thess. 3, 6-15.

c) *Cognitio accurata pauperum.*

Et primo quidem diligenter inquirebatur quinam essent vere pauperes, quorum nomina in catalogo, cui nomen erat *matricula* (1) inscribebantur, ubi etiam quid cuique distributum esset accurate constabat.

Hinc fiebat ut diaconi et episcopi quid in hac re fieret optime scirent; ut et Laurentius pauperes sin-

(1) In testamento S. Remigii legitur: Matricula Sanctae Mariae, quae dicitur Xenodochion, ubi duodecim pauperes stipem exspectant, solidus dabitur. (« Matricula dicitur titulus et catalogus Ecclesiae » Lud. de la Cerda). Cfr Martigny *Diction. de Antiq. Chr.* ad hoc verb.

Sic appellata est etiam domus in qua pauperes alebantur. Multa de *matricula* apud Du Cange *Glossar. med. et inf. latinitatis,* ad hanc vocem, ubi testamenti S. Remigii verba paulo aliter conformata sunt.

gulos apprime nosset (cfr supra PRUDENTIUM), et S. Cornelius papa (250) asserere posset *mille quingentos* esse pauperes quos Ecclesia romana quotidie suis sumptibus alebat.

Haec pauperum cognitio etiam in Constitutionibus Apostolicis affirmatur (III, 4), ubi etiam vicissim ea cura pauperibus iniungitur, ut beneficium beneficio rependant, et pro benefactoribus preces ad communem Patrem caelestem dirigant.

« Cunctis oportet prospicere te, et cunctorum curam suscipere. Qui enim dona largiuntur, non ea statim ac temere viduis tribuunt, sed simpliciter in communem arcam conferunt, voluntaria ea appellantes: quo tu qui *calamitosos cognoscis, accurate,* ut bonum oeconomum decet, distribuas illis de dono. Nam Deus largitorem novit, licet eo absente distributio in egentes a te sit facta; ac ille quidem habet beneficentiae mercedem, tu vero ob dispensationem recta conscientia administratam beatus praedicaberis. *Dic autem inopibus, quis dederit, ut nominatim quoque pro eo precentur* ». Const. Apost. III, 4.

d) *Diaconorum per vicos distributio.*

In hunc etiam finem optime collineabat sapiens diaconorum per varias maiorum urbium partes distributio, quibus singulis pauperum cognitio et sollicitudo mandabatur. Sic a Sancto Clemente Romano, qui Romam in septem partes cum singulis quamque diaconis distribuit; sic paulo post (112) a Sancto Evaristo, qui etiam presbyteris eas divisit; sic a Pio I (c. 150), qui viginti et unum diaconos ordinasse eosque sub archidiacono qui Papae vices gerebat constituisse perhibetur; sic a Fabiano qui quattuordecim vicos designavit, quos, ut septenarius diaconorum numerus servari posset, binos singulis diaconis assignavit, sapienter admodum factum esse novimus.

Et certe, per totum hoc tempus fere ad Constantinum usque, bonorum Ecclesiae administratio et pauperum sollicitudo, quae per diaconos maxime exerce-

batur, penes Episcopos erat, qui suo muneri in gregem Domini sollerter invigilandi cum honore et gloria generatim attenderunt.

e) *In advenas, ne otiosi essent, investigatio.*

Praeclarum testimonium exhibet Didache (XII, 11) quo in advenas ipsos investigari praecipitur, et quam aliena esset Ecclesia ab eiusmodi promiscua et caeca prodigalitate, quae ei vitio vertitur, clarissime demonstratur.

(Didache XII, 11).

« Omnis, qui venit in nomine Domini, suscipiatur; postea autem probantes eum cognoscetis, intellectum enim habebitis diiudicantem dexteram et sinistram. Si quidem veniens transiens est, adiuvate eum quantum potestis; non manebit autem apud vos nisi duos vel tres dies, si necessarium est. Si vero apud vos considere vult et artifex est, laborato et edito. Si non exercet artem, pro prudentia vestra curate, ne piger vobiscum vivat Christianus. Si non vult ita facere, a Christo lucrum quaerit (*χριστέμπορός ἐστι* — Christo-mercator est); attendite a talibus » (FUNCK, Patres Apostolici, t. 1 p. 31).

Eleemosynam non indiscriminatim et temere esse dandam ne otium et vitia foveantur BASILIUS (serm. IV de eleemosyna (n. 6, MG. 32, 1162), addita simul Christianae liberalitatis cautela, graviter severeque admonet.

« Oportet quidem ut qui liberalis est, ob caritatem, in simplicitate praebeat se erga petentes facilem, secundum illud praeceptum: *Petenti a te, da* (Lc. 6,30); et rursus ratione necessitatem uniuscuiusque discernas, ut ex Actis didicimus: *Dividebatur enim singulis,* inquit, *prout cuique opus erat* (Act. 4, 35)... Et quidem quisquis calamitoso dat, dedit Domino, et ab eo mercedem accipiet: qui vero errabundo omni tribuit, proiicit casi, molesto quidem ob impudentiam, sed non miserando ob indigentiam » (1).

(1) Hoc ipsum et quidem iisdem verbis in epistola 150 n. 3 *MG.* 32, 606.

f) *Honesti laboris copia, orborum adoptio, institutio etc.*

Quam sapienter invigilarint non modo ut *adulti* pauperes *iusto labori,* dummodo capaces essent, operam darent, sed etiam *pupilli* ita instituerentur ut *artes manuales addiscerent* et in posterum sibi ipsis providere possent, tum ex aliis documentis, tum ex Constitutionibus Apostolicis satis constat (IV, 2, IV 2).

Quando autem Christianus aliquis relinquitur pupillus, sive puer, sive puella, egregium erit facinus, si quis fratrum, liberis orbus, suscipiat puerum et loco filii habeat; puellam vero filio collocet, si habuerit coaetaneum et ad nuptias pariter maturum... Const. Ap. IV, 1.

« Vos igitur, episcopi, sollicite cogitate de illorum alimonia, nullo deficientes eis : praebentes, pupillis quidem paternam curam; viduis vero tutelam maritatem; iuventa fervidis, coniuges; artifici, opus; invalido, misericordiam; hospitibus, tectum; esurientibus, bucceam; sitientibus, potum; nudis, vestitum; aegrotantibus, visitationem; carcere detentis, auxilium. Ad haec maior vobis sit cura de orphanis, ut nihil ipsis desit: non virgini desit, quoad veniat ad nubilem aetatem, et fratri in matrimonium detis; puero autem sumptum date, quo et artem discat, et ex ea erogatione nutriatur; ut cum artem dextere exercuerit, tunc et instrumenta artis sibi emere valeat, ne amplius gravet sinceram fratrum erga ipsum caritatem, sed sibi suppeditet ». Ibid. IV, 2.

g) Cautela litterarum commendatitiarum.

Vidimus advenas non sine Ecclesiae vigilantia, sed potius ante illius acres et acutos oculos fuisse, ne ex aliena caritate mercaturam facerent: nam licet caritas ad omnes, etiam ad gentiles se diffunderet, non tamen oculis clausis et tumultuario, ut adversarii iactant, exercebatur. Sed praeterea, exigebantur ab advenientibus, etiam clericis, *tesserae et litterae commendatoriae,* quae propter identicam et receptam ubique formam, *formatae* appellari coeptae sunt (1) (AUG. ad Eleus. ep. 163).

(1) Aliis etiam nominibus designantur, ut in contextu apparet, et praeterea graece dicuntur epistolae *συστατικαὶ, ἐιρηνικαὶ, κοινωνικαί.*

Harum litterarum in Ecclesiis usum primus S. Paulus innuit (2 Cor. 3,1.2): *Incipimus*, ait, *iterum nosmetipsos commendare, aut numquid egemus, sicut quidam, commendatitiis epistolis ad vos, aut ex vobis? Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris; quae scitur et legitur ab omnibus hominibus.* In Concilii Illiberitani canone 25 sic legimus: « Omnis qui attulerit litteras confessionis, sublato nomine confessoris, eo quod omnes sub hac nominis gloria passim concutiant simplices, communicatoriae ei dandae sunt litterae ». Litterae autem *confessoriae* seu *confessionis* (quibus aliqui abutebantur), iis dari solitae erant, qui pro fide passi essent. Et canone 58: « Placuit ubique et maxime in eo loco in quo prima cathedra constituta est episcopatus, ut interrogentur hi qui communicatorias litteras tradunt, an omnia recte habeant, et suo testimonio comprobent ».

Ne autem Ecclesiae, in fraudem inductae praeter verum assimulatis litteris, otiosis hominibus faverent, novae in ipsis litteris cautelae adhibebantur, quales exempli gratia ex postremis concilii Chalcedonensis verbis repeti possunt.

« Graeca, inquit ATTICUS episcopus, elementa litterarum numeros etiam exprimere, nullus qui vel tenuiter graeci sermonis notitiam habet, ignorat. Ne igitur in faciendis epistolis canonicis, quas mos latinus formatas vocat, aliqua fraus falsitatis temerae praesumeretur; hoc a Patribus trecentis decem et octo Nicaeae congregatis saluberrime inventum est et constitutum: ut formatae epistolae hanc calculationis seu supputationis rationem habeant, id est, ut assumantur in supputationem prima graeca elementa, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, hoc (est) π, υ, α; quae elementa octogenarium, et quadrigentesimum, et primum significant numerum. Petri quoque Apostoli prima littera, id est, π quae numerum LXXX significat; eius quoque qui scripsit epistolam prima littera; accipientis, tertia littera; civitatis quoque de qua scribitur, quarta; et indictionis, quaecumque est illius temporis, numerus assumatur. Atque ita his omnibus graecis litteris, quae, ut diximus, numeros

exprimunt, in unum ductis, unam, quaecumque fuerit collecta, summam epistola teneat; hanc qui suscipit omni cum cautela requirat expresse, addat praeterea separatim in epistola nonagenarium et nonum numerum, qui secundum graeca elementa significat Amen. (Nempe $\alpha = 1$, $\mu = 40$, $\eta = 8$, $\nu = 50$).

Exemplum autem epistolae formatae hoc Ivo refert:

In nomine *π(ατρὸς)* Patris, et *υ(ἱοῦ)* Filii et *ἁ(γίου πνεύματος)* Spiritus Sancti. RATHBODUS sanctae Treverensis Ecclesiae ac plebis ipsius humilis famulus, Rotberto, reverendo sanctae Metensis Ecclesiae antistiti, in Christo principi pastorum, mansuram cum gaudio prosperitatis ac perpetuitatis gloriam. Decreta sanctorum trecentorum decem et octo patrum Nicaeae constitutorum saluberrima servantes, Deo dignam piamque fraternitatem vestram canonice aggredimur, et sub nomine formatae epistolae reverenter vestram sanctitatem adimus, vobis videlicet intimando, quia praesenti presbytero nostro, nomine Gislemaro, has dimissorias dedimus litteras etc. — Hanc ergo epistolam graecis litteris hinc inde munire decrevimus, et annulo Ecclesiae nostras bullare censuimus. Christus pastorum princeps, interventu beati Petri, cui specialiter ovile dominicum commissum est, fraternitatem vestram ad custodiam sui gregis diu nobis « conservet incolumem, *Αμήν*. Summa horum Mille CD. XXXIX, *π*, *υ*, *α* ».

(Cfr FERD. MENDOZA ad Clem. VII de confirmando Concilio Illiberitano, ap. LABBÈ, Conc. t. 1 col. 1318. 9).

Et his quidem litteris presbyter commendatur: habemus etiam inter aegyptias ab Oxyrhinco papyros recens repertum exemplar, saeculi IV, quo Leo presbyter suos comministros *(sylleiturgos)* salutat, atque ut Ammonium simplicem fidelem bene excipiant rogat.

Tantum quod ad signum (in papyris christianis frequenter usurpatum) litterarum quae exprimunt numerum *nonaginta novem*, eius consonantiam cum verbo *Ἀμήν* repertam credunt aliqui recentiores a WESSELY anno 1887. Quod tamen multo antiquius, ut patet ex allato nunc documento, cognitum erat (1).

(1) La sigla *Ϙϑ* (= 99 seu *Ἀμήν*.) ricorre con abbastanza frequenza in iscrizioni e papiri; ne intuì per primo il valore il WESSELY, *Die Zahl neun und neunzig in Mitteilungen aus der Sammlung der Papyrus Erzh. Rainer* 1887, I, 113-118.

Haec et reliqua eiusdem generis, quam fidelissime potero, ex graeco in latinum vertam.

« Leo presbyter his qui circa hunc | locum colliturgi *(συνλιτουργοῖ[ς])* presbyt(e) | ri et diaconi dilecti sunt, | fratribus in Domino Deo | gaudenter gaudere. | Fratrem nostrum Ammoni | um euntem ad | vos coexcipite ipsum | in pace, per quem vos | et eos qui vobiscum sunt ego quidem | et qui mecum sunt iucunde vos | salutari iubeo. | Valere vos cupio | in Domino Deo. Emmanuel testis. XCIX » (Amen) *Ἀμήν*. Ut supra vidimus, summa litterarum graecarum efficit *nonaginta novem;* et scribitur per signum *coppa et theta* Ϙϑ.

Emmanuel testis vel est formula iurisiurandi ad signandas litteras, si legitur *μάρτ[υς]*, vel fortasse iungitur cum praecedenti dativo *ἐν κυρίω Θεῷ* et legendum erit *Εμ. μάρτ[υρι]* = In Domino Deo Emmanuele martyre.

GRENFELL-HUNT, *POxy.* VIII n. 1162.

Ecce aliud simplicissimae commendatoriae tesserae exemplum alia papyro contentum:

Saec. III | IV.

« Salve in domino, dilecte | frater Petre; ego Sotas | te salvere iubeo. | Fratrem nostrum | Heraclem suscipe | secundum morem; per quem te | et eos qui tecum sunt om | nes fratres ego | et qui mecum sunt | salutamus. Valere te in Deo desidero. Cfr GHEDINI, *Lettere cristiane dai papiri greci del III e IV secolo.* p. 129.

***

Sed de cautelis, quae adhibebantur, hactenus dictum sit. Extrema tamen vitanda esse omnes novimus, et periculum est, quod Patres, praecipue Chrysostomus, non semel animadverterunt, ne semper deceptionem timentes, fraudis alienae obtentu, avaritiam foveamus. Semper Ecclesia ut vidimus, in ipsa vigilantia, humanae immo christianae pauperum dignitati prospexit, nec illud oblita est, quod PAULUS de caritate magnifice extollit: *Caritas patiens est, benigna est,... non quaerit quae sua sunt;... omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet* (1 Cor. 13, 4-7).

Videant qui Ecclesiam incusant, quantum ea, quae pro pauperibus eorumque vigilantia a Statu Civili stabilita et facta sunt, ab Ecclesiae efficaci et nobilissima benignitate distent.

His igitur praemissis, venio ad privatas commendationes.

h) *Commendationes miserorum.*

Profecto, eleemosynae genus, aliquando praestantissimum, est pauperis aut calamitosi hominis commendatio, neque ita caeca ut temeraria sit, neque ita ad humanam prudentiam cauta ut nihil efficiat: nam qui in caritate, ut non errent, semper abstinent, ii semper errare putandi sunt.

Exemplo PAULUS ipse (tam severus alioqui et cautus in otiosos ut vidimus) praeivit, cum Onesimum servum fugitivum Philemoni domino commendavit. In qua epistola omnia quae ad commendationem pertinere possunt ita iunguntur mirifice, ut nulla alia commendatoria cum ea conferri possit:

« Consilia, supplicationes ita miscentur, ut difficile sit ubi illa desinant, hae incipiant designare.

— *A*) Paulus enim *rogat* (παρακαλῶ): *a*) ut amicus διά τήν ἀγαπήν, *b*) ut senex (πρεσβύτης), *c*) ut apostolus (Παῦλος), *d*) ut vinctus Christi Iesu (δέσμιος X. I.), pro filio quem genuit in vinculis, hoc est pro suis visceribus (τοῦτ' ἔστιν τὰ ἐμὰ σπλάγχνα).

— *B*) *Suadet* tantum, exspectans domini consensum et liberam acceptationem, — *C*) cum tamen posset praecipere, ut Christi legatus apud virum Christianum subditum, quo sensu sibi spondet Philemonis oboedientiam, utiturque, data occasione, forma imperativa.

2. Paulus promittit se indemnem redditurum esse Philemonem (18-20): si aliquid nocuit tibi... mihi imputa, ego reddam. Nihil deest in hoc contractu, ne subsignatio quidem: *ego Paulus scripsi mea manu...*

3. Paulus vult Onesimum fugitivum recipi, v. 16, *iam non ut servum, sed pro servo carissimum fratrem, maxime mihi*, etc., immo ut *seipsum*, v. 17. *Si ergo habes me socium, suscipe illum*

sicut me ». F. PRAT S. I. *La Théologie de Saint Paul*, 16ª ed. t. I, p. 332.

Mirum etiam quantum ad animum flectendum valeant illa urbanitate plena, sc. salutationes inscriptae in fronte schedulae, quibus *Appiam sororem carissimam* (uxorem, ut creditur, Philemonis) *et Archippum* et *eos* Christianos *qui in domo* Philemonis congregantur salvere iubet, ut etiam salutationes et suae Pauli et aliorum *Epaphrae concaptivi* etc. quas adiungit: et fiducia illa 22. *Simul autem* et *para mihi hospitium*. Ut omittamus iucundos illos verborum lusus a nomine ipso *Onesimos* (utilis) « *qui* tibi aliquando *inutilis* fuit, nunc autem et mihi et tibi *utilis* (v. 11), et in fine » ita, frater, ego te *fruar* (ὀναίμην) in Domino ».

Plinii iunioris epistola IX, 21, qua servum fugitivum amico ut eum non vexet commendat, utut dictione elegans, affectu et efficacia ab hac Paulina immensum distat.

Quo in genere commendationis, mentione dignissima est epistola (192ª) S. ISIDORI PELUSIOTAE († 440) ad Ironem (Heronem) scholasticum ut servum lapsum denuo recipiat. M. PG 78 col. 278. Ubi etiam pro servo paupere hominum apud Deum aequalitas et dignitas miro modo urgetur.

« Ad solitudinem hanc, quam incolimus, iuvenis quidam venit, nactusque ianitorem, ut sibi ad me adeundi potestas fieret, rogavit. Ut igitur pro meo more omnes domo admittere ac commodum ipsis colloquium et requietem impertire, paratus sum, accersitus est. Ille autem statim humi seipsum prostravit, nullum verbum prius locutus, quam ingentem vim lacrimarum profudisset. Posteaquam autem ego, ut manu eum prehendissem, et me ipsi pro mea virili opem laturum esse promisissem, et quisnam esset, atque quanta re opus haberet, quaesivissem, famulum tuum se esse dixit, in huiusmodi autem peccatum ex ignoratione incidisse, quod omnem, ut existimabat, resipiscentiam superaret. Ac primo quidem admiratione me affecit. Neque enim Christi amantem Ironem, qui cognitam et exploratam eam gratiam habeat, quae omnes in libertatem vindicavit, famulum ullum habere arbitror (1). Deinde autem moerorem mihi attulit. Siquidem peccatum omne, etiam ab iis qui id admiserint repe-

(1) Dignus, sane, singulari attentione locus.

titum, alii aliis mutuo remittere a Christo iussi sumus. Id enim ille et docuit et fecit. Docuit, inquam, his verbis: « *Nisi remiseritis peccata hominibus,* nec Pater vester qui in caelis est, remittet vobis peccata vestra » (Matth. 6, 15). Fecit autem, cum meretricem (Luc. 7, 16), et publicanum Matthaeum (Matth. 9, 9), et Samaritanam (Io. 4, 5 sqq.), et paralyticum (Matth. 9, 2), atque adeo ipsum Petrum apostolici sodalitii coriphaeum, non solum corporeis, sed etiam spiritualibus peccatis ac morbis liberavit. Quocirca, si Christum imitari cupis, magna iis qui delinquunt peccata condona. At vero maiora ii dumtaxat remittunt, qui magnam ad Deum conscientiam habent, ac magna ab eo pro praeclaris actionibus praemia exspectant ».

Multo simplicior est, nec tamen sua caret arte a caritate profecta sequens scheda commendatitia, e papyro med. saec. IV.

« Domino et dilecto | fratri Abinaeo prae(posito) | Kaor papa (1) Hermapoleos salutem. | Filios tuos multum salvere iubeo. | Certiorem esse te cupio, domine, | de Paulo milite, | de eius fuga. Condona | illi hoc iam semel, | quandoquidem mihi non vacat venire ad | te impraesentiarum, et rursus, | si ille non negligit, veniet | in manus tuas semel iterum. | Salvere te cupio | per multos an- | nos, domine mi | frater ».

Apud DEISSMANN, *Licht vom Osten*[4], p. 184-5.

Christianum sapit etiam sequens schedula, in qua Thomis Heracleo nuntiat se eius filium perinde ac si proprius esset excepisse, eumque, labori ut se addicat, coacturum.

GHEDINI, ib. p. 138. Saec. III/IV Grenfell-Hunt in *POxy.* XII n. 1493.

« Thomis Heracleo dilectissimo | plurimam salutem. | Ante omnia quidem cupio te omni | mode prosperari et sanum esse apud Dominum | Deum. Certiorem te esse volo, frater, | ad decimum (diem) praesentis men | sis Thot | recepisse me tuum | filium bene valentem et omnino prosperum per omne tempus. Huius igitur | curam suscipiam ut | proprii filii. Non negligam autem | cogere illum ut se applicet operi, ex hoc Deo » [.....]

(1) Sitne episcopus, presbyter ignoratur: certe alterutrum esse videtur, non autem profani muneris nomen. Abinaeus autem erat praepositus, praefectus, apud Dionysias (Fayum). Papyrus est saec. IV (c. 346 post Ch.); asservatur in Musaeo Britannico.

i) *Hospitales domus pro pauperibus, peregrinis, invalidis erectae.*

Facta a Constantino M., dixerim potius, recognita, Ecclesiae accipiendi, publice possidendi (1) potestate (313), mirum est quae opera pauperibus sublevandis excogitarit.

Nec mei consilii nec huius loci est singula describere, sed allatis testimoniis, praecipua quaedam quasi digito indicare.

Praestantissima eius institutionis, quae iam inde tantopere viguit, *hospitalium* domorum, quae pro diversa necessitate cui subveniebant diversa nomina receperunt, norma et regula fuit nobilissimum illud a Sancto Basilio Magno prope Caesaream exstructum aedificium, quod a posteris *βασιλειάς* appellatum est; eratque propter multarum domuncularum sapientem distributionem vera Christianae Caritatis *urbs,* de qua pulcherrime oculatus testis S. Gregorius Nazianzenus disseruit:

« Paululum extra civitatem pedem effer, ac novam *civitatem* conspice, illud pietatis promptuarium, illud commune locupletum aerarium, in quod non modo redundantes ac superfluae opes, sed iam necessariae quoque facultates per illius exhortationes reconduntur, tineas excutientes, fures non oblectantes, invidiae certamen et temporis corruptionem effugientes; in quo morbus aequo animo toleratur, et calamitas beata censetur et misericordia exploratur. Quid cum hoc opere comparem Thebas (in Boeotia) septem portas habentes, et Aegyptias illas

(1) Iucundum erit lectori hoc ex Aegyptio Oxyrhinco documentum legere Saec. III | IV. Grenfell-Hunt in *POxy.* XII n. 1492. Ghedini, l. c. p. 123. Ave, sacer fili | Demetriane. Sotas | te saluto | . Communis [nostra necessitas] manifesta et communis | nostra salus... | Haec enim sunt quae in | divina Providentia. Si igitur de- | crevisti secundum pristinum | morem dare aru- | ran (= campum, praedium quadratum cuius latera singula aequabant metra 52,5, totum 2756 metra quadrata) loco (nostro, i. e. communitati christianae), fac ut ea separetur (consignetur) | ut ea utantur, et sicut decrevisti circa opus | , esto bono animo. Omnes qui | in domo tua sunt, omnino omnes | saluta. Sal- | vere vos precor | Deum per omne (tempus) | et in omnibus.

(Thebas), et muros babylonicos, et Caricum Mausoli sepulcrum, et Pyramides, et Colossi aes immensum, et delubra mira magnitudine et eleganti arte confecta, iam eversa et prostrata, ceteraque omnia quae homines admirantur atque historiis prodiderunt; ex quibus omnibus, praeter inanem quamdam et exiguam gloriam, nulla prorsus utilitas ad exstructores rediit ? » S. Greg. Naz. or. 43 (in laud. Basil. M. n. 63; MG. 36, 577.

De amplissimo hoc aedificio, dum exstrueretur, malignorum querelae et susurrationes ad Heliam, rectorem provinciae delatae sunt, quas S. Basilius per epistolam ad eundem scriptam diluit. Tum de aedificio ipso, praeter alia, haec habet:

« Ecquem iniuria afficimus, dum peregrinis, sive hac transeuntibus, sive medela aliqua ob morbum indigentibus, hospitia construimus *(καταγώγια)*, atque sic necessarium constituimus solatium, aegrorum curatores, medicos, iumenta, deductores (qui obviam irent et abeuntes deducerent) ?

« Quibus necesse fuit et artes adiungi, tum quae ad vitam sunt necessariae, tum quae ad honestius vitae institutum fuerunt excogitatae: alias rursus aedes ad facienda opera idoneas, quae omnia ipsi loco ornatum, et rectori nostro gloriam ferunt, laude in eum redundante.

« Neque existimes, vir optime, verba tantum esse quae dicimus: siquidem iam in opere versamur, cum materiam hactenus comportaverimus ». S. Basil. ep. XCIV, M 32, 487.

Quanta etiam labentibus annis huius Basiliadis fama fuerit, satis e Sozomeno patet.

« Praepositus etiam fuit (Prapidius ep.) *Basiliadis*, quod est celeberrimum ptochotrophium, a Basilio Caesariensi episcopo constructum: a quo cognomentum initio cepit, et hactenus retinet. » Sozom. *Hist. Ecclesiastica* l. VI c. XXXIV ; MG. 67, 1398.

S. Gregorius Nazianzenus Magni Basilii non modo laudator, sed etiam imitator fuit; exstruxit enim Constantinopoli ecclesiam illam, Anastasiam nomine, prope quam pauperibus singularis locus destinatus erat. Quanto cum dolore ab ea discesserit, tempestate

illa, quae nota est, iactatus, ipse eloquentissime testatur. Post illa enim vere commota verba:

« Vale, Anastasia, nomen a pietate habens. Valete, Nazaraeorum Chori, psalmodiarum concentus, nocturnae stationes, virginum sanctimonia, mulierum modestia »,

haec subiunxit:

« viduarum et orphanorum Coetus, pauperum oculi, in Deum et in nos intuentes! Valete, domus hospitales et Christi amantes, infirmitatisque meae adiutrices! »

Quod quam ei esset cordi vel ex eo patet quod idem etiam carmine regerere non dubitavit: in eo enim poëmate quod « Somnium de Anastasiae ecclesia » inscribitur, sic canit: MG. 37, 1260.

« Pupilli et viduae, atque vagi infirmique, ma-
[nusque
Cernentes nostras, non secus atque Dei;
Atque domus dulces, canae altricesque senectae,
Vestri, nec cupiens, immemor esse queam! »

De Sancto Ioanne Chrysostomo Palladius in eius vita sic testatur:

« Plura nosocomia aedificat, praeponens presbyteros pios duos; praeterea, et medicos, et coquos, atque bonos opifices e caelibum ordine ad eorum ministerium: ut advenientes hospites et morbo correpti curarentur, idque cum propter bonum ipsum, tum propter gloriam Servatoris » Palladii *dialog. de Vita S. Chrys.* c. V; MG. 47, 20.

De aliis *hospitalibus* domibus, quibus pro diverso fine diversa nomina imponebantur, ut *xenodochion* et *xenon,* advenis, peregrinis, sed saepe etiam aegris et infirmis colligendis; *nosocomium*, quod his destinatum erat; *brephotrophion* inde a IV saeculo, recens natis, puerulis abiectis a matribus; *orphanotrophion,* pupillis; *gerontocomion*, senibus; *ptochotrophion,* mendicis, et saepe quibuslibet pauperibus accipiendis, qui ut in

latinorum diaconiis communes mensas et commune etiam sacellum seu oratorium habebant, cfr. alios auctores. Interea, hoc meminisse sufficiat: iam in Concilii Nicaeni canone 70 (MANSI II p. 1006) statutum esse ut in omnibus urbibus xenodochia statuerentur.

Quae de Fabiolae, Pammachio, Paula, et de nosocomiis in Portu Romano, Romae, Bethlehem conditis S. HIERONYMUS eloquenter describit (cfr epist. ad Ocean.; epitaph. Fabiolae), brevissime indico, quamvis tota illa ad Oceanum epistola dignissima lectu sit. (ML. 22, 690-698):

« Prima omnium (Fabiola) *νοσοκομεῖον*, (in Bethlehem) instituit, in quo aegrotantes colligeret de plateis, et consumpta languoribus atque inedia miserorum membra foveret.....

> Non mihi si linguae centum sint, oraque centum,
> Ferrea vox,...
> Omnia morborum percurrere nomina possim
> (Aeneid.).

quae Fabiola in tanta miserorum refrigeria commutavit, ut multi pauperum sani languentibus inviderent » (ML. 22, 694)... Inter laudes feminae subito mihi Pammachius meus exoritur. Paulina dormit ut iste vigilet... Iungunt opes, sociant voluntates, ut quod aemulatio dissipatura erat, concordia cresceret. Necdum dictum, iam factum. Emitur hospitium et ad hospitium turba concurrit... Xenodochium in Portu Romano situm totus pariter mundus audivit » (Ibid. 696-7).

Testimonium indirectum maximi momenti est Iuliani Apostatae commotio. Sic posterioribus temporibus toties vidimus, Ecclesiae propagationem et felicitatem ab eius osoribus iniquo animo ferri.

j) *Iuliani Apostatae invidia.*

Profecto. Magna nosocomiorum prosperitas adeo Iulianum Apostatam momordit, ut invidiam dissimulare non posset. De quo SOZOMENUS :

« Imperator vero (Iulianus) inquit qui iam pridem id maxime studebat ut gentilium religio per universum Romanum imperium praevaleret, eam a Christianorum religione longe superari cernens, iniquo animo tulit... Cumque existimaret Christianorum religionem ex vita et moribus eorum, qui illam sectabantur, maxime commendari... certorum quoque dierum atque horarum statutis precationibus ; monasteriis praeterea... ; xenodochiis denique et ptochotrophiis, et omni denique erga egenos humanitate... Sed praecipue notas ac tesseras *(τὰ συνθήματα)* (1) episcopalium litterarum admiratus esse dicitur, quibus solent peregrinos sibi invicem commendare; ut undelibet venientes, ad quoscumque accesserint, tamquam noti atque amici excipiantur hospitio et benigne curentur ob testimonium eiusmodi notae *(τοῦ συμβόλου)*. Haec cum animo agitaret, operam dabat ut gentiles christianorum institutis assuefaceret. Sed quoniam istud plerisque incredibile fortasse videbitur, non aliunde quam ex ipsismet imperatoris verbis huius rei veritatem comprobabo. Sic enim scribit » :

« *Arsacio, sacerdoti Galatiae.* Gentilium religio nondum ex animi nostri sententia viget...

« Nec attendimus quid Christianorum religionem potissimum auxerit : humanitas, scilicet, in peregrinos, et in sepeliendis mortuis sollicita diligentia, et simulata morum gravitas. Quorum singula vere a nobis exercenda esse existimo. Nec sufficit quod tu unus eiusmodi sis : sed quotquot in Galatia sunt flamines tales esse decet... Deinde singulos flamines hortare, ut nec ad theatrum accedant, nec in tabernis bibant, nec artem ullam aut opificium turpe ac probrosum exerceant... Crebra in singulis civitatibus *xenodochia* constitue, ut peregrini non ex nostris solum, sed ex aliis etiam, si pecunia forte opus habuerint, humanitate nostra perfruantur. Porro unde sumptus tibi suppetant, a me iam provisum est. Nam quotannis triginta millia modiorum tritici per universam Galatiam dari iussi, et sexaginta millia sextariorum vini. Quorum quintam partem in

(1) *Τὰ συνθήματα, litteras formatas* intelligit...

pauperes qui flaminibus ministrant insumendam esse censeo; reliqua peregrinis ac mendicantibus a vobis dividenda. Turpe enim fuerit, ex Iudaeis quidem neminem mendicare; impios vero Galilaeos, praeter suos pauperes, etiam nostros alere: nostros autem mendicos nostra ope ac subsidio destitutos videri. Doce ergo gentiles, ut ad huiusmodi ministeria aliquid conferant, et gentilium pagi primitias fructuum diis offerant. Et graecos homines huiusmodi beneficentiae assuefacito, docens illos id olim a nobis institutum fuisse. Homerus enim Eumaeum sic loquentem inducit (Odyss., *Ξ*, V, 1):

> Haud mihi fas, vel si veniat te vilior hospes,
> Quemquam despicere: a summo nam sunt Iove cuncti,
> Qui peregre adveniunt; modicum autem munus amicum est».

Apud Sozom. Hist. Eccl. lib. V, cc. 15, 16; M. PG. 67, 1260-1263.

k) *Continua cautio, ne caritas privata desereretur.*

Ne tamen, nosocomiorum obtentu, privata caritas refrigesceret, Patres sibi commissos fideles iterum atque iterum diligenter admonebant. Possent hinc inde exempla afferri, sed hoc sufficiat ex S. Chrys., vere luculentum:

« Haec quippe omnia oportet habere eum qui peregrinos excipit: fervorem, hilaritatem, liberalitatem: (sc. ut Abraham, quem exemplar proposuerat).

« Quot hospites sunt ex fratribus? Est communis domus Ecclesiae, quam *xenona* vocamus: curiose inquirite (*περιεργάζεσθε*, satagite, solliciti estote) *etiam* vos, sedete ad fores, venientes suscipite (nimirum, ut idem Abraham): si non in domos vestras, aliter illis necessaria suppeditate.

— « Quid ergo? inquies; an Ecclesia non habet? — Habet; sed quid hoc ad vos? An, si a communibus Ecclesiae pecuniis alantur, id vobis prodesse poterit? An, si alius precetur, tu non debes precari? Cur non dicis: « quid enim? annon sacerdotes precantur? Cur ego orabo? » — At ego, inquies, do isti qui non potest illo venire. — Da saltem illi; quod enim quaerimus hoc est: ut omnino detur. Audi quid dicat Paulus: *Ut et iis quae vere viduae sunt, sufficiant, et ne gravetur Ecclesia* (1 Tim. 5, 16). Ut vis, fac; solum fac.

Ego vero non dico, *Ut non gravetur Ecclesia ;* sed, Ut tu, non graveris : hac enim ratiocinatione nihil facies (obtinebis, lucraberis), omnia ei (Ecclesiae) remittens. Ideo commune domicilium est, ab Ecclesia assignatum *(ἀφωρισμένον,* separatum), ut haec non dicas.

— Sed sumptus *(δαπανήματα)* habet Ecclesia, inquies ; pecunias habet et reditus. Dic mihi : an * sumptus (1) *(ἀνλώματα expensas, iacturas)* non habet ? quotidianam expensam non habet ? — Etiam, inquies. — Cur ergo non adiuvas mediocritatem eius ? Me pudet haec dicere ; caeterum non cogo.

« Si quis putat lucrum esse quae dicuntur, faciat sibi xenodochium in domo (2) ; isthic lectum statue, isthic mensam et lucernam. Quomodo non absurdum fuerit, si veniant milites, habere vos assignata domicilia, magnam gerere curam, omniaque ipsis sub ministrare, quia illi bellum hoc sensibile depellunt, hospites vero ubi diversentur non habere ?

« Vince ecclesiam. Vis nos rubore perfundere ? Hoc fac : liberalitate supera : habe domicilium quo Christus diversetur : dic : Haec est cellula Christi ; haec domus illi seposita est ; etiamsi vile domicilium sit, non dedignatur. Nudus et hospes Christus circuit, tecto solum egens ; saltem huic (hoc) praesta : ne sis crudelis vel inhumanus, neque in rebus saecularibus ita vehemens, in spiritualibus vero frigidus. Hoc committatur famulo omnium fidelissimo, et is mutilos, mendicos, et eos qui sine tecto sunt, introducat. Haec dico, ut ad pudorem moveam. Oporteret enim sursum domi illos recipere ; sin nolis, saltem infra, ubi muli, ubi famuli, Christum recipe ! — Forte exhorrescitis audientes. Quid ergo, si ne haec quidem feceritis ? Ecce hortor, ecce dico : hoc vobis curae sit !

— « At sic non vultis ? Ergo alio modo facite. Sunt multi pauperes utriusque sexus : segregate omnino, ut ibi aliquis maneat : sit saltem domus custos pauper : sit sibi (pauper) murus et sepes, scutum et hasta. Ubi est eleemosyna, eo non audet accedere diabolus, neque malum quodpiam. Ne quaeso despiciamus tantum lucrum. Nunc vero currui quidem assignatus locus est, et basternis alius ; Christo autem erranti nullus !.... (ibid. col. 319. 320).

---

(1) In versione latina non percipitur differentia inter obiectionem et responsionem : nam obiectio est : « Sumptus habet Ecclesia, inquies... » — Responsio autem : — « Dic mihi, an sumptus non habet ? » Sine sensu.

(2) Horum verborum contextus oratoriùs hanc vim habere videtur : Si quis putet hic *negotiationem χρηματισμόν* esse, experiatur ipse et videbit quae sint expensae et iacturae.

— « At multi sunt, inquies, deceptores et ingrati. — Et hinc tibi maior merces, quando nomine Christi accipis. Si nosti esse deceptores, ne recipe domi; sin non nosti, cur temere accusas? Ideo dico: Eant in xenodochium. Quae vero defensio, quando ne eos quidem, quos novimus, recipimus, sed omnibus fores claudimus?

Sit Christi *pandocheum* nostra domus: repetamus ab illis mercedem, non argentum, sed ut faciant domum nostram Christi receptaculum: circumcursemus undique, trahamus, venatum abripiamus: maius beneficium accipimus, quam damus. Non iubeo mactare vitulum: da panem egenti, vestem nudo, tectum hospiti! Ne autem haec praetexas: Est domicilium ecclesiae commune; illuc mitto, et tu suscipies! » (Ibid. c. 320).

Fl. Ogara S. I.

QUAESITA VARIA

De Calendario in Missionibus

I. - In tomo superiore, p. 250, promisimus declarationem quam, nimia argumentorum copia impediti, nec in ultimo illius tomi fasciculo dare nobis licuit. Nunc igitur paucis tractare proponimus de modo quo ibi allegatae resolutiones S. C. *de Propaganda Fide* cum anteriore resolutione S. *Rituum* Congregationis diei 23 mart. 1929 concordari queant.

Videntur enim contrariae. S. *Rituum* Congr., de calendario adhibendo in Missionibus, respondit R. P. Rutten, qui tunc erat Superior generalis Congr. Imm. Cordis Mariae dictae a Scheut, « Adhibeatur calendarium Congregationis religiosae proprium, donec hierarchia ecclesiastica inibi fuerit instituta » *(Per.*, XXI, 34).

S. Congr. *de Propaganda Fide,* rescr. 18 maii 1932, negavit Superiori Missionis Ordini vel Congregationi

religiosae concreditae licere ut pro clero saeculari sibi subdito calendarium proprii Instituti adoptaret; negavit quoque a Missionariis religiosis, in ecclesiis Vicariatus vel Praefecturae quae de iure non pertinent ad eorumdem Ordinem vel Congregationem, Missas secundum proprium calendarium celebrari posse; sed affirmavit, secundum Decretum S. Rituum Congr., diei 28 oct. 1913 (1), calendarium proprium Vicariatus vel Praefecturae esse statuendum, et ad hoc Calendarium exigi debere Missas quae in ecclesiis non regularibus vel religiosis celebrantur.

II. - Novimus autem iam bis, interroganti Vicario Apostolico vel Superiori missionis, responsum esse a S. C. *de Propaganda Fide*, suo rescripto standum esse, quod simul declarabatur approbante S. Congregatione *Rituum* confectum.

Quare apparentem contrarietatem solvemus dicendo, responsum datum R. P. Rutten esse positivam concessionem (2), quae valet pro missionibus de quibus R. Pater interrogaverat (salva revocatione posteriore) sed quae normas decr. 28 oct. 1913 infringere minime potuit. Nequit igitur servari conclusio quam ex responso R. P. Rutten data collegeramus, normam S. C. *Rit.* 1913 non vigere nisi in locis ubi hierarchia ecclesiastica restituta sit.

III. - Itaque, salva S. C. *Rituum* concessione, calendarium Vicariatus vel Praefecturae aequiperandum est Calendario dioecesis, secundum quod Missae dicendae sunt in ecclesiis quae non sunt regulares vel concreditae seu annexae communitati religiosae, quamvis alicuius non religiosae ecclesiae religiosus possit esse rector, atque etiam in oratorio principali Sororum

(1) *Per.*, VII, 203, cum Annotationibus p. 213. Cfr VIII, (11).

(2) Observes ceterum responsi tenorem. Nulla norma indicatur, sed forma quasi imperativa dicitur « Adhibeatur ».

vel domus piae ubi calendarium proprium non habetur. In stationibus quas missionarius interdum visitat, ubi nullum est vere erectum oratorium, religiosus missas secundum proprium calendarium dicere poterit.

IV. - Modicus numerus sacerdotum saecularium non obstat quin calendarium Vicariatus seu Praefectura sequi debeant (extra ecclesias religiosorum) praesertim cum S. Sedes conetur clerum indigenam multiplicare.

N. B. — Cfr in re simili responsa data a S. R. C. de oratoriis et de calendario dioecesis, *Decr. auth.* n. 3862. 3910. 4248 ad 3.

A. VERMEERSCH S. I.

Quid *Ordinarius* in can. 883 C. I. C.

Status Quaestionis. — Novimus ex can. 198, in iure nomine *Ordinarii* etiam Superiorem maiorem religionis clericalis exemptae intellegi.

Rursus autem canone 883 § 1 iurisdictionem ad audiendos quoslibet secum navigantes a lege tribui sacerdoti qui *a proprio Ordinario* facultatem audiendi confessiones rite acceperit.

Quaeritur iam utrum annon etiam in can. 883 Ordinarius proprius intellegi possit Superior maior religionis clericalis exemptae.

Disceptatio causae. — Et videtur affirmandum. Legislator enim praesumitur accurate loqui. Iam vero ipse in can. 198 Ordinarium *loci* sedulo ab iis qui sunt *Ordinarii* tantum distinguit. Quare, cum in can. 883 vocem Ordinarii sine addito usurpaverit, censetur etiam Superiorem maiorem religionis clericalis exemptae designasse.

Sed contra est, quod in praesenti Codicis oeconomia, iurisdictio ad audiendos saeculares a solo Or-

dinario loci confertur. Contra quoque est, quod praesens canon mere confirmat, tollens ambiguitatem quorundam verborum, facultatem iure superiori concessam. Iam vero ante Codicem constabat facultatem in itinere maritimo non dari nisi sacerdoti quem Ordinarius loci approbarat. In decreto enim *S. Officii*, 23-24 aug. 1905, approbatio obtinenda dicebatur « a proprio Ordinario *e cuius dioecesi* discedunt ». Iam vero, ex can. 6, canones qui ex parte cum veteri iure congruunt, qua congruunt ex iure antiquo aestimandi sunt; et in dubio num aliquod canonum praescriptum cum veteri iure discrepet, a veteri iure non est recedendum (can. 6, 3^0 et 4^0).

Reponi tamen potest, praesenti iure can. 875 coll. cum 514 § 1 iurisdictionem delegatam ad audiendas confessiones plurium saecularium (contubernalium) etiam a Superiore religionis clericalis exemptae conferri.

Praeterea quod ad audiendos saeculares iurisdictio proficiscatur ab Ordinario loci, haec regula regit loca in quibus Ordinarius loci habetur; sed mare est extra omnem dioecesim, ita ut in mari iurisdictio ab ipso iure conferatur et approbatio Ordinarii mere ut *condicio* postuletur, qua posita, ipse can. 883 iurisdictionem sacramentalem confert. Valde autem rationabile tunc est, ut approbatio Ordinarii religioso clericali exempto sufficere queat.

Quod ad can. 6, qui obiciebatur, n. 3^0 statuitur canones qui ex parte tantum cum veteri iure congruunt, « qua parte discrepant », esse ex sua ipsorum sententia diiudicandos. Iam vero can. 883 a veteri iure discrepat, quatenus omissis verbis « e cuius dioecesi discedunt », mere proprii Ordinarii approbationem postulat. Itaque propria verbi *Ordinarii* significatio, e can. 198 desumpta, servanda videtur.

Conclusio. — His perpensis, ad quaestionem propositam respondendum esse censeo, in can. 883, nomi-

ne Ordinarii comprehendi quoque Superiores maiores religionis clericalis exemptae.

A. VERMEERSCH S. I.

A quonam momento estne Professo a votis temporariis integrum religionem deserere ad normam can. 637?

I. Huic quaesito perspicue respondet canon 637 per verba: « Expleto votorum tempore ». Et can. 575 et 577 subiungunt eum non solum tunc posse sed debere exire, nisi emittat perpetuam professionem vel promissionem temporariam renovet. Sic enim statuunt: « can. 575 § 1. Exacto professionis temporariae tempore, religiosus, ad normam can. 637, vel emittat perpetuam professionem... vel ad saeculum redeat ». Can. autem « 577 § 1. Elapso tempore ad quod vota sunt nuncupata, renovationi votorum nulla est interponenda mora ».

A littera igitur et a mente Codicis alienum est ut religiosus in religione liber a votis maneat.

II. Itaque iam quaerendum est quandonam tempus ad quod vota temporaria nuncupata erant elapsum sit.

Id e canonibus de temporis supputatione colligendum est. Atque ad rem facit can. 34 § 3, n. 3⁰ et 5⁰. Ad rem facit can. 34 § 3 n. 3, quatenus momentum *a quo* vota fiunt cum initio diei coincidere non soleat; magis autem ad rem facit can. 34 § 3 n. 5, quatenus agitur de actibus eiusdem generis, i. e. votis, quae statis temporibus renovandi sunt. Ac fac observes numerum 5^{um} minime ut subordinatum n. 3 poni: modo qui dicitur « parallelus » ambo iuxta positi sunt, mere subordinati § 3 initio, quae genericam ponit causam de tempore quod constet « uno vel pluribus mensibus aut annis, una vel pluribus hebdomadibus, aut tandem

pluribus diebus, et terminus *a quo* explicite vel implicite assignetur ».

Iam vero quid nos explicite docet n. 5°? « Si agitur de actibus eiusdem generis statis temporibus renovandis » in specie de votis temporariis, tempus finitur eodem recurrente die quo incipit.

Dies autem, cum a media nocte, ex can. 32, initium habeat, recurrit a media nocte. Ergo ab isto momento tempus finitur. I. e. ab isto momento, sine ulla *legali* anticipatione, vota renovari possunt ex can. 575, vel etiam, ex can. 637, religiosus professus religionem deserere potest.

Immo per se tunc, i. e. media nocte, vota renovari deberent cum, ex can. 577 § 1, « elapso tempore ad quod vota sunt nuncupata, renovationi votorum nulla est interponenda mora »; et religiosus qui vota non renovat, e religione exire deberet, quia ex can. 575, eodem tempore ei optio proponitur vel emittendi novam professionem, vel ad saeculum redeundi.

Verum hic intervenit positiva legis dispositio, quae totam diem quae recurrit practice tractat quasi unum fuerit momentum, ita ut quod fiat media nocte transacta vel hora nona, vel meridie, vel qualibet hora pomeridiana aut vespertina usque ad mediam noctem, censeatur, quod ad effectus, eodem tempore factum; i. e. dies per 24 horas recurrit, ita ut quolibet momento tempus sit finitum et novi temporis fiat initium (1).

Quia autem id non per se sed ex positivo tantum statuto habetur, sententia quae novo actui eam optionem annectit introducitur coniunctione adversativa *sed*.

Confirmatur decreto S. C. *de Religiosis*, 3 maii 1914 ad quod nota ad can. 34 § 3, 5° nos remittit, et quod hodie, abrogatum pro noviciatu, pro triennio votorum

(1) Ista positiva provisio revera secumfert quandam legalem temporis prorogationem vel detractionem, prout ante aut post horam qua voverat, professionem renovet vel abit.

simplicium confirmatur: tempus non stricte de hora ad horam, sed de die in diem intellegi debere, ita ut dies incepta pro completa habeatur. Cfr *Per.*, VIII, 32 et 34.

Hoc modo, plana canonum expositione, ad hanc planam responsionem quaesiti nostri pervenimus, professo votorum temporariorum qui vota renovare non voluerit vel non potuerit, integrum esse ut, recurrente eadem, i. e. eiusdem numeri, die mensis qua vota fecerit, a primo momento abire ipsi integrum sit; possit tamen etiam, per integrum diem manere aut abire, ita ut ad momentum discessus votis ligatus maneat, iisdem autem a momento discessus solvatur.

Quae responsio nostra etiam hoc commodum habet vitandi cum confusionem non renovantium tum corruptam laetitiam renovantium contraria non renovantium visione, si per totam diem in domo religiosa manere cogerentur.

Eandem responsionem explicite dant: CHELODI, *Ius de Personis,* p. 455 n. 273 « Eodem recurrente die quo antecedens professio incepit altera est sufficienda » et in nota 3 « Non autem eadem hora, nam novus actus per integrum eundem diem poni potest (can. 34 § 3, n. 5). Unde si nova vota aliquot horis retardentur, interim religiosus prioribus manet alligatus. *Vicissim, adveniente die, etiam prima hora discedere potest* ».

Idem, eodem loco legitur in editione CHELODI-BERTAGNOLLI.

CAPPELLO S. I., *Summa iuris*, t. II, n. 613: « Tempus professionis temporariae finitur recurrente eodem die; i. e. per totam istam diem integrum est professo renovare professionem aut abire. Donec professus alterutrum elegerit, manet in statu quo ante, quia supputatio fit de die in diem ».

MATTHAEUS a CORONATA O. M. C., *Institutiones iuris can.*, I, n. 592: « Tempus professionis tempora-

riae dicitur finiri non incipiente « sed recurrente eadem die »; i. e., per totam istam diem, integrum est professo *renovare,* assentiente legitimo Superiore, *professionem, vel abire.* Et ab illo momento quo vota renovata sunt vel professus abiit, vota priora cessabunt et locus erit regulae: dies incoepta pro completa habetur ».

Cicognani, *Commentarium ad L. I Codicis*, p. 197. Ad can. 34 § 3, 5 « Hic est peculiaris casus, in quo, quamvis terminus non coincidat cum initio diei et ideo primus dies non esset computandus (can. 34 § 3, 3°), computantur tamen. Si professio temporaria ad triennium facta fuerit die 20 ian. 1920, ab incipiente die 21 ian. 1923 expleta computanda esset. Attamen « recurrente die quo incepit, tempus finire reputatur ».

Consequenter seu logice etiam nobiscum sentire debent quotquot in n. 5° § 3 can. 34 dispositionem peculiarem, diversam a n. 3° agnoscunt, et finem temporis statuentem, recurrente eodem die. Ita Blat O. P., in can. 34, 5°; Prümmer O. P., *Manuale iur. can.,* cap. II ad q. 34, 5 et q. 252; Claeys-Simenon, *Manuale,* ad n. 654, II, p. 384; De Meester, *Iuris can. et iuris can. civ. compendium,* n. 288 et 1051; Fanfani O. P., *De iure religiosorum,* ad n. 246 et 269 A; Toso, ad can. 34; Oesterle O. S. B., *Praelectiones iur. can.*, c. 34.

Aliter tamen opinari videtur Maroto C. M. F., *Institutiones,* p. 284; et expresse contradicit Michiels, *Normae generales,* II, p. 156.

Maroto enim, l. c. existimat nullam in n. 5°, haberi exceptionem ad casus praecedentes, nec inde colligi posse diem inceptam aliquando pro completa haberi. Quare « si electio ad triennium facta fuerit die 25 sept. 1916, tempus triennii, sic ipse, computatur ab incipiente die 26 sept. et finitur expleto ad mediam noctem die 25 sept. 1919. Attamen renovatio facienda

est antequam tempus complete elabatur, ideoque novus actus per integrum eundem diem quo tempus expletur poni potest ac debet ».

Plura autem, pace dixerim bene meriti scriptoris (1), obstant quominus haec ullatenus probari possint. Etenim: *a*) Dum secundum can. 34 § 3, n. 5 tempus finitur eodem *recurrente die,* R. P. MAROTO scribit: eodem recurrente et *expleto* eodem die. *b*) Dum Codex habet « eodem recurrente die quo incipit » MAROTO habet « tempus currit ab incipiente die *sequenti* ». *c*) Ut statim addere possit « finitur *recurrente* et expleto eodem die quo incipit » necesse est ut vocem « incipit » interpretetur ac si legatur « quo tempus currere incipit »; dum Codex manifesto de incipiente *die* loquitur, sicut in n. 4⁰ « incipiente vel expleto ultimo die ». *d*) Renovationem faciendam dicit « antequam tempus complete elabatur », dum Codex, agens can. 575 § 1 de simili casu quo perpetua professio temporariam excipere debeat, vult ut perpetua fiat « expleto professionis temporariae tempore » et can. 572 § 2 ad valorem exigit ut temporaria praecesserit, utique completa. Nescimus an nullus hodie argumenta MAROTI admittat. Ceterum, quod renovatio facta ad normam n. 5 sit anticipata, id sine ullo textus indicio affirmatur.

MICHIELS, l. c. verba « recurrente die » intellegit « recurrente ad normam § 3 n. 2 et 3 »: ast istud additamentum minime est Codicis dictum sed solius interpretis inventio. MICHIELS subiungit « eodem die incipiente vel expleto » dum Codex habet eodem *recurrente* die. Recurrit autem dies a primo initio quo adest. Atque observes etiam (namque istam confusionem factam esse suspicamur) verba: « tempus quo

(1) Cum opus eius iam anno 1918 prodierit, facilius in conciliandis vicinis textibus decipi intellegitur qui vix promulgato Codice hanc miram interpretationem proposuit.

dies incipit » non posse in haec alia converti: « tempus quo dies *computari* incipit »: priora verba ad id quod obiective habetur, posteriora ad legalem quandam aestimationem referuntur. In nota ubi declarat immerito a nobis contrarium (eius placiti) affirmari, hanc rationem subiungit: « quippe cum favor in can. 34 § 3 n. 5° concessus expresse ad solam referatur renovationem ». Ast canon 34, § 3 n. 5 dum dicit « si agatur de actibus eiusdem generis statis temporibus renovandis » expresse se refert ad istos actus sive renoventur sive non. Secus debuisset hoc vel simili modo loqui: « Si renovantur actus... statis temporibus renovandi » renovatio ista per integrum eumdem diem poni potest. Praeterea laudatus MICHIELS ex toto praetermittit hoc generale dictum: « tempus finitur eodem recurrente die ».

Quocirca, ni fallimur, argumentum concludere posse videmur dicendo cum R. P. MAROTO tum R. P. MICHIELS immerito conatos esse n. 5 ad n. 3 reducere, dum, ut scriptores communiter tenent, in can. 5° opportunissime casui speciali prospicitur. Optime, adhaerendo planae explicationi, PRÜMMER, *Manuale*, q. 252 observabat: « De egressu professi libere facto post tempus votorum completum, nihil dicendum occurrit. Res est enim iuridice omnino clara ».

A. VERMEERSCH S. I.

De Contumacia quae committendae censurae est requisita condicio.

Praeter peccatum grave, opus esse contumacia ut censura in peccantem incurrat, manifestum est ex can. 2242 § 1, qui id explicite affirmat his verbis:

« Censura punitur tantummodo delictum externum, grave, consummatum, *cum contumacia coniunctum* ».

Sed dum condicionem istam exigunt, scriptores morales vel canonistae in ea explicanda immorari non solent, ita ut non pauci mera eius mentione contenti sint. Ita nihil nisi canon 2242 reperitur apud AERTNIJS-DAMEN, II, n. 971, apud NOLDIN, etc.

Contumacia generice aliquam superbam obstinationem, pertinaciam significat. In iure ista voce quasi technica utuntur ad eum designandum qui in ius vocatus se praesentem sistere renuit. Quare qui prius absens erat et dein comparet, si iustas absentiae suae causas affert, suam contumaciam purgare dicitur.

Cum agitur de contumacia quae condicio est contractae censurae, plures quos adire licuit consentiunt in laudanda et exscribenda hac descriptione REIFFENSTUEL, *Ius can.* L. V, t. 39, n. 14: « Contumacia consistit in formali aut virtuali (interpretativo) contemptu censurae, i. e, legis aut praecepti Superioris, cui addita est censura... *Formalis* habetur, cum quis ideo legem vel praeceptum violat, ut praecise contemnat auctoritatem, ideoque specialem malitiam importat; *virtualis* (seu interpretativa) habetur, cum quis sciens aliquid sub censura esse prohibitum, nihilominus contra prohibitionem agere audet, quin Superioris potestatem directe contemnere intendat ».

Hanc descriptionem probant et fere iisdem verbis repetunt v. g. WERNZ, *Ius Decretalium,* t. VI, n. 145;

BALLERINI-PALMIERI, *Opus theol.,* t. VII, Tract. 11, n. 17;

CAPPELLO S. I., *De censuris,* n. 24.

D'ANNIBALE, *Summula,* I, n, 326 dicit quoque sufficere contemptum virtualem. Pro huius notione remittit ad REIFFENSTUEL, V, 39, 14.

Attamen § 271 haec habet de *peccato:* « Conceptum accipere debemus vel tantum implicitum et

virtualem; eum nempe qui continetur in ipsa legis violatione facta scienter ac libere ». Atque in nota 4 adiungit: « Secus vix aliquid peccatum erit ».

SUAREZ, *De censuris,* nihil valde utile ad nostrum propositum habet.

Itaque nobis licet quoque astipulari definitioni datae a REIFFENSTUEL.

Verum haec ansam praebet quaedam quaerendi, quibus notio contumaciae magis clarescat.

1. Ut contumacia habeatur, estne opus ut peccans noverit quanam censura suum delictum puniatur, an satis est ut cuiuspiam censurae contrahendae sit conscius?

Atque id sufficere arbitramur cum CREUSEN S. I., *Epitome iur. can.,* III, n. 422.

Namque qui peccat, non obstante cognitione cuiuspiam censurae, necessario auctoritatem Superioris punientis virtualiter contemnit, ac proin contumax dicendus est. Sin aliter nimis raro efficax foret lata censura.

2. Sufficitne ad contumaciam suspicio censurae?

Hic distinguendum est inter eum qui facilem occasionem dissipandi dubium neglegit et alium qui huiusmodi opportunitate caret.

Priori ignorantia crassa vel supina imputanda est, quae a poena non excusat nisi verba legis postulent scientiam, praesumptionem, temerarium ausum, vel quidpiam huius generis.

De altero etiam dubitari possit. Etenim qui censuram suspicans peccat censetur peccatum committere velle nonobstante censura, si qua sit, ac proin reus dici possit virtualis contemptus auctoritatis, sicut graviter eum peccare existimant qui, grave peccatum suspicatus, peccat, quia putatur peccatum etiam ut grave acceptare.

Quia tamen recepta ab optimis auctoribus definitio postulat ut committatur quidpiam quod *scitur* esse sub

censura prohibitum, et suspicio nequit scientia vocari, respondemus de censura contracta non constare. In dubio autem vinculum censurae neminem ligat.

3. Quid, qui mere noverit casum esse reservatum seu ab omnibus confessariis absolvi non posse?

Cum alia res sit censura, alia reservatio, is probabiliter dici potest censuram ignorare, nec reum dici posse virtualis contemptus auctoritatis punientis, cum reservatio non sit vera poena.

A. VERMEERSCH S. I.

Casus de usu dispensationis

Robertus, missionarius, a Vicario Apostolico obtinuit facultatem dispensandi Philippum super disparitate cultus. Cum Robertus in pagum Philippi pervenisset, detegit eum nondum explevisse sextum decimum aetatis annum. Tunc, cautionibus ab utraque parte rite praestitis, Robertus Philippo duplicem dispensationem concessit, super disparitate cultus et super aetate. Cum alter missionarius rem miraretur, Robertus erudite se defendit: « Usus sum canone 200 § 1: cui delegata potestas est, ea quoque intelleguntur concessa, sine quibus eadem exerceri non posset ».

Resp. Robertus non est usus sed pessime abusus canone 200. Non est legitima interpretatio canonis quae manifeste et directe contradiceret aliis canonibus aut principiis generalibus iuris. Atqui certum est Ecclesiam nolle concedere ut impedimentorum dispensatio ultra id quod exacte obtentum est concedatur.

Classicus est casus eius qui impetravit dispensationem pro uno impedimento et postea, aliud detegens, aliam dispensationem postulare debet. Si posset admitti modus agendi Roberti, res esset simplicissima; si essent decem impedimenta pro quodam matrimonio, sufficeret petere facultatem dispen-

sandi ab uno impedimento ad dispensandum a decem. Haec ridicula suppositio nullo modo conciliari potest cum c. 1050. Verba canonis 200 § 1: « cui tamen delegata potestas est... » fere omnes auctores explicant per hoc exemplum: licet absolvere a censuris si quae forte obstent dispensationi consequendae, saltem ad hunc effectum. Seu licet sumere media necessaria ad finem, removere obstacula, nisi tamen sciatur aliunde talia exigere novum interventum superioris competentis.

Notemus insuper impedimentum aetatis esse unum e valde paucis impedimentis a quibus Ordinarii missionum dispensare non possunt (formula 3, n. 21).

Fortasse tamen Robertus valide dispensavit super aetatem vi canonis 1545 § 3, si causa gravis erat non differendi matrimonium.

JOMBART S. I.

Solutio casuum de Matrimonio qui propositi sunt t. XXI, p. 240*.

Ad I. Quaerebatur utrum parochus qui oblitus erat dispensationis obtinendae ab impedimento quod Ordinarius vi facultatum suarum relaxare poterat, sponsos ecclesiam ad nuptias celebrandas ingressos vi can. 1045 § 3, ut in casu perplexo dispensare posset annon.

Resp. Regulam de casu perplexo applicari posse ad omnem casum gravis et urgentis necessitatis qui extra periculum mortis occurrunt, P. CAPPELLO S. I., in hac Ephemeride t. XX, p. 28*-35*, validis argumentis efficere conatus est.

Verum can. 1045 § 3 facultatem parochi casibus occultis expresse circumscripsit. Itaque, dicemus: si impedimentum erat in loco saltem formaliter occultum seu non cognoscebatur ut impedimentum, parochus sponsos dispensare potuit; si erat palam cognitum, canone 1045 § 3 uti non potuit.

Ad II. Existimamus supplentem vi generalis delegationis ad regendam paroeciam ipsi a parocho Ale-

xandro datae potuisse valide et licite matrimoniis praeesse, cum intra hebdomadam, quando nondum substitutus esse poterat, tum ultra hebdomadam, quando parochus Ordinarium de substituto certiorem facere debuisset. Ratio est, quia delegationem generalem, matrimoniis circumscriptam parochus solis quidem vicariis cooperatoribus concedere valide potest, sed, nostra saltem sententia, nihil prohibet quin, ut ante Codicem, omnes facultates parochiales, universali ratione cum aliquo supplente communicet. Excipienda est iurisdictio fori sacramentalis quae ab Episcopo vel a iure tribui tantum potest. Eam accipit a iure sacerdos substitutus. In casu autem supplens erat ab Episcopo approbatus pro confessionibus. Cfr scripta a R. P. CAPPELLO S. I., *Per.*, XIX, 8*-10*.

Casus de absolutione a censuris.

Titius, vir laicus, delictum commisit sancitum excommunicatione specialissime S. Pontifici reservata. Ipse, dum peccabat, conscius erat de peccato non ordinario, a quo non omnes absolvere eum possent. Perpetrato delicto, fecit confessionem parocho, ipsum rogans ut videret utrum annon expeditam facultatem haberet in istud peccatum. Parochus autem respondit se debita facultate pollere, eumque absolvit, sine ullo onere.

Quaeritur iam :

I. - Titius fuitne affectus censura specialissime reservata ?

II. - Responsio parochi estne ignorantiae an extraordinariae potestati imputanda ?

III. - Si ignorantiae imputanda est, fuitne Titius valide absolutus ?

IV. Postquam errorem parochi edoctus est, quid ipsi agendum superest? Potestne interea ad sacram mensam accedere ?

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

Morale iudicium de actu imperfecto coniugis ab altero separati.

I. — Inter plurimas de reatu gravi inquisitiones quas theologo et confessario vita coniugalis praebet faciendas, aliae solutionem claram immediate accipiunt sive ex Sacra Scriptura aut ecclesiastica traditione, sive saltem ex primis principiis quae recta ratio de vero matrimonio sancit; aliae vero, cum sileat Scriptura et Ecclesia docens, atque agatur de conclusionibus quae longius a principii inconcussi fulgore distant, responsionem postulant magis laboriosam. De prioribus consentientes habemus omnes doctores catholicos. Ita omnes de gravi damnant adulterium, onanismum, actum perfectum solius coniugis. De aliis autem, absente definitione aut authentica solutione S. Sedis, auctores etiam primi subsellii non raro in diversa abeunt. Quod in primis observare licet in argumento ubi bonum sociale tutandum, multiplex rei aspectus ex pluribus finibus matrimonii, gravitas reatus vel excessus timendi, et opportunitas tamen consulendi fragilitati humanae naturae vulneratae post peccatum originale et vitandi conscientiae anxietates postulant ut

caute procedatur et mediam viam, quae a nimia severitate et a nimia benignitate prudenter et tamen firmiter deflectat, teneatur.

Argumentum istud est usus matrimonii.

Atque historice constat summum ingenium et mirabilis discretio quibus excellebat, S. Doctorem Augustinum non immunem fecisse ab errore in ista re. Ipse enim usum matrimonii inter coniuges damnabat qui ad propagandum genus humanum utile esse non posset, ut inter steriles, vel cum uxore gravida (1).

Quae severitas hodie explosa est, ac sententia certa iam est, non requiri ut usus perfectus ad prolem generandam ordinetur, seu ut usus perfectus propter primarium matrimonii finem positive fiat, sed eum usum sufficere qui fiat in matrimonio, dummodo ne proli sit contrarius.

Minus adhuc explorata est quaestio de usu imperfecto.

Ac praeter usum imperfectum qui usum perfectum vere praeparet ita ut unum faciat cum perfecto : — quod numquam improbari potuit, — recepta hodie sententia excusat a gravi labe, immo minime improbat usum imperfectum mutuum quem coniuges exerceant propter finem honestum, v. g. propter finem secundarium matrimonii, saltem si per se proximum pollutionis periculum non inducat. Idque theologi permittunt, etiam si coniuges nullam habeant intentionem perficiendi usum, immo si positive usum perfectum excludant. Audiatur Vasquez in 1, 2, q. 74 a. 8, d. 113 n. 1, 2-4.

Postquam observavit haec a nemine haberi ut mortalia subiungit : « Non contendo haec omnia a peccato veniali excusare ; sed affirmo non esse mortalia ; nam, ut recte notavit Paludanus, praesens et constans matrimonium hoc saltem efficit, ut delectatio quae

(1) Sermo 278, alias de diversis, 34, cap. 9 P. L. XXXVIII c. 1272.

alias mortalis esset non sit mortalis etiamsi limites virtutis excedat ».

Non autem consentiunt theologi morales de actu imperfecto qui fiat a coniuge separatim.

Sententiae. S. Alphonsus, *Theol. mor.,* L. VI, n. 936, ut probabiliorem et in praxi omnino suadendam habet sententiam quae tactum turpem coniugis secum-ipso, absente coniuge, damnat de peccato mortali ; secluso autem proximo periculo pollutionis, delectationem morosam de usu perfecto habito vel habendo cum coniuge, cum communiore sententia, pro qua allegat etiam S. Thomam *(De malo*, q. 15, art. 2, ad 17*)* a mortali excusat ; quamvis maxime hortandos dicat coniuges ut huiusmodi delectatione abstineant. Ut secum de tactu consentientes refert Laymann, Sporer, Vasquez, Salmanticenses et quosdam alios ; pro sententia benigniore quae eos a mortali excusat, quia « ab ipso statu coniugali cohonestantur (1) » Sanchez cum Paludano et Lopez, allatum a Salmanticensibus qui allegant quoque Ioannem Praepositum in 3 Part. S. Thomae.

Inter recentiores, sententiae S. Alphonsi, cum moderamine ipsius S. Doctoris, adhaerent Cl. Marc-Gestermann C. SS. R., *Institutiones*, II, n. 2113 ; Aertnys-Damen C. SS. R., *Theol. mor.*, II, 915 ; paulo mitius L. Wouters C. SS. R., *De virtute castitatis et de vitiis oppositis,* n. 102 ; Merkelbach O. P., *Quaestiones de Castitate,* etc., p. 91, III.

Tactus ipsos et non solam delectationem morosam, secluso proximo periculo pollutionis vel consensus in eam, a mortali excusant, praeter iam allegatos anterioris aetatis doctores, Gury S. I., II, n. 701 ; Lehmkuhl S. I., *Theol. mor.*, II, 1073 ; Bucceroni S. I.,

(1) Si cohonestantur, cur, id quaeres, dicuntur venialia peccata ? Sed de hac re infra.

Institutiones[6], T, IV, 1082. 1083 ut probabilius (1); Berardi, *Theol. mor.*, II, n. 850; Koch, *Lehrbuch der Moraltheologie*, 3, p. 639, nota 1; Franciscus, *De actibus coniugum qui dicuntur imperfecti* (ex *Eccles. Review*, 1925, p. 5); Ubach S. I., *Compend. Theol. mor.*, II, n. 872; Génicot-Salsmans S. I. ed. 12, II, n. 547; Noldin-Schmitt S. I., *De sexto Praecepto et usu matrimonii*, ed. 19 et 20, n. 93, qui, obiective, ne venialem quidem malitiam agnoscunt.

Neutras partes amplectuntur d'Annibale, *Summula*, III, n. 469, nota 11; Ballerini-Palmieri, *Opus theol. mor.*, tom. VI, n. 378. Ios. Alberti, pro severiore sententia dicere videtur, sed movetur sua restricta ratione intellegendi delectationem veneream (Cfr *De sexto et nono decalogi praecepto*, n. 163). Sententia propria abstinet quoque Sabetti-Barret, *Compendium*, ed. 33, n. 9375.

II. — Fas iam nobis sit nostram sententiam in hac re controversa modeste sed sincere aperire.

In primis observamus triplex in legitimis coniugibus principium ordinis quod ad actus imperfectos esse posse: *statum matrimonialem; actum ad quem in contractu (sacramento) matrimoniali fit mutua traditio; finis primarius ad quem actus iste ordinem habet* (seu proles).

Age vero, ultimum istud merito deseritur, uti supra diximus. Communiter ergo ex ordine ad actum perfectum, qui honestus est, colligunt honestatem actus mutui. Defectus autem istius ordinis, ut ipsi dicunt, graviter vel leviter inhonestum efficit actum imperfectum coniugis separatim factum.

Si tamen rem pensemus, quisnam ordo ad actum perfectum servant actus imperfecti, quando actus per-

(1) Fusius et magis aperte in tractatu speciali de sexto Praecepto.

fectus positiva voluntate excluditur? Et num re vera auctores ex ista relatione honestatem colligunt? Paludanus, in loco citato a Vasquez, mere appellabat « praesens et constans matrimonium ». Ipse Vasquez, cum admittat tactus inter coniuges interdum ad copulam non ordinari, quae tamen a mortali excusat, non videtur hac relatione (quam negat) motus fuisse.

Nonne igitur melius cum Sanchez, d. 44, n. 12 dicendum: « matrimonium haec omnia a mortali excusare » nempe recurrendo ad aliud principium ordinis in coniugio, *ad ipsum statum matrimonialem?* Et de facto ita fit a multis auctoribus qui actus imperfectos separatim factos, a gravi excusant quia « ab ipso statu coniugali cohonestantur ». Sed quomodo fiat illa cohonestatio? quomodo coniugium argumentum directum afferre possit ad diiudicandos actus istos? Adhuc desideratur explicatio.

Nobis videtur tentari posse illa via a probatis auctoribus indicata. Sane mirum esset si ipse status matrimonialis, quo coniuges pro tota vita ligantur, non posset aliquam afferre normam ad iudicandos illos actus qui propriissime sunt coniugum ut coniugum, cum in aliis vitae statibus ab ipsomet statu lumen repetatur quo complete dignoscatur malitia actus in concreto, v. g. talis sacerdotis ut sacerdotis, talis religiosi ut religiosi.

Praeprimis scrutari oportet quid sit status matrimonialis, unde oriatur et praesertim quomodo. Vulgo eo nomine venit vita coniugalis, idest vita communis duorum amore coniunctorum ad pueros procreandos; sed, accurato conceptu, intellegitur coniunctio perpetua et exclusiva viri et feminae in ordine ad generationem prolis. Iam vero, quomodo exsurgit ista coniunctio? Hic sedulo considerari debet aliquid maximi momenti, utpote cardo totius demonstrationis.

Oritur *ex aliquo contractu,* quo vir et mulier, nullo

iure impediti, mutuo tradunt et acceptant « ius in corpus, perpetuum et exclusivum, in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem » (Codex I. C., can. 1081 § 2); aliis verbis, matrimonium in esse originem ducit ex matrimonio in fieri.

III. — Ex quo contractu iam exsurgit contrahentibus relatio nova inter finem primarium unionis, simul suis proprietatibus essentialibus stipatae, et aliqua media apta: quae quidem sunt actus coniugales seu perfecti. Cum finis sit cuiuslibet ordinis principium, istius novi ordinis constituti finis erit criterium ultimum et irrefragabile quo disgnoscentur media, utpote apta aut inepta. Et sic perfecti coniugum actus suam moralitatem ultimatim accipiunt ex generatione prolis per se possibilis. Recte igitur a doctoribus traditur principium: quidquid est iuxta finem coniugii est coniugibus licitum; quidquid contra eundem, graviter illicitum, tamquam gravis deordinatio circa ordinis principium, nempe finem. Attamen, etsi optimum et fundamentale in quaestionibus de matrimonio, finis tamen saepe remanet ad instar principii primi in agibilibus, ut lumen omnino remotum, quod vix claritatem afferre queat in conclusionibus longinquioribus, uti initio diximus.

Vim suam sane retinet in iudicio morali de actibus perfectis mutuis aut separatis; de imperfectis vero, praesertim separatis, adhuc desideratur aliquid « complementarium », ut ita dicamus. Ulterius igitur progrediamur in analysi contractus, cum directa solutio iam ex eius obiecto peti posse non videatur. Quanam causalitate producitur istud obiectum, nempe illa nova realitas, ille novus ordo constitutus finem inter et media? Omnis contractus est actus voluntatis quo contrahentes conveniunt de aliquo praestando aut omittendo; *contractus autem matrimonialis,* ad

dignitatem sacramenti evectus, istam naturam servat, et proin *est actus voluntatis quo vir et femina habuerunt intentionem actualem, aut saltem virtualem, sese obligandi ad invicem circa actus per se aptos ad procreationem, et quidem* — sedulo notetur — *in perpetuum et exclusive:* quae quidem sunt contractus istius proprietates essentiales. Intentio illa quae fuit *causa contractus* primi momenti est in re ista, cum agatur de voluntario. Porro haec voluntatis intentio in obiectum propositum et electum, complectens iura et debita, est viventibus contrahentibus irrevocabilis, quia intrinsece et extrinsece firmata est; et haec est irrevocabilitas *effectiva,* scilicet quae a parte rei ut effectus proprius et necessarius illius prorsus specialis contractus fuit constituta. Sed *irrevocabilis non est illa intentio affective,* i. e. voluntas quandoque *ex toto affectu* ab illo obiecto necessario sese avertit, et, quantum in se est, ad modum desiderii inefficacis, consensum retractat et proin contractum moraliter rescinderet, si rescindi posset. Cogites mulierem quae completum actum perficit cum viro suo sed mente adultera: intentione illa affectiva violatur contractus exclusivitas.

Quibus ex dictis patet quod circa substantialia initi contractus, scilicet circa finem primarium et proprietates essentiales, gravis deordinatio oriri potest, ut saepe de facto oritur. Iam vero in omni actu qui dicitur graviter deordinatus in coniugibus, nobis videtur eo ipso declarari quod contractus matrimonialis non fuit fideliter servatus, revocatione aliqua affectiva, uti supra explicavimus. Ad rem enim recolere iuvat multorum auctorum animadversionem de malitia pollutionis apud coniugatos, nempe adesse etiam malitiam adulterii. Nonne idem sonat ac si diceretur quod ille actus completus separatim factus pugnat contra praedicti contractus irrevocabilitatem?

Si res ita se habent, *e converso,* nonne fideliter servatus censeri debet quoad substantialia, nisi revocetur, affective dico, per aliquam intentionem actualem, volendo contrarium, aut virtualem, per actus incompossibiles cum illa fidelitate? Et re vera hoc modo servatur: actus voluntatis qui fuit causa contractus olim positus adhuc viget, sed neque actualiter neque virtualiter influit in omnes actus coniugum carnales, sed *habitualiter* tantum, i. e. ut non retractatus, non revocatus. Aliis verbis, *omnes actus coniugum carnales referuntur ad contractum matrimonialem, relatione illa quae ab initio vim obtinuit, et quae non fuit unquam aut explicite aut implicite revocata.* Et certo certius hoc plane congruit cum notione classica intentionis habitualis, seu relationis habitualis alicuius rei ad finem intentum. Dicitur enim aliquid habitualiter referri ab agente « quod particulariter aut sub universali aliqua ratione per modum obiecti in aliquem finem refertur, v. g. omnia opera diei in honorem Dei ». (Frins, *De actibus humanis,* T. I, n. 56). In statu matrimoniali viget illa intentio praedicta referendi omnia sexualia ad finem contractus et hoc quidem sub universali ratione secundum essentiam et illius proprietates. Et licet coniux, cum hic et nunc tale opus carnale in particulari exerceat, non agat vi illius intentionis aut ob finem olim propositum, tamen censetur illam priorem intentionem sincere et absolute olim positam nullo modo revocasse. Quod quidem ultimum nititur in illa naturali humanae voluntatis inclinatione inhaerendi obiecto quod libere et perpensis omnibus eligere decrevit. Et in foro externo sapientissime voluit Ecclesia quod « consensus praestitus praesumitur perseverare, donec de eius revocatione constiterit ». (Cod. I. C., can. 1093).

IV. — Quae declarata sunt iam applicare est ad actus imperfectos.

Illi actus, materialiter considerati, non differunt in solutis et in vinctis ; sunt enim ex naturali ordinatione psychologice et physiologice aut necessarii aut saltem utiles ad actum perfectum. Sed formaliter discrepant : ex contractu enim matrimoniali acceperunt relationem novam remote ad finem contractus et proxime ad ipsos actus perfectos. Sicut illi et ipsi ex illa nova relatione moralitatem colligunt. Sunt prohibiti solutis, quia prohibita copula ; liciti coniugibus, quia licita copula. Unde non recte dicit Palmieri (Ballerini-Palmieri, T. VI, n. 378, nota, 3ª ed.) : « in solutis tactus impudicus non est malus ex eo tantum quod non ordinatur ad copulam, sed *ex seipso* ». E contrario debet dici : « In utroque sexu actus non consummati luxuriae dicunt *secundum se* praeparationem ad actum consummatum et ex illa ordinatione suam moralitatem hauriunt » (Vermeersch, *Th. Mor.*, T. IV, p. 79). Et P. Noldin egregie iam notaverat : « Delectatio venerea intra matrimonium quaesita *in se* licita est... nec tum solum eis licita est quando copulam intendunt, sed etiam quando copulam aut habere non possunt, aut habere nolunt » (*De Sexto*, n. 93). Et re quidem vera bene concipitur quod usus cuiusdam facultatis et naturalis propensionis non sit in quovis statu licitus ; sed quod *in se* illicitus sit, id admitti nequit quin ipsam naturam de vitio arguas. Nec satis ; ut inquisitio de illis actibus compleatur, eorundem relatio ad statum matrimonialem est consideranda ; sicut actus perfecti, ita et ipsi ad istam voluntatem habitualem agendi secundum initialem de carnis opere consensum profecto pertinent. Sunt enim *actus coniugis ligati et fidelis donec contrarium probetur.* Nonne facilius ex hoc capite quam ex sola ordinatione ad actum completum multos casus solvere possis?

V. — Ulterius progrediendo ad actus incompletos *solitarios*, statuimus illos quoque illam volitionem partici-

pare qua olim contrahentes ad finem cognitum et volitum actus carnales *quoslibet* ordinaverunt; et proin *habitualiter esse relatos ad contractum matrimonialem,* atque ex illo fonte moralitatem suam accipere. Ergo, nisi expresse per intentionem actualem aut implicite per intentionem virtualem (puta per pollutionem quaesitam, qui est actus prorsus solitarius), ab ista ordinatione divertantur, contra illam habitualem volitionem positi esse non censentur. Nec quid mirum, cum oriantur ex consensu *mutuo et exclusivo cuiuslibet alius personae.* Et ideo non solum sunt actus coniugis, sed etiam actus *coniugii,* quatenus intra coniugii limites ponantur, scilicet quatenus suam irrevocabilem ordinationem ad unam et perpetuo eamdem compartem semper retineant. Ad rem Sanchez referre liceat, in eius tamen sententiam ulterius procedendo: « Nec dici potest eum tactum non esse actum coniugis, quia non habetur cum coniuge. Quoniam ut actus coniugis sit, non desideratur eum cum coniuge fieri, sed satis est ut ad *coniugium praesens* suapte natura ordinari possit, nec ab hac natura ex intentione illa utentis deviet » (*De Matr.*, L. 9, d. 44, n. 16). Diximus : ad praesens coniugium iam est habitualiter ordinatus. Ad exemplum classicum id applices mulieris quae se turpiter tangit ut absente coniuge incomplete fruatur. Contra essentiam initi contractus nihil affective ponitur, cum praecise satisfactionem separatam completam positiva voluntate excludat; et ideo actus remanet ordinatus ad suum et unicum virum, habituali illa ordinatione omnia sexualia ad eundem referendi. Placeat ergo strictissimo sensu solitarios non denominari nisi illos actus e quibus coniux irrevocabiliter electus expresse excludatur.

VI. — Ex dictis vides quod contractu matrimoniali ius in proprium corpus uni coniugi datur ratione

finis ab utraque comparte attingendi, et ex illo fine communi determinatur atque regulatur. Licet ius primario in alterius corpus conferatur, tamen correlative et in proprium corpus ius tribuitur. Quod quidem dicere videntur auctores qui cum Sancto Alphonso actus imperfectos separatim factos de gravi arguunt, quod in matrimonio non nisi « per accidens » ius detur in corpus proprium. Minus tamen placet vox illa; siquidem quomodo « per accidens » denominari potest illud quod ex aliquo iure concesso et correlative naturaliter et necessario sequitur? Num dicitur « per accidens » in nostro statu lapso finis matrimonii secundarius, remedium concupiscentiae? Attamen si solum enuntiare intendant illi auctores quod ius in proprium corpus detur ratione iuris in corpus alterius, non statuunt nisi criterium quod exposuimus et ut saepius incompletum declaravimus.

Inde quoque vides quid sibi velit *praesentia* aut *absentia* alterius coniugis, qua diiudicaretur deordinatio actus solitarii qui dicitur, cum in nostra praesenti inquisitione, semper praesupponatur, uti luce meridiana clarius, proximum abesse pollutionis periculum. Iam vero praesentia est condicio physice necessaria ad actum completum; ad incompletum vero non requiritur. Quod tamen semper et ubique requiritur ut condicio absolute necessaria est *praesentia moralis alterius coniugis,* quae quidem secundum superius exposita intelligi debet. Etenim ut actus imperfectus solitarius suam relationem servet ad statum matrimonialem, requiritur et sufficit ut ubique habitualiter referatur ad alterum coniugem, unicum quidem et perpetuo eundem, qui eo ipso fit *ubique praesens in statu matrimoniali.* Recolere faveas actum imperfectum solitarium cum intentione adultera immo et ipsum actum completum mutuum cum eadem mente perversa, suam deordinationem moralem proxime accipere ex eo

quod non sit moraliter praesens coniux unus et perpetuo idem. Paucis verbis: duabus essentialibus proprietatibus coniugii contractus non affective revocatis, perfecte constituitur illa praesentia moralis absolute necessaria.

His omnibus rite explicatis, nonne accuratius intelligitur quid intendant illi doctores qui actus imperfectos separatim factos arguunt de levi peccato, propter illam « cohonestationem » a statu matrimoniali factam? Eruitur illa « purgatio » illa « cohonestatio » ex ipsa *analysi* intimae et necessariae *connexionis* quae viget inter consensum praestitum et vitam ad normam eius protractam, seu *inter matrimonium in fieri et matrimonium in esse in ratione voluntarii.*

VII. — Age vero, his statutis, in aperto est non de gravi certissime damnandum esse actum coniugis imperfectum solitarium, utpote nulla ex contractu essentialia affective rescindentem, nisi, ut patet, in concretis adiunctis, proximum adsit periculum pollutionis: tunc etenim non agitatur quaestio de eius moralitate. Sed estne arguendus de levi reatu? ut aliquid saltem *de se* peccaminosum et deordinatum? Secundum principia a probatis auctoribus tradita de usu delectabilium, id omnino negandum est.

Etenim inter multa bona sensibilia quae homines appetere valent et quibus adnexa est delectatio, duo praesertim attendenda sunt utpote necessaria sive absolute sive hypothetice, nempe illa quae ad vitam propriam conservandam, ut cibus et potus, requiruntur, et illa quae ad speciem propagandam necessaria sunt, uti sunt actus coniugales. Iam vero utriusque generis bonis a divina Providentia fuit apposita delectatio qua homines magis ad ea quaerenda allicerentur. Priorum moralitas colligitur ex eo quod fiunt aut propter finem operis, aut propter solam voluptatem, aut cum voluptate, etc. Sed cur altera non eodem modo iudicare velis? Sunt re vera et ipsa coniugibus appetibilia et

immo ex contractu matrimoniali licita, cum ad invicem sese iura tradiderint ad illa delectabilia in ordine ad generationem prolis, finem intentum. Et ideo sicut contractus ratio est cur actus liceant ratione obiecti liciti, ita est ipsemet ratio cur delectatio sit et ipsa coniugibus licita. Unde recte dici debet statum matrimonialem, nempe consensum habitualiter vigentem inter compartes, eundem locum obtinere ad moralitatem coniugis satisfactionum statuendam ac rationalis hominis statum ad alias omnibus communes satisfactiones, ut manducationem et potationem, diiudicandas. Illa praecise comparatione utitur Sanctus Franciscus Salesius, quando suae « Philothée » vult exponere generales de usu matrimonii regulas, nempe septem, quas clare et castissime omnes evolvit ex illo unico fonte, scilicet ex cibi et potus appetibilitate (1).

Quae cum ita sint, concludere fas est actus solitarios coniugis imperfectos non esse *per se* ullum peccatum, cum iam relatione illa habituali, uti supra exposuimus, ad statum matrimonialem pertineant ; necnon et ipsa eis adnexa satisfactio. Cum autem ex illis actibus moralitatem hauriant, si illi non sunt deordinati, nec et ipsa satisfactio inordinata erit. Unde nulla alia ratione indiget ut perfecte cohonestetur. Sunt enim quaedam quae cuique homini per se licent et alia quae non licent nisi assumpta condicione, ex qua tunc rationem cur sint liciti reperiunt. Ita ratione proximi coniugii quaedam sponsis permittuntur quae in aliis reprehenderentur ; multo magis quaedam ratione coniugii praesentis et permanentis honestantur quae extra matrimonium gravem reatum efficerent. In quo statu igitur delectationes istae *per se licitae* dicendae sunt, et non iam per se illicitae, ita ut honestari non

(1) *Introduction à la vie dévote,* L. III. c. 39 : De l'honnêteté du lit nuptial. « J'expliquerai ce que je ne puis dire des unes par ce que je dirai des autres... ».

possent nisi ad matrimonium altera circumstantia accederet. Et modo P. Noldin, postquam monuerat delectationem veneream *intra* matrimonium quaesitam esse *in se licitam,* ipse merito subiungit: et cum actus imperfecti « quos coniugatus in proprio corpore exercet ad actum coniugalem ordinari possint, non extra sed intra matrimonium delectationem quaerit coniugatus » qui actus supradictos facit. (*De sexto,* n. 93). Eiusdem sententiae esse videtur Génicot (T. II, n. 547) qui eosdem non damnat de veniali, nisi ut inutiles seu otiose quaesitos. Si igitur iidem honeste quaeruntur (ex varia ratione qua delectatio honeste quaeri potest) eos logice immunes ab omni labe habere cogitur. Immo nonne de aspectibus idem tradit Sanctus Ioannes Chrysostomus, Homilia 17 in Matthaeum (P. G., 57, c. 257): « *Εἰ γὰρ βούλει ὁρᾷν καὶ τέρπεσθαι, ὅρα τὴν σαυτοῦ γυναῖκα, καὶ ταύτης ἔρα διηνεκῶς·* » (ubi ex contextu vox « *ἔρα* » potius quam « ames », vertenda est « *cupias* »).

At non negatur « per accidens » peccatum leve adesse posse; sicut in omni alia delectatione sensibili, ex modo, ex fine, etc.

Quae dicta confirmantur quia status tam necessarius humano generi quam matrimonium nequit esse *per se occasio perpetuae anxietatis.* Foret autem, si, absente coniuge, alter se perfecte cohibere sub gravi deberet. Maxime si cum quibusdam allegatis a Vasquez quos sequitur De Smet (*De sponsalibus et matrimonio,* n. 128), severitatem extendas ad morosas delectationes quae in parte inferiori repercutiantur, contra apertam sententiam S. Chrysostomi in homilia citata, ubi tam pulchre modestiam oculorum inculcat.

Restat ut duabus obiectionibus satisfiat. Dicit S. Paulus in I Cor., c. 7, v. 4: « Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier ». At facile hac observatione diluitur, quod Apostolus lo-

quitur (uti patet contextum legenti) de usu perfecto, qui mutuus esse debet ne sit luxuria secundum vel contra naturam. Aliam difficultatem affert Vasquez, qui damnat de gravi tactus solitarios ex illo principio quod non « est actus coniugalis, cum non fiat cum coniuge » (in I^{am} II^{ae}, q. 74, a. 8. d. 113, n. 4 in corpore). Respondeo quod neque cum coniuge facti isti actus sunt proprie dictus actus coniugalis. Immo saepe nec stricte cum coniuge fiunt. Separatim facti non ideo dici possunt non esse actus coniugis, quia ut actus coniugis sint, sufficit ut ad coniugium praesens habitualiter relati sint, aut ut notaverat Sanchez, « suapte natura ordinari possit, nec ab hac natura ex intentione illa utentis deviet ». Ac re vera, sicut mente adultera potest quis etiam in usu cum coniuge peccare, et sese ponere *extra coniugium,* ita mente fideli potest coniux *solus* se ponere vel firmare in coniugio.

VIII. — *Ad praxim* quod attinet, norma agendi ad personarum et locorum adiuncta exigenda est. Ubi completa cohibitio, sine notabili incommodo, obtineri potest, haec praeferenda erit, iam ob hanc rationem quod est perfectior, sicut laudandi sunt coniuges qui propter solum finem primarium coniugii coniugio sine incommodo utuntur. Immo cum agatur de tam insolenti passione, eam cohibitionem prudenter suadendam esse dixerim, sed non excitando perpetuam anxietatem quae oriretur si coniux propter alterius absentiam omnia sub mortali fugere deberet quae sine scrupulo in coniugio admittere poterat, cum sint per se licita. Ad rem apposite Berardi (II, art. 4, n. 850): « Coniuges... huiusmodi delectationibus sunt nimis expositi: unde, si deberent sub gravi cavere ne iisdem consentirent, tunc matrimonium in laqueum damnationis converteretur; et proin talis lex subsistere non potest ».

LÉON BOUVIER S. I.

De Frustulo et Coenula quadragesimali

Consilium nobis non est exponendi totam legem de observatione quadragesimali: de sola iusta quantitatis permissae aestimatione agemus. Neque ad tam multa quae de hoc puncto scripta sunt nova addere cogitamus. Sed velimus, quod magis utile esse putamus, ex variis recitatis placitis probatorum de re morali scriptorum normas tutas et securas colligere quibus in metienda copia ciborum se dirigat fidelis qui, quod ad litteram et mentem, Ecclesiae docilis filius esse voluerit. Neque eum docilem filiorum habemus qui gravia tantum peccata vitare animo destinavit. Quare quid mortale quid veniale sit in hac re disputare vel referre prorsus supersedebimus.

Itaque disputatio nostra in duo capita commode dividetur: in priore sufficienti numero auctorum sententias referemus; in altero ex his collectas conclusiones declarabimus.

Ea autem intentione scribimus, ut plures magis prompti sint ad servandam legem quae animis corporibusque medendis prudenter est instituta.

Caput I. **Doctorum sententiae.**

S. Alphonsus, L. VI, 1004 ss. Praeter coenulam, nondum ut formaliter permissam agnoscit parvam refectionem matutinam quam « frustulum » vulgo nominamus. Permittit tamen ex rationabili causa ut sumas unciam chocolati cum dimidia uncia sacchari, mixtas aqua qua cyathus ordinarius impletur. Sinit quoque ut, non frequenter tamen, sumatur ante potum aliquid cibi « ne potus noceat ». Ex rationabili causa permittit, post S. Thomam (2, 2, q. 147, art. 6 ad 3), quoque « electuaria » in modica quantitate (1).

(1) Electuaria sunt quidquid molle sorbetur, ut pastillus. « Gelée, confitures, bonbons, fondants, pastilles, pâte de jujube, amandes, conserves » (Merckelbach, n. 951).

Rationem meri potus habent, ex S. Doct., caffè, thé (1019), vinum, cervisiam, aquam mixtam parva quantitate sacchari, malo cedrina « limonata, sorbette », etiam si congelatam sumas.

(1021) Cum Busembaum negat lac habere rationem potus, et hoc dicit communiter doceri.

De *coenula*, quod ad quantitatem et qualitatem, praecipue attendendam esse dicit *consuetudinem* locorum. Normam *relativam*, quae quintam vel quartam partem coenae (1) permittit, parum acceptam habet, quia « potest esse nimis indulgens, vel saltem est valde obscura scrupulisque obnoxia » (n. 1025). Potiorem habet normam absolutam octo unciarum, quam omnibus indistincte permittit. Ut communiter receptum refert plus sumi posse ab eo qui maiore nutrimento eget. Cum neget octo uncias vespere sumi posse panis cum aqua cocti, S. Doctor non videtur cuiuslibet cibi octo uncias permittere, sed ad qualitatem ciborum attendendum esse opinatum.

Distinctionem in coenula piscium maiorum et pisciculorum quam non nulli urgebant, S. Doctor non videtur magni facere.

Lehmkuhl S. I., I, 1464. *Frustulum*, ait, « tum potione earum rerum quae aliquid nutrimenti habeant, ut chocolati, cafeti, etc. cum mixtione sacchari, tum parva panis quantitate consistere potest, ita ut quantitas rerum nutrientium duarum unciarum pondus non excedat ». Quia tamen lex ieiunii a solido cibo magis quam a potu aliena est « regulam sane laxiorem ille statuerit, qui duas uncias panis permiserit, etsi pro potu vix aliquid nutritivi sumat ». Id tamen ei permiserit qui aliter ieiunii laborem non ferat.

In coenula octo unciae absolute permittuntur, levioris tamen cibi; ita ut qui abundantiore cibo indigeat unam alteramve unciam addere licite possit. Neminem novit qui licitam quantitatem ad tertiam partem plenae refectionis aestimaret, putat tamen octo uncias tertiae parti non raro aequivalere.

In pulti (seu offa) non permittit nisi ut ex 4 vel 5 unciis farinae, faborum sumatur, quia ad saturitatem quoque attenditur.

Ballerini-Palmieri S. I., *Opus theol.* II, n. 1120. Caffè et thé ad libitum permittuntur. Graves viros doctosque audivit generatim statuentes non esse inquietandos qui ad solam quantitatem attendant, quidquid demum sumant. Et eum esse Germaniae usum subiungit (1126. 1127). Consuetudines servari debent (1128).

(1) Intellegas plenam refectionem.

AERTNUS-DAMEN C. SS. R., I, 1046. 1047. Licet refectionem matutinam cum vespertina permutare. Indigentibus licet (extra refectiones permissas) mane sumere unciam electuariorum.

Potus non frangit ieiunium, si verus sit; quod non est lac. Licet in coenula quartam prandii partem sumere, sed melius statuuntur octo unciae. Qui maiore nutrimento opus habent paulum excedere possunt.

PRÜMMER O. P., II, 652. Vim consuetudinis firmat. N. 655. 656 permittit in coena octo uncias cibi solidi sed levis; nec distinguendum putat utrum an non sint coctae. Regulae quartae vel quintae partis prandii regulam de octo unciis praefert.

Computari non debet liquidum, qua e caffè vel thé, cum parva quantitate sacchari vel lactis.

BERARDI, t. IV. Pro coenula suprema regula est praxis timoratorum. Mensura octo unciarum valet de pane, piscibus, fructibus exsiccatis, sed nimis severa foret de pomis, de uva recenti, acetariis (insalata) et de cibis qui multam aquam continent. Non ideo minuenda est quantitas quia aqua decoquitur.

Ieiunium non solvit qui, necessitate excusatus, quidpiam plus solvit. Usus est apud nos ut mane « chocolatum » cum pane ponderetur; nec cum caffeo ultra unam unciam cum dimidia panis sumatur.

BUCCERONI S. I., *Instit.* ed. 6, vol. II, haec habet: n. 1580. Per liquidum quod impune a ieiunante sumi potest « id solum intellegitur quod ex communi usu sumitur per modum potus, non vero per modum cibi, ut lac, etc. ».

N. 1582. Caffè et thé probabilius non frangunt ieiunium, nisi nimia sacchari copia admisceatur.

Serum lactis proprie dictum uti simplex potus, vel potius ut medicina habetur. Atque ex BILLUART O. P. *(De temperantia,* dissert. 2 art. 5 § V): « Thé et cafetum... videntur mihi habere rationem potus nec solvere ieiunium, nisi forte multum lactis et sacchari immisceatur, et sumantur in magna quantitate ».

N. 1585. Totalis quantitas chocolati et panis duarum unciarum pondus, praecisa aqua, excedere non deberet.

N. 1586. Semel aut iterum in die licet ante potum aliquid sumere; « immo urgebit obligatio aliquid sumendi si hoc ad ieiunium servandum sit necessarium ».

N. 1593. « Quantitas 8 unciarum nemini neganda videtur: maior autem concedenda iis quibus haec non sufficient. Sane statui nequit regula omnino fixa.... Licet in genere sumere

quantum necessarium quis ducit ad evitandam indispositionem quae ipsum impediat quominus officia sua convenienter obeat ».

De qualitate locorum usus consulendi sunt.

N. 1599. 1600. Quantitas minuenda est si decocta.

N. 1605. Nisi distinctio clare exprimatur, dispensati ad lacticinia censentur ad ova dispensati.

GÉNICOT S. I., ed. 8, I, n. 437-439. Frustulum ne excedat notabiliter duas uncias; coenula sit 8 unciarum. Iusta de causa haec quantitas augeri poterit, ad 10 uncias. Nec inquietandus est qui hanc quantitatem paululum augeat quia id sit ipsi moraliter necessarium.

Tuta est sententia quae indulget octo uncias cibi etiam decocti aqua. In multis regionibus, ut in Belgio, quivis cibi praeter ova, carnem et ius e carnibus, in collatione sumi possunt. Severior tamen consuetudo servanda est. Cibus censetur « quidquid principaliter inservit nutritioni, sive solidum sit sive liquidum. Ideo prohibentur fructus, lac, mel, oleum (nisi in parva quantitate liquido immisceatur) ».

MERKELBACH O. P., *Summa*, II, n. 951. Prohibetur quidquid per se vel principaliter ordinatur ad corpus nutriendum sive sumatur edendo sive bibendo. Quare prohibetur lac, nisi quod in Tyrolensi regione lac *depuratum* censetur potus rationem habere. Non prohibetur aqua, sicera, cerevisia, vinum, thea, caffaeum.

N. 948, nota « Uncia, subiungitur n. 952, intelligitur romano, quae valet 27-28 gr.; et est 12ª pars librae romanae quae valet circiter 325-330 gr. » Normae relativae adversatur, qua putat legem ieiunii nimis extenuatum iri.

UBACH S. I., n. 368 n. 7-10., multus est in explicando praecepto. Rectius putat minorem quantitatem in coenula permitti panis, oryzae coctae quam non coctae, quia cocta magis satiet.

Magis tamen attendendum dicit ad variam vim consuetudinis, quae variam vim nutritivam ciborum hic observat alibi neglegit.

De lacte hoc habet. Est cibus quidem; sed quia non valde nutrit, tuto agere dicit qui in coenula 12 lactis uncias vel 4 uncias lactis et 4 alius cibi sumpserit.

Neque eos carpit qui ciborum qualitatem non considerant, sed non attendunt nisi ad quantitatem.

FERRERES S. I., *Compendium* n. 610 sq. Maxime attendenda est consuetudo. Normam 8 unciarum praefert normae quartae partis prandii, utpote nimis vagae et scrupulosae.

Repetit ad litteram iam dictum « Statui nequit regula omnino fixa, etc. ».

Panis decocti cum aqua et oleo permittit quinque vel saltem quattuor uncias. Pisces probabiliter sunt liciti sicut pisciculi, sed refert a S. Alphonso dictum, piscium maiorum non esse excedendum pondus duarum vel trium unciarum.

ARREGUI S. I., *Summarium*, n. 447. *Mane* permittuntur duae unciae. Licet sumere cafaeum, theam, parvam quantitatem chocolati vel panis cocti cum aqua et oleo. *Vespere* permittit octo uncias, et cum causa decem; et, ut probabile, etiam oryzae decoctae, panis iurulenti (offae) seu cocti cum aqua et oleo.

Rationem cibi habet lac, iusculum.

Cum vino vel alio potu licet « *semel* vix *iterum* », ne potus noceat, frustulum panis sumere. Electuaria per modum medicinae in parva quantitate permittit.

Nuperrime R. D. BLATON, professor Seminarii Gandavensis, in erudita lucubratione in qua etiam varias historicas ieiunii vices adumbrat (1), normam tuetur relativam, qua « magis ratio habeatur condicionis personae ieiunantis, et reducatur refectiuncula v. g. ad tertiam immo ad dimidiam partem consuetae quantitatis, si hoc necessarium videatur ob complexionem aut officia implenda.

. . . . Fas est, sic ipse, sperare fidelium reditum ad paenitentiam ex legis mitigatione sensu statuto. Cavendum re vera est ne lex tam salutaris, exempli Christis et plurimum litterarum sacrarum commendata desuetudine pereat.

CAPUT II. **Conclusiones inde collectae.**

§ 1. *De ipsa lege servanda.*

1. Ipso can. 1251 § 1 sancitur quod auctores antea tradebant: « Lex ieiunii... non vetat aliquid cibi mane et vespere sumere, servata tamen circa ciborum quantitatem et qualitatem probata locorum consuetudine ».

---

(1) *Collationes Gandavenses*, 1933, p. 16-25.

Quare benigniores quoque monent standum esse etiam usu severiore quam quem ipsi, attenta sola lege, indulgebant in locis ubi iste usus non vigeat.

2. Nullus auctor tamquam principio generali utitur sententia : « Liquidum non frangit ieiunium », sed omnes potum seu merum potum a cibo liquido distinguunt ; permittunt quidem ut potum, praeter aquam, vinum, caffè, thé, cervisiam ; sed lacti, excepto forte sero lactis, vel ubi usus id habeat, lacte depurato *(écrémé)* rationem cibi tribuunt.

Rationem tamen potus servat caffè mixtum *modica* quantitate sacchari, lactis vel « chocolati ».

Ubach S. I., secum reputans quam parum substantiae (15 gr.) lacte contineatur, permittit ut in coenula quae solo lacte consistat, 12 unciae lactis sumantur.

Simile quid observant de cibo qui gravis sit et simul parum nutriat : ita poma, herbae. Huius cibi quantitas augeri potest.

3. *Frustulum* matutinum non debere excedere duas uncias (i. e. circa 60 gr. cum alii unciam aestiment 28, 29 gr., alii magis secundum pondera hodierna, 31, 25 gr.). Ipsa S. Paenitentiaria anno 1843 hanc regulam probavit. Quidam, sed non omnes volunt ut in binis unciis computetur modicum saccharum, lac, chocolatum quod caffè vel thé misceatur. Hodie in benigniorem sententiam, quae haec non computat, inclinamus.

4. De *coenula* duplex norma proponitur. Altera, *relativa,* quantitatem permittit quintam vel quartam partem plenae refectionis (1), altera *absoluta*, ubique et omnibus concedit octo uncias (seu circa 250 gr.) et in regionibus frigidioribus decem.

---

(1) Noldin nos docet fuisse aliquam episcoporum instructionem quae permittebat dimidium coenae vespertinae consuetae.

Estne minuenda quantitas panis vel oryzae vel fabarum si aqua et oleo decocta sumantur? Non desunt etiam hodie qui haec post S. Alphonsum teneant, sed tuta dici potest hodie sententia quae id negat. Severior tamen usus servandus foret.

Neque hodie, attentis moribus hominum qui complicata praecepta refugiunt, salva semper severiore consuetudine, ultra distinguendam esse arbitramur qualitatem seu vim nutritivam ciborum quibus octo uncias vespertinas componas.

5. Iam dudum auctores permittebant ut qui abundantiore cibo opus haberent aliquid plus sumerent, et quod frigidiori coelo, id quoque debilitati concederetur, ita ut sub frigidiore coelo minus validi ultra decem uncias quidpiam sumerent (Cfr supra GÉNICOT).

Recens R. D. GOUGNARD, professor Mechliniensis, in *Ephem. theol. Lovanienses,* 1927, p. 207 - 211 *(A propos du carême)* existimans legem ieiunii ita accipiendam esse ut saltem magna pars fidelium eam servare possit, censet cum mane tum vespere sumi posse quo quis indigeat ut proprii status officia rite adimplere possit. Ac pro ista sententia citat Theologiam Mechliniensem, Piscetta et Gennaro Soc. Salesianae. Neque ab ista norma subiectiva, plures antiquiores prorsus alieni videntur.

Ipse autem R. D. GOUGNARD eam concessionem urget dicendo. Ubi nulla sit probata consuetudo, licet sine scrupulo, rem potius benigne intellegendo, hac ratione legem ieiunii urgere ut, attenta varia hominum habilitate, ea quantitas in frustulo et coenula permittatur quae necessaria sit et sufficiens ut ieiunium practice tolerabile evadat.

Quaeres tamen utrum annon substantia legis servetur?

Quamdiu quattuor tantum uncias mane et 12 vespere sumas, substantia sane servabis.

Ac perinde dicendum est si, inverso ordine, frustulum cum coenula permutaveris.

Ultra tamen eas mensuras, non improbabile existimamus, substantiam ab istis excusatis servari quamdiu non bis plene eadem die refecti sint et sic lex de unica plena refectione adhuc subsistat. Aliter tamen LEHMKUHL, I, n. 1469, qui ieiunium substantialiter laesum existimat, si notabilis quantitas ultra plenam refectionem sumpta sit.

Quaeres praeterea utrum annon qui ieiunium hac ratione servare possint eam ita servare debeant.

Receptum quidem est a ieiunio excusari qui tantum permutato frustulo et coenula ieiunare queant. Modus enim iste est extraordinarius et incommodum ad legis incommodum addit.

Sed facultas maioris quantitatis mane et vespere incommodum legis minuit, nedum incommodum addat.

Quare merito BUCCERONI, I., n. 1586 docet: « Immo urgebit obligatio aliquid sumendi si hoc ad ieiunium servandum sit necessarium ». Et R. D. GOUGNARD, L. I.

Norma a nobis proposita uti licet et, nostra sententia est ea utendi obligatio.

CAPUT III. **De ipsa mentis lege.**

Ut est manifestum, Ecclesia in praecipiendo ieiunio et abstinentia vult ut fideles se exerceant in domando appetitu inferiore et carnis insolentia reprimenda.

Quem finem, tam animae salutarem nec valetudini contrarium (immo potius utilem), oportet ut omni modo praedicemus, inculcemus, praesertim cum in potissimis mali socialis quo affligimur causis, sensualitas merito a SS. Domino Nostro recenseatur.

Affirmanti se non posse ieiunare solent respondere *te dispenso:* inde legem nullatenus curabit. Si autem dixeris, *ieiunare potes,* sumendo id quo re vera indiges, mortificationem non prorsus negleget.

Quare optimum esse ducimus, ut modum magis humanum observandi legem suadeamus, potius quam plerosque a lege immunes consideremus. Priore ratione, fideles mortificationis servandae erunt memores. Altera ratione, legis penitus incuriosi, spiritum christianae mortificationis e vita sua exsulare sinent (1).

A. VERMEERSCH S. I.

Iubilaeum anni sancti 1933-34

Non eo consilio scribimus ut argumentum iubilaei satis plene volvamus, praesertim cum de iubilaei origine, vicibus historicis, significatione, bonis et interpretatione in tomo XIII, XIV, XV huius ephemeridis satis fuse disceptatum sit.

Hoc nobis est propositum: breviore quo fieri possit modo enucleare 1. praerequisita ad totalem indulgentiam Romae acquirendam, 2. iurisdictionalium facultatum suspensionem et amplificationem, 3. formam denique sub qua ab aditu Urbis impeditis iubilaeum extensum est. Cum vero ista in *Constitutionibus* a Summo Pontifice mense Ianuario editis, et in *Monitis* a Sacra Paenitentiaria Apostolica die 28 Februarii datis (A. A. S., 28 Febr. 1933) contineantur, praecipuus noster labor huc spectabit ut copiose et eloquentissime

---

(1) Commendanda quoque est varia ratio mortificationis a qua nulla valetudinis obiectio excusat, in refraenandis sensibus, in negandis deliciis, etc. De hac re optimum scripsit libellum Card. MERCIER: *La mortification chrétienne.* Lovanii apud Institutum *Paridaens.*

dicta contrahamus et quae auctoritative et sollemniter scripta sunt ad fines practicos communesque usus aptare conemur.

Prius tamen quam nostrae relationi initium demus, operae pretium esse videtur ut propriam praesentis iubilaei rationem, quae plane singularis est paucis verbis exponamus.

Iubilaea enim distinguuntur *ordinaria* et *extraordinaria*. Priora, praeter maiorem bonorum sanctificationem et conversionem peccatorum, hunc finem praesertim consectantur renovandi identidem in toto orbe christiano memoriam artae necessitudinis qua cum Petri Sede, fundamento unitatis et fonte plenissimae dispensationis divitiarum Ecclesiae vinciuntur (1). *Extraordinaria* celebrantur ob peculiarem causam agendi gratias vel implorandi divinam munificentiam aut liberalitatem. Utriusque generis diversus esse solet modus celebrationis. Proprium huius iubilaei est, ut fines iubilaei ordinarii coniungat cum speciali commemoratione maximi beneficii Redemptionis nostrae.

Quare, ut ipse SS. Dominus nos docebat, nobis iubilaeum inter ordinaria extraordinarium largitus est.

I.

Indulgentiae per impendentis anni sancti dies lucrabiles.

Summus Pontifex *plenariam indulgentiam*, quae *toties quoties* cum *sibi* tum *defunctis* acquiri possit, concedit.

Id plenissimam remissionem significat omnis poenae temporalis reatus, quem peccatis nostris sive mortalibus sive venialibus ad culpam quod attinet iam

(1) Cfr Suarez, *De Paenitentia, Extr. Unctione etc.* Q. 49, sect. V, n. 3.

remissis, promeruimus, ac pro quo plena aut condigna solutio divinae iustitiae nondum delata est.

Hac indulgentia et praesupposita, ut par est, gratia animam sanctificante cui applicetur, homo in eo statu constituitur in quo postquam Baptismi Sacramentum fructuose recepit invenitur. Is, si acciderit ut morte corriperetur, coelum statim possidere posset. Tam magna gratia potest acquiri *toties quoties opera a Summo Pontifice ad indulgentiam adipiscendam imposita rite absolvantur.* Diligentissimi quique eam semel et plus quam semel in una die lucrari possint.

Utile enim est pluries, etiam sibi, plenariam indulgentiam applicare, quia, cum ex imperfecta ratione qua condiciones implentur, tum ex fragilitate nostra qua in venialia relabimur, status innocentiae vel non complete restituitur, vel non diu servatur plenus. Applicatio fit etiam vita functo, non autem alii vel aliis viventibus, ut canone 930 expresse monemur.

Qui tamen eadem die bis vel pluries indulgentiam lucrari voluerit, nec S. Communionem nec confessionem repetere debebit. Non *communionem*, quia semel tantum in die sacramento ss. eucharistiae licite refici possumus; non *confessionem*, quia actus est qui non consuevit pluries in die renovari. Quod colligimus ex can. 933: « uno eodemque opere, cui ex variis titulis indulgentiae adnexae sint, non possunt plures acquiri indulgentiae, nisi opus requisitum sit *confessio* vel *communio* ».

Ubinam et quonam tempore iubilaei indulgentia lucranda prostet.

De se tantum *Romae* acquiri potest. Sed quaeret quispiam: sequiturne ex hoc ut opera in ordine ad indulgentiam requisita, in specie ut Paenitentiae et Eucharistiae sacramenta Romae praestanda sint?

Ac respondendum censemus, cum circumstantia loci non praescribatur, absolutionem sacramentalem et s. Communionem ubique utiliter, ad indulgentiam iubilaei lucrandam, recipi posse.

Id censemus cum multis canonistis. Nec locus exigitur in opere R. D. Rossi, officialis S. Paenitentiariae; immo de s. confessione explicite, n. 71, tradit confessionem extra Urbem fieri posse, cum dicat: « Per coloro che volessero accostarsi al Tribunale della Penitenza in Roma ». Sunt tamen gravissimi canonistae qui teneant, nisi contrarium positive constet, ibi condiciones adimplendas esse ubi Indulgentia acquiratur.

Tempus vero ad indulgentiam lucrandam praefinitum a meridie diei primi aprilis currentis anni ad mediam noctem diei secundae aprilis anni 1934 protenditur.

Quinam hanc iubilaei indulgentiam lucrari possunt.

Omnes utriusque sexus Christifideles: id est illi qui baptizati sunt, non excommunicati, in statu gratiae saltem ad finem operum praescriptorum, et subditi concedentis (can. 925). Omnes autem quaestiones quae circa horum verborum significationem moveri possent praeciduntur eo quod inter opera sine quibus indulgentia impetrari nequit et confessio consistit et Communio quam nemini praestare licet quin plena et perfecta cum Christi Vicario unione devinciatur.

Opera iniuncta.

Haec sunt omnibus peragenda: *confessio, Communio, basilicarum visitatio, certae preces* secundum Summi Pontificis praescripta fundendae.

Quod ad *confessionem* refert, siquidem praerequiritur non praecise ut medium est ad statum gratiae nanciscendum sed tamquam pium quoddam opus ad indulgentiam lucrandam praemittendum:

a) imprimis oportet ut distincta sit a confessione omnibus tertio Ecclesiae mandato annatim imposita.

b) debet esse valida, nam si nulla est quacumque de causa, verum Paenitentiae Sacramentum non recipitur.

c) facta ex intentione saltem generali indulgentiam lucrandi (can. 925 § 2).

d) per se toties instituenda quoties indulgentiae lucrefieri velint.

Per se dixi, quia, iuxta aliquorum sententiam, confessio, nisi aliud dicitur, ab Ecclesia numquam requiritur ubi nullum adest grave peccatum; vel maxime ubi mortalia peccata; si quae fuerunt, iam per sacramentalem absolutionem directe remissa sunt. Ex his dixeris, eum qui nullius gravi peccati sit conscius cuius directam absolutionem non acceperit, indulgentiam lucrari posse, quin confessionem exhibeat.

Tamen, ut alia argumenta omittamus, in numero XI Bullae « *Indicto a Nobis Sancto* » haec prostant. Ab obligatione praescriptae confessionis, quam ad adimplendam nec invalida nec annua ex praecepto confessio sufficit, ullum ne exsolvant ne eum quidem qui materiam necessariam non habeat. Quare nobis moraliter certum est confessionem, ut dicebamus, semper ad indulgentiam requiri.

Quaeri etiam possit, utrum ille qui, postquam commissa sua rite confessus est et antequam omnia iubilaei praescripta compleverit, in gravem Dei offensam lapsus sit, indulgentiam assequi possit si contritione perfecta sine confessione iterum iustificetur. S. Paenitentiaria monito XIV (inter data 28 Febr. 1933) dubium his verbis sustulit: «... unum refert et necesse est, ut postremum ex praescriptis opus, quod etiam Communio esse potest, in statu gratiae ad can. 925 § 1. compleatur. Si quis igitur post confessionem peractam, ultimo nondum completo opere, in letale rursus in-

ciderit, iteret confessionem oportet, si sacram Synaxim debet adhuc suscipere; secus satis erit ut actu contritionis perfectae elecito, cum Deo reconcilietur ».

Tandem operae pretium est canonem 930 § 3 transcribere: « Christifideles qui solent, nisi legitime impediantur, saltem bis in mense ad paenitentiae sacramentum accedere... possunt omnes indulgentias acquirere etiam sine actuali confessione quae ceteroquin ad eas lucrandas necessaria foret, exceptis indulgentiis sive iubilaei ordinarii et extraordinarii sive ad instar iubilaei ». Itaque altera vel utraque ex his confessionibus quis uti potest ad alias indulgentias lucrandas, sed ad plenariam iubilaei indulgentiam distincta confessione opus habet.

Si quis in confessione ad iubilaeum directa cuiuspiam gravis peccati invincibiliter oblitus fuerit, debetne ad lucrandam indulgentiam sibi nova confessione *directam* istius peccati comparare absolutionem? Obligationem, ut probabiliorem affirmat SUAREZ, negat LUGO: huic libenter astipulamur.

Sacra Synaxis.

Transcurremus quae nullam difficultatem exhibent. Neminem latet communionem requiri *a)* quae digne in gratiae statu posita sit, *b)* quae distincta sit ab annua quam Ecclesia iubet.

Hac denique, communione plures acquiri possunt partiales indulgentiae si illas, ut est, ex variis titulis adnexas habeat (can. 933 et 927).

Basilicarum visitationes.

Imprimis hae visitationes spiritu pietatis, devotionis, paenitentiae informentur necesse est: nam fieri debent intentione illa saltem generali adipiscendi aut nobis aut purgatorii animabus plenissimam poenae temporalis remissionem.

Visitandae sunt quattuor patriarchales basilicae, nempe: Sti Ioannis ad Lateranum, Vaticana Sti Petri, Sti Pauli in via Ostiensi, et Stae Mariae Maioris.

Horum unaquaque ter est visitanda; sed animadvertendum est, posse fideles vixdum e basilica post actam sacram visitationem egressos iterum atque ilico in eam ingredi ad alteram ac tertiam perficiendam visitationem.

Hic dubium moveri potest, an qui ad basilicam veniens eamque clausam reperiens preces ad eius fores vel gradus recitaret ipsam visitasse censeretur. Ex Bulla « *Quod nuper* », preces partim ante augusti Sacramenti aram, partim ante Iesu Christi crucifixi et Beatae Mariae imagines fundendae sunt. Quod extra basilicam fieri nequit. Quare negaremus visitationes ad valvas vel gradus fieri posse (1), nisi nunc liberalis Pontificis manus, per Monita S. *Paenitentiariae* (Monit. V) permisisset ut preces ad fores vel gradus basilicae clausae recitarentur.

Eadem de causa valide basilicam invisere iudicamus qui eam praecepti adimplendi causa adiit et, hoc expleto, quin ab ea egrediatur ad loca Constitutione designata consistat et preces praescriptas recitet.

Observandum quoque est licere ut duodecim visitationes (3×4) basilicarum uno eodemque die fiant.

Preces secundum praescripta Summi Pontificis recitandae.

a) Ante sanctissimae Eucharistiae Sacramentum quinquies « *Pater*, *Ave* et *Gloria* »; et semel *Pater*, *Ave*, *Gloria* ad intentionem Summi Pontificis.

b) Ante Iesu Christi crucifixi imaginem (non sufficeret nuda crux) ter Fidei professio, scilicet « Credo » seu Symbolum Apostolorum, et insuper precatiuncula « Adoramus te, Christe, etc. » vel aliae ad Iesum qua grato animo amorem colamus Eius qui semel pro pec-

(1) Atque id re vera negatum est in Annotationibus quas, P. Vermeersch S. I., Bullae *Quod nuper* subiunxit, supra, p. 13, n. 6.

catis nostris mortuus est, iustus pro iniustis ut nos Deo offerret (S. Petri, 3, 18).

c) Ante Deiparam Virginem, septies « Ave Maria » recolendo divinae Matris dolores et semel pecula « Sancta Mater istud agas... » ex *Stabat Mater*, vel alia eiusmodi qua martyrium veneremur quod ad Filii crucem omnium corredentrix et mater pertulit.

d) Ad Confessionis aram, semel supradicta Fidei professio.

Quae ad validitatem quolibet ordine, quolibet idiomate (can. 934 § 1) recitari possunt; immo sufficit ut alternis vocibus recitentur (Monitum VI). Atque huc etiam valere putamus statutum canonis 934 § 3, quo, ad indulgentias lucrandas, « satis est orationem mente prosequi dum ab alio recitatur ».

Mens Summi Pontificis est, homines in amorem amoris Christi inflammare et impetrare ut Is a quo Ecclesia dotata, a quo decorata, a quo redempta, a quo sancta est, veram animis pacem largiatur, Ecclesiae libertatem concedat, populis omnibus concordiam veramque libertatem reducat.

Opera ad uberiores iubilaei fructus commendata.

Haec praecipue numerantur.

a) Frequens, immo frequentissima sanctissimae Eucharistiae per totum annum susceptio.

b) Specialis Dominicae Passionis religiarum ubicumque exstent, veneratio.

c) Piae ad Sacra Palaestinae loca peregrinationes.

d) His qui Romam veniant celeberrimi basilicae Sanctae Crucis sacelli visitatio.

e) Devota Scalarum Sanctarum ascensio.

Ut iis quae ad condiciones per se ad Iubilaei indulgentiam requisitas finem imponamus, animadverte-

mus, praedicta opera quocumque ordine et per totum anni decursum praestari posse.

Quod si, theologorum et canonistarum dissensionibus attentis, rogaremur quaenam securior methodus sit ad indulgentiam lucrandam, hanc esse diceremus: Visitationibus primum expletis, Sacramenta Paenitentiae et Eucharistiae suscipere.

Harum condicionum pro his qui Romae vel in itinere versentur mitigatio.

Fideles qui, Romae degentes, morbo vel alia legitima causa ordinis sive moralis sive physici, visitationes inchoare vel perficere nequeunt, indulgentiam consequi possunt modo confessionem et Communionem, aliunde non praeceptam, iubilaei lucrandi causa faciant.

Hoc valet etiam pro his qui, iter aggressi, memoratas visitationes perficere non potuerunt: tales censendi essent peregrini qui, Urbem nacti, morbo vel alia legitima causa visitationes vel non inchoaverunt vel non expleverunt antequam ipsis ad patriam redire necesse fuerit.

Indulgentiarum suspensio.

Indulgentiae quas Ecclesia certis operibus temporum decursu largita est innumerabiles sunt; quare, ut sciamus quaenam anno iubilari suspendantur, facillima erit via illas quae lucrandae maneant proferre. Hae sunt:

1. Omnes quae animabus purgatorii sint applicabiles dummodo iis applicentur. Atque ex Const. « *Indicto nuper* » quaecumque indulgentiae in quavis forma valide concessae aut hoc sancto anno concedendae, omnes vita functis applicari possunt.

2. Omnes quae « in articulo mortis » acquiri possunt: ut sunt indulgentiae plenariae moribundis con-

cessae qui Sanctissimum Iesu nomen frequenter invocarunt, qui preces vel iaculatorias, ut dicitur, tali beneficio ditatas fuderunt, qui aliquod pium obiectum cui indulgentia in articulo mortis adnexa est tenent vel deosculantur, qui ad pias associationes pertinent quorum membra indulgentiam in articulo mortis lucrantur, qui tandem apostolicam benedictionem recipiunt quam sacerdotes omnes moribundis impertiri possunt (can. 408 § 1).

Huc adice, valde probabile esse, indulgentiam manere quae pro agonizantibus per modum suffragii vi privilegii a Benedicto XV dati atque a Pio XI confirmati (A. A. S., X, 318) lucrifieri possunt.

3. Indulgentiae devotioni « Quadraginta Horarum concessae ». Praesertim plenaria, semel lucranda ab iis qui SS. Sacramentum ibi expositum, confessione et Communione receptis, visitarint et preces ad intentionem Summi Pontificis recitaverint.

4. Concessae illis qui Viaticum vel Sanctissimum Sacramentum, cum ad aegrotos defertur, comitantur vel faces cereosve per alios ferendos mittunt.

5. Quae lucrifieri possunt cum ad sancti aeris pulsum « Angelus Domini » vel, tempore paschali « Regina Caeli », vel horum loco quinquies « Ave Maria » recitantur. Inter quas eminet plenaria indulgentia semel in mense ab his lucranda qui has orationes quotidie recitant, ac praeterea Sacramenta Paenitentiae et Eucharistiae suscipiunt et insuper pro Summo Pontifice orant.

6. Plenissima toties quoties acquirenda pie sacellum Portiunculae invisentibus tributa.

7. Quae in Sacris Palaestinae locis vigent, in eorum favorem qui ea per hunc iubilarem annum pie adierint.

8. Totalis semel tantum lucranda ab iis qui Lapurdensem Specum pie inviserint.

9. Quas S. R. Ecclesiae Cardinales, Apostolicae Sedis Nuntii, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates vel Praelati Nullius, Vicarii et Praefecti Apostolici in usu Pontificalium aut impertiendo benedictionem, aliave forma usitata, largiri solent. Cfr can. 239 § 1 n. 24; 274, n. 2; 349 § 2 n. 2; 294 § 2; 914; 916; 1166.

10. Omnes indulgentiae quae non sunt omnibus fidelibus propositae, sed quibusdam Istitutis, Ordinibus vel Congregationibus religiosis, coetibus, vel personis ex indultis perpetuis concessae sunt (S. *Paen.* Monitum XVI).

II. A.

Quaenam facultates in genere suspendantur.

Facultates 1. a casibus Summo Pontifici et Sanctae Sedis reservatis absolvendi; — 2. censuras relaxandi; — 3. vota dispensandi vel commutandi; — 4. ab irregularitatibus et impedimentis dispensandi.

Quaenam non suspendantur.

A) 1. Habitae ab adprobatis Urbis eiusque suburbii confessariis: id est qui in Romanae dioecesis ecclesiis confessiones audiunt (Cfr *Periodica*, 1925-1926, pag. 128).

2. Facultates quas confessarii peregrini, dummodo tales sint, quocumque legitimo modo consecuti sunt.

3. Facultates confessariis Palaestinae et Lapurdensibus ab Apostolico Delegato vel ab Ordinario Tarbien.-Lapurden. directe vel indirecte concessae in favorem eorum qui vel sacra Palaestinae loca vel Lapurdensem Specum pie inviserint.

4. Omnes manent quae per Codicem iuris canonici quovis modo concessae sunt. Id nobis breviter evolvere liceat.

a) Quod ad censuras et casus reservatos Codex haec concedit:

a) *In periculo mortis.*

Omnes sacerdotes, etiam ad confessiones non approbati, valide et licite absolvunt quoslibet paenitentes a quibusvis peccatis aut censuris, nisi agatur de absolutione complicis in peccato turpi, quae valide quidem sed extra casum necessitatis illicita est, et ad censuras quod attinet, ita ut qui in illo periculo constituti a sacerdote speciali facultate experti receperint absolutionem ab aliqua censura ab homine vel specialissimo modo reservata, teneantur, postquam convaluerint, obligatione recurrendi sub poena reincidentiae ad eum qui censuram imposuit, si agatur de censura ab homine, ad Sanctam Paenitentiariam aliumve facultate praeditum ad normam can. 2254 § 1, si censura sit a iure, eorumque mandatis parendi (can. 882. 884. 2252).

b) *Extra mortis periculum.*

In casibus *urgentioribus,* ubi saltem durum sit paenitenti in statu gravis peccati per unum diem manere, quilibet confessarius in foro sacramentali a quibusvis censuris absolvere potest iniuncto onere recurrendi sub poena reincidentiae intra mensem ad S. Paenitentiariam vel ad alium absolvendi facultate praeditum et standi eius mandatis (can. 225 § 1. 2. 3).

c) *Extra mortis periculum.*

In casibus *occultis* potest Ordinarius per se vel per alios quibus facultatem hanc ordinariam delegaverit, a censuris Sanctae Sedi simpliciter reservatis absolvere.

d) Quolibet in casu, ut patet, Ordinarii et ab ipsis delegati peccata vel censuras sibi metipsis reservatas absolvere valent (cfr etiam can. 2236).

B) Quod ad *votorum* dispensationem et commutationem: vota non reservata, iusta de causa et dummodo ne ius aliis quaesitum laedatur, dispensare et a fortiori commutare possunt: loci Ordinarius, quod attinet ad omnes suos subditos atque etiam peregrinos; Superior Religionis clericalis exemptae, quod attinet ad suos religiosos, novicios et convictores (can. 1313. 1314).

C) *Irregularitatum* dispensatio. 1. Licet Ordinariis per se vel per alium suos subditos ab irregularitatibus omnibus ex delicto occulto, ea excepta quae ex homicidii aut abortus procuratione (can. 985 § 4) proveniant, aliave ad forum iudiciale deducta (can. 990 § 1) dispensare.

2. Eadem facultas competit cuilibet confessario in casibus occultis urgentioribus, in quibus Ordinarius adiri nequeat et periculum immineat gravis damni vel infamiae, sed ad hoc dumtaxat ut paenitens *ordines iam* susceptos exercere licite valeat (can. 990 § 2).

3. Ordinarius dispensare etiam valet ab omnibus irregularitatibus quae dubiae sint dubio facti, et de quibus Romanus Pontifex dispensare solet.

D) *Impedimentorum dispensatio.* Loci Ordinarius dispensare potest: *a*) Ab impedimentis dubiis dubio facti in quibus Sancta Sede dispensare solet (can. 13).

b) Ab omnibus impedimentis iuris ecclesiastici, exceptis sacro presbyteratu et affinitate in linea recta, consummato matrimonio: cum mortis periculum urgeat et quoties impedimentum detegatur cum omnia sunt parata ad nuptias, nec matrimonium differri potest (can. 1043. 1045 § 1).

Cum loci Ordinarius hac dispensandi facultate iure Codicis polleat, ei integrum est eamdem et delegare et quolibet in foro exercere.

c) Parochi et qui iis ex c. 451, § 2, aequiparantur, eorum delegati, et sacerdos qui ad normam

can. 1078 n. 2. matrimonio assistit, a citatis impedimentis et pro utroque foro dispensare valent cum mortis periculum instat et ne loci quidem Ordinarius adiri potest. In iisdem rerum adiunctis etiam Confessarius pari gaudet potestate, sed eam in solo foro sacramentali et pro solo foro interno exercere valet (can. 1044).

Cum autem omnia sunt parata ad nuptias, nec matrimonium protrahi aut loci Ordinarius adiri potest, hi omnes, ab iisdem impedimentis dispensare possunt sed solum pro casibus occultis (can. 1045 § 3).

5. Remanent facultates pro foro externo ab Apostolica Sede Nuntiis, Internuntiis, Delegatis Apostolicis, Ordinariis locorum et Superioribus Religiosis quoquo modo in subditos suos tributae.

6. Facultates quas S. Paenitentiaria impertire solet Ordinariis aut confessariis pro foro interno, dummodo erga eos solos exerceantur quos iusta causa a iubilari peregrinatione prohibeat. Hic, ut in transitu, animadvertere oportet Bullam non clare dicere: Eas firmas manere facultates quas ipsa Paenitentiaria ordinario modo, nihil extraordinarium donans, concessit. Formula igitur in Const. « *Nullo tempore* » usurpata locum dat isti interpretationi: Facultates natura sua illis pares quas Paenitentiaria concedere solet, intactae perseverant. Eiusmodi interpretatio tenerine potest? Ita putamus: agitur enim de interpretenda voluntate Summi Pontificis, quae et liberalissima est et talis supponi debet.

II. B.

Facultatum amplificatio.

Quo totam hanc partem clarius enucleemus quae in Bulla « *Indicto a Nobis Sancto* » insuper et in his quae S. Paenitentiaria nuperrime edidit continentur, ex

ordine tractabimus de facultatibus amplificatis 1^0 confessariis in Urbe et suburbio; 2^0 confessariis Palaestinae et Lourdes; 3^0 confessariis peregrinis.

1. - Facultates confessariis in Urbe eiusque suburbio auctae.

Hic etiam distinguere iuvabit inter *A*) confessarios a Cardinali Paenitentiario Maiori designatos aut designandos, ipsisque aequiparatos; *B*) et confessarios a Cardinali Vicario adprobatos.

A) Paenitentiarii minores, sive in basilicis Lateranensi, Vaticana et Liberiana exsistentes, sive quos pro ipsis Basilicis, non exclusa basilica S. Pauli, quae paenitentiarios minores habere non solet, pro reliquis ecclesiis Urbis, attenta varia earum ratione, Cardinalis Paenitentiarius Maior designabit, facultatem habebunt, per annum sanctum, pro foro conscientiae, in actu sacramentalis confessionis et per se ipsi tantum, quoslibet paenitentes non solum a quibusvis censuris et peccatis Romano Pontifici aut Ordinario a iure reservatis, sed etiam a censura ab homine lata absolvendi.

Cum autem aliunde reservatio censurarum et peccatorum a iure particulari, v. g. a concilio provinciali, ab Ordinario, reservatorum non valeat nisi in ipso censurarum auctoris territorio (can. 2247 § 2 et 900 § 3) efficitur hos *per se* a quibusvis peccatis et a quibusvis censuris absolvere posse.

Per se diximus, quia harum facultatum usus ita temperatur.

A censuris Romano Pontifici personaliter reservatis, v. g. a secreti S. *Officii* vel *Secretariae Status* violatione, et a censuris specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatis (can. 2320. 2338 § 1. 2343 § 1. 2369 § 1) absolvere valide nequeunt nisi ad normam can. 2254.

Id est in casu urgentiori et si recursus sit moraliter impossibilis, iniuncto recurrendi onere sub poena reincidentiae a quo tamen recurrendi onere excommunicatio ab eo qui complicem absolvit incursa (can. 2364) numquam prorsus excluditur.

Pariter absolvere nequeunt confessarios qui obstinatos (A. A. S., XX, 398) « *Action Française* » fautores aut lectores ephemeridis absolverint, nisi ad normam c. 900, ac proin sub onere recurrendi intra mensem ad S. Paenitentiariam et standi eius mandatis.

Similiter absolvere nequeunt nisi ad normam can. 2254 Praelatos cleri saecularis ordinaria in foro externo iurisdictione praeditos et Superiores maiores Religionis exemptae qui in excommunicationem speciali modo S. Sedi reservatam publice inciderint.

Haeretici vel schismatici qui publice errores suos seminarunt vel saltem saepe professi fuerint, nequeunt absolvi a censura speciali modo S. Sedi Apostolicae reservata, nisi scandalum vel iam reparaverint vel reparaturos serio promiserint. Quod ad eos qui nati sunt in haeresi, Paenitentiarii rogantur ut ubi dubitaverint (quod saepissime eveniet) de facto vel de valore baptismi in secta collati, eos ne absolvant quin prius ad Cardinalem Vicarium missi fuerint.

Qui sectae vetitae vel massonicae vel alii eiusdem generis associationis secretae, quae contra Ecclesiam vel legitimas auctoritates machinatur adhaeserunt (can. 2335) absolvi nequeunt nisi secta abiurata et observatis condicionibus in talibus casibus impositis, ut sunt traditio signorum, librorum, manuscriptorum, ecclesiasticorum et religiosorum qui sectae sint per se adscripti denuntiatio (can. 2336 § 2) : sive haec fiant sive saltem deliberate promittantur.

Qui bona vel iura ecclesiastica (can. 2345. 2349) sine competentis ecclesiasticae auctoritatis venia et de quibus aliter non sit provisum adquisiverunt, absolvi

valide non possunt, nisi restitutione aut compositione facta vel promissa.

Qui in occultas censuras, a fortiori si in publicas et, cum alius partis laesione, inciderit, absolvi nequit antequam parti laesae satisfecerit vel, cum primum licuerit, se satisfacturum esse vere graviterque promiserit.

Qui sacerdotem innocentem de crimine sollicitationis apud iudices laicos accusaverit (can. 894) absolvi nequit nisi paenitens falsam denuntiationem formaliter retractaverit, v. g. scriptis ipsi confessario traditis et damna forte secuta pro viribus reparaverit vel reparare vere paratus sit.

Ab excommunicatione S. Sedi simpliciter reservata ob clausurae violationem (can. 2342) nequeunt Paenitentiarii absolvere nisi imposito sub onere reincidentiae in censuram vetito ne paenitens ad illam religiosam domum eiusque ecclesiam in posterum accedat. Firmis etiam manentibus aliis poenis de quibus in ipso canone 2342 n. 1 et 2.

Regulares et Moniales apostatae, id est professi votorum perpetuorum qui e domo religiosa illegitime egrediantur cum *animo non redeundi* vel qui, etsi legitime egressi eodem animo non redierit, ab excommunicatione reservata proprio Superiori maiori (can. 2385), nequeunt absolvi quamdiu extra *Ordinem* permanserunt. Quod si isti firmum habeant propositum ad religionem suam redeundi, absolvi possunt in foro interno, sed ita ut, congruo iisdem praefinito ad id exesquendum tempore, in censuram recidant si intra praefinitum tempus non redierint.

Praeterea monendi sunt se, quamdiu extra religionem suam commorentur, privilegiis religiosis privari, et actibus legitimis ecclesiasticis excludi, Ordinarii loci iurisdictioni subici et obnoxios esse, etiam postquam redierint, aliis poenis in can. 2385 statutis.

Religiosus fugitivus, qui propter fugam inciderit in suspensionem Superiori maiori reservatam (can. 2386) vel etiam, e iure religionis speciali, in excommunicationem, si rite dispositus est, potest in foro interno, imposita obligatione ad religionem quam primum redeundi absolvi eadem ratione ac sub eadem poenae reincidentia et firmis aliis poenis ut pro apostatarum absolutione dictum est.

A lectione librorum prohibitorum, eorum praesertim qui ab haereticis apostatis vel schismaticis scripti, horum errores propugnant, vel qui nominatim prohibiti sint, quemquam absolvere nequeunt nisi libros prohibitos quos habuerit, destruxerit vel ipsis tradiderit, vel destructurum aut traditurum serio promiserit.

Erga quos Paenitentiarii facultates has exercere valide possint? Ergo eos fideles sive Ecclesiae Occidentalis sive Orientalis dumtaxat qui ad confitendum ea mente ac sincera voluntate accesserint ut Iubilaei veniam consequantur: supervacaneum fere est admonere, omnes paenitentes praesupponi posse Iubilaei gratias exquirere. Quid si confessarii aliquem invenerint salutis suae incuriosum simulque illis facultatibus indigentem? Operae pretium erit, ut eum etiam atque etiam ad lucrandum iubilaeum hortentur.

Ubi tamen acciderit ut paenitens, postquam relaxationem a censuris per absolutionem sacramentalem acceperit, iubilaeum iam lucrari non cupiens opera imperata intermiserit, censurarum absolutiones omnes valent, sed si absolutio data fuerit aliquo iniuncto onere sub poena reincidentiae praestando, ubi oneri non satis fiat, paenitens ut patet in eiusdem speciei censuram incurret.

Quotiens erga ipsum paenitentem facultatem a censuris absolvendi Paenitentiarii exercere possunt.

Facultate absolvendi a peccatis et censuris reservatis itemque dispensandi ab irregularitate, Pae-

nitentiarii non nisi semel tantum, cum Iubilaei veniam primum lucrifiat, in favorem eiusdem paenitentis uti possunt; ceteris facultatibus uti possunt quoties poenitens iubilaei indulgentiam lucrari velit.

Quonam in foro facultatibus uti possunt.

In foro *interno* cum sacramentali tum extrasacramentali, dummodo de peculiaribus facultatibus ne agatur pro quibus forum sacramentale expresse requiratur. Itaque in solo foro sacramentali paenitentes absolvi poterunt a censuris de quibus modo diximus et quae nisi in adiunctis et ad praescriptum can. 2254 a Paenitentiariis absolvi possunt. Huc pertinet observatio: etiamsi Paenitentiarii a censura publica absolvere possunt, paenitentes tamen qui censura nominatim perculsi aut eadem publica declaratione irretiti fuerint, absolvi tantum possunt in foro sacramentali, quod externo foro non suffragatur, ideoque cum onere se subiciendi etiam in foro externo ad tramitem iuris.

Quid ergo si paenitens confessionem *sacrilegam* vel *nullam* instituerit? Qui sacrilege peccata sua confitetur aestimari nequit ad confessionem accessisse *ea mente et sincera voluntate* ut iubilaei veniam consequatur: quae est condicio sine qua non ad valide facultatibus concessis utendum. Absolutio censurarum in foro sacramentali impertita tunc nulla foret.

Ubi vero agitur de confessione nulla ex defectu subiective inculpabili absolutio censurarum valida est, dummodo paenitens ab illis resipuerit, hoc autem mera censurae confessione constabit.

Paenitentiarii imponere debent cuique paenitenti *salutarem* paenitentiam; iis quos a peccatis et censuris absolverint *congruam; gravem* vero et *diuturnam* ubi de absolutione a falsa solicitationis accusatione paenitens absolvendus sit.

Sicut per se omissio imponendae paenitentiae absolutionem non irritat, ita neque eius explendae omissio absolutionem receptam reddit inanem. Vi tamen canonis 2254, cum paenitens a censuris specialissime modo reservatis propter moralem recurrendi impossibilitatem (2254 § 3), absque onere id faciendi absolutus fuerit, si paenitentiam intra fines praescriptos non adimpleverit in censuram recidit.

Aliunde norunt omnes: hae locutiones « salutari », « gravi », « gravi et diuturna », paenitentia imposita, ut ex ipsa rerum natura exorta, non *ad formam* facultatis concessae pertinent, sed *pro formula*, ut dicitur, seu quae facienda sunt praescribunt.

Ad vota quod refert, Paenitentiarii omnia vota *privata*, id est quae legitimus Superior ecclesiasticus, nomine Ecclesiae non acceptaverit, ex iusta causa in alia pia opera commutare possunt. Commutare quoque possunt perpetuum ac perpetuae castitatis votum in religiosa professione factum, et quod integrum mansert postquam paupertatis et oboedientiae vota dispensata voventi fuerunt (1). Contra autem ipsis dispensare non licet votum castitatis in subdiaconatu suscipiendo emissum, etiamsi subdiaconus ad statum laicalem redactus sit. Nec vota licite cum praeiudicio tertii commutare possint nisi is cuius interest libenter consenserit.

Quamvis denique Paenitentiarii, pro sua ipsorum prudentia, in opera etiam minoris meriti vota commutare possint, tamen cum agatur de votis non peccandi vel poenalibus commutandis, curandum omnino est ut opus in quod commutentur non minus quam votum ipsum peccata refrenet atque atque arceat. Facultates autem semper uti possunt erga illos qui ad

(1) Antea, vix umquam hodie, solebat S. Sedes in relaxandis votis religiosis votum perfectae castitatis reservare.

confitendum accedant sincera voluntate ut iubilaei veniam consequantur, et quidem in foro interno cum sacramentali tum extrasacramentali.

Ex canone 220 § 2, cuilibet confessario in casibus occultis urgentioribus, in quibus Ordinarius adiri nequit et periculum imminet gravis damni vel infamiae, ad hoc ut Clerico irregulari ordines susceptos exercere *liceat*, integrum est dispensare ab irregularitatibus omnibus ex delicto occulto provenientibus, ea excepta quae a voluntario homicidio aut abortu fetus humani, effectu secuto, ortum habet (can. 985 § 4). Immo ex decreto S. *Officii* 6 sept. 1909 (A. A. S., I, 667) si casus urgebat, confessarius etiam a casu occulto abortus procurationis absolvere poterat, iniuncto onere ad S. Sedem intra mensem recurrendi.

Nunc autem ex facultate amplificata, Paenitentiarii ab omnibus prorsus irregularitatibus ex delicto occulto absolvere possunt, quamvis ad id tantum ut paenitens ordines iam susceptos exercere queat.

Paenitentiarii hac facultate semel erga eos qui primam iubilaei lucrandi causa confessionem instituunt uti valent. Attamen eam exercere debent in foro sacramentali tantum.

Paenitentiariis facultas etiam confertur dispensandi, sed in foro sacramentali, eos qui iubilaei veniam lucrantur, matrimonii convalidandi gratia ab impedimento occulto, id est quod nequit in foro externo probari, consanguinitatis in tertio vel secundo gradu collaterali, etiam attingente primum quod ex generatione illicita proveniat.

Dicitur a generatione *illicita :* comprehenditur igitur generatio cum naturalis, tum adulterina, tum sacrilega. Gradus de quibus in Bulla, sunt qui intersunt inter patrueles et amitinos (*cugini secondi*) vel patrueles et amitinos propinquiores (*cugini primi*) inter hos et patruum vel amitam (*zio, zia*).

Etiam semper eosdem, et sive agatur de matrimonio contracto sive de matrimonio contrahendo, dispensare possunt ab impedimento occulto criminis neutro tamen machinante, id est excluso coniugis homicidio (can. 1075 § 1). Ubi matrimonium,

non obstante hoc impedimento, invalide contractum fuerit, privata consensus renovatio ad normam can. 1135 est necessario iniungenda: itaque opus est ut pars impedimenti conscia consensum renovet.

Ad *visitationes* quod attinet, Paenitentiarii eas commutandi et dispensandi pollent facultate qua in foro interno cum sacramentali tum extrasacramentali uti possunt.

Si tantum locum ubi visitationes faciendae commutant, in ecclesiis vel ecclesia a Paenitentiario designata fieri debent duodecim visitationes praescriptae atque eaedem preces; quae in basilicarum visitationibus, quoad numerum et quoad speciem sunt recitandae. Si visitationum numerum minuant, paenitens recitare tamen debet preces quae requiruntur ad numerum orationum « Pater, Ave, Gloria, Credo » et precularum indictarum in duodecim visitationibus recitandis complendum. Praeterea, ad prorsus licitam dispensationem vel commutationem, postulatur ut paenitens, praeter necessarium numerum orationum pro duodecim visitationibus recitandarum, aliud etiam opus pium praestet a dispensante vel commutante indicatum ad quod ex praecepto non iam teneatur.

Tantum pro infirmis quantitas praestandarum orationum imminui potest.

Est etiam Summi Pontificis voluntas, ut in visitationibus commutandis magnus Patriarchalium basilicarum et Sessorianae basilicae respectus habeatur. Quare in locum basilicarum succedat, ex commutatione basilica Sessoriana (vulgo S. Crucis in Ierusalem).

Ab obligatione praescriptae *confessionis*, prorsus nemo dispensari potest. A *Communionis* obligatione illi tantum dispensari poterunt, qui ab ea suscipienda ob aegritudinem prorsus impediantur; quo in casu Communio in aliud pium opus non aliunde praescriptum commutatur.

Tandem omnibus facultatibus hucusque recensitis Paenitentiarii cum in ecclesia cui addicti sunt uti possunt, tum extra illam, si quando contingat eos alibi confessiones excipere, dummodo (ad liceitatem) id faciant in loco ad confessiones proprio et de consensu rectorum ecclesiarum.

Confessarii Paenitentiariis minoribus aequiperati.

Aequiperati sunt S. Paenitentiariae Praelati; eiusdem Tribunalis officiales in Urbe ad confessiones habitualiter audiendas adprobati; Urbis suburbiique parochi; rectores et confessarii, a Vicariatu adprobati, ecclesiarum nationalium, uno verbo omnes quorum sedi confessionali affigatur tabella cum inscriptione « Paenitentiarius Sancti Iubilaei ». Aequiperatus etiam est unus alterve religiosus unuscuiusque domus in Urbe vel suburbio Ordinum vel Congregationum exemptarum a Superiore deputandus, qui tamen facultatibus amplificatis erga fideles domui ac religioni extraneos uti non poterit. Hi tamen facultatibus concessis pro foro interno tantum in actu sacramentalis confessionis exercere iubentur.

Sed notare oportet parochis praedictis licere ut visitationes dispensandi, contrahendi ac commutandi facultatibus, cum de singulis fidelibus et de singulis suae paroeciae suae familiis agitur etiam in foro *externo* utantur. Cetera alia quibus Paenitentiarii tenentur eodem modo aequiperatis confessariis applicantur et praescribuntur.

Confessarii a Vicariatu ad confessiones audiendas approbati.

Ad censuras et reservata quod attinet, si illa excipias quae Romano Pontifici personaliter aut Sanctae Sedi a iure sunt reservata, et censuras ab homine, confessarii a Cardinali Vicario ad confessiones adpro-

bati eadem possunt atque cum iisdem limitationibus et requisitis quae de Paenitentiariis minoribus dicta sunt.

Verum, quod magnopere est notandum, censurae a quibus isti absolvere possunt sunt tantum occultae.

Quantum *ad vota*, ea possunt et eodem modo dispensare vel commutare sicut Paenitentiarii, exceptis insuper voto castitatis ex religiosi cui alia vota publica dispensata sunt et voto ingrediendi in religionem votorum sollemnium et voto perpetuae perfectaeque castitatis, absolute emisso, post completum decimum octavum aetatis annum.

Dispensare possunt ab irregularitatibus et circa visitationes eodem modo quo Paenitentiariis concessum est.

Denique confessarii a Cardinali Vicario adprobati non possunt dispensare ab impedimento consanguinitatis et criminis, nec facultates concessas exercere extra forum sacramentale valent.

2. - Confessarii peregrini.

Confessariis in sua dioecesi rite adprobatis qui iubilaei lucrandi causa Romam petent, eaedem facultates conceduntur quae confessariis a Cardinali Vicario adprobatis tribuuntur, quantum ad peccata et censuras, quantum ad votorum commutationem et quantum ad visitationum commutationem vel dispensationem.

His facultatibus (manentibus firmis illis quas per Sacram Paenitentiariam vel alio legitimo modo consecuti fuerint) uti possunt tantum in foro sacramentali erga suos peregrinos et unum alterumve peregrinum non socium, qui ad ipsos cum aliis confitendi causa accedat.

Liquet etiam his qui facultatibus suis uti possunt, debere Rectorum Urbis vel suburbii consensum obtinere ad confessiones in eorum ecclesiis licite audiendas, et ad canonem 908 de loco confessionum proprio - sese accommodare.

Tandem in censurarum absolutione aut in votorum et visitationum dispensatione iisdem condicionibus se subicere debent quae pro aliis confessariis praescribuntur.

Decem confessarii peregrinis a S. Paenitentiaria aut ab Episcopo proprio selecti.

His conceduntur facultates *a*) absolvendi a quibuscumque reservatis et censuris a iure tamen non ab homine sancitis.

b) dispensandi ab omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus.

c) commutandi vota privata et publicum castitatis in Professione religiosa emissum, votis paupertatis et oboedientiae aliunde iam dispensatis.

d) dispensandi ab impedimento occulto consanguinitatis ex generatione illicita proveniente in tertio vel secundo grado collaterali attingente primum et ab impedimento occulto criminis ubi nullum coniugicidium intercesserit.

e) commutandi et dispensandi basilicarum visitationes.

Harum facultatum usus iisdem prorsus condicionibus et limitationibus subest quas enumeravimus cum de facultatibus Paenitentiariis amplificatis locuti sumus.

Hoc tantum addendum. Hi decem confessarii adauctas facultates tantum in foro sacramentali quod in foro externo nullatenus suffragetur exercere valent, et quidem, sicut de confessariis dictum est, erga socios peregrinationis vel unum alterumve peregrinum cum his ad ipsos confessionis causa accedentem.

Observatio generalis.

Opus substitutum pro opere praescripto, per se, seu quatenus eius natura id fert, ubique locorum peragi potest.

3. - Confessarii Palaestinae.

Anno sancto vertente, confessariis Palaestinensibus ab Apostolico Delegato sive per se sive per Ordinarios deputatis licet:

A quibuscumque peccatis et censuris Sede Apostolica etiam Romano Pontifici reservatis absolvere.

Hac facultate uti possunt tantum pro foro conscientiae et in actu sacramentalis confessionis et semel erga illos qui Pia loca inviserint, neque aliunde aut Romae iubilaeum lucrati sint aut Lapurdi censurarum absolutionem obtinuerint.

Quod si aliquem a censuris Summo Pontifici aut Sanctae Sedi reservatis absolverunt, illud faciant necesse est ad normam citati can. 2254. Item si aliquis a casu S. Sedi reservato propter obstinate adhaerentis ad « *L'Action Française* » absolutionem, absolvendus fuerit, meminerint se id non praestare posse nisi in adiunctis can. 200 et manente recurrendi obligatione.

Ubi quaestio sit de censura publice denuntiata aut alicui nominatim inflicta, nullo in casu et nullo modo absolutio in foro sacramentali impertita ab iis quae in externo ponenda sunt liberare censetur. Tandem ipsis applicantur reductive quae dicta sunt de Paenitentiariis ad absolutionem peccati ratione sui reservati, violationis clausurae, religiosorum apostatarum et fugitivorum, lectionis librorum prohibitorum, haereticorum et schismaticorum sectis vetitis adhaerentium, et bona ecclesiastica acquirentium.

Confessarii Lapurdenses.

Haec dicere sufficiat: confessarii qui Lapurdi confessiones audiunt vi facultatum ab Ordinario Tarbien. et Lapurden. collatarum, praeter facultates quas legi-

timo titulo habuerunt, anno sancto durante, a censuris speciali modo Sanctae Sedi reservatis absolvere nequeunt. Id tamen in foro sacramentali et semel possunt erga illos qui iubilaei veniam nondum lucrati sunt nec in Palaestina a talibus censuris a confessario facultatum habente sint absoluti.

III.

Ut labori nostro desideratum iam finem imponamus, liceat nobis ea quae in « *Qui umbratilem vitam habentur* » continentur summatim exponere.

Sine aditu Urbis iubilaei indulgentiam lucrari poterunt :

1. Omnes moniales religiosae, piae feminae quae, Ecclesia adprobante, vitam communem agunt atque omnes ipsarum novitiae, postulantes, contubernales probandae vel educandae, etiam semi-convictrices, aliaeque denique quae cum ipsis communi mensa, domicilio vel quasi domicilio utantur.

2. Puellae et mulieres in gyneceis seu Conservatoriis degentes : idest earum institutionum convictrices.

3. Anachoretae et Eremitae qui in continua, quamvis non perpetua clausura et solitudine, contemplativam vitam degunt et monasticam sive regularem ordinem profitentur.

4. Omnes illi qui poenae luendae, correctionis aut emendationis causa, commorandi locum contra vel praeter eorum arbitrium circumscriptum habent.

5. Qui morbo vei imbecilla valetudine prohibentur quominus intra hunc annum aut Urbem adeant aut in Urbe praescriptas visitationes peragant ; qui in nosocomiis continuata opera aegrotantibus adsunt ; qui corrigendorum emendationi seu regimini praeponuntur.

6. Operarii qui nequeunt per tot horas vel dies a labore quotidiano abstinere quin sibi desit insumptum ad usus necessarios, et omnes qui septuagesimum aetatis annum expleverunt.

Ipsis praestanda ut iubilaei veniam toties quoties acquirere possint.

a) Sacramenta Paenitentiae et Eucharistiae rite suscipere debent.

b) Illa pia opera complere quae, Romanarum basilicarum visitationibus loco, ab eorum Ordinario immediate vel mediate per confessarios iniuncta fuerunt.

Quaenam ipsis concedantur, quod ad absolutionem reservatorum et votorum commutationem attinet.

Unicuique horum supra nominatorum licet:

a) Confessarium, aliunde ab Ordinario suo adprobatum, sibi eligere. Is vi Constitutionis « *Qui umbratilem* », a censuris et peccatis etiam speciali modo a iure Sede Apostolicae aut Ordinario reservatis, excepto casu haeresis formalis et externae absolvere poterit.

Haec facultas conceditur tantum pro foro sacramentali erga illos exercenda qui confessionem ad lucrandum iubilaeum instituerint; et quidem probabiliter, ex analogia cum usu huius facultatis, a Paenitentiariis, confessariis Urbis, Palaestinae et Lapurdi, semel tantum.

b) Confessario praeterea a mulieribus in communitate vitam agentibus electo, cum primam iubilaei indulgentiam acquirere volunt, facultas fit quaelibet vota

privata commutandi, iis exceptis quae Apostolicae Sedi reservata sunt et alia quorum aut dispensatio vergeret in detrimentum tertii aut commutatio minus arceret a peccato quam ipsum votum. Item illi potestas conceditur dispensandi a votis privatis quibus moniales post professionem sollemnem sese obstrinxerit quaeque regulari observantiae minime adversentur.

Faxit miserentissimus Deus ut fideles Christi Vicarii voci animose obsecundantes, ingentes spirituales divitias illis magnanimiter oblatas lucrari properent.

Quam pulchrum quamque Deo gratum spectaculum fuerit, intueri perfectionis studiosos, renovato spiritu ad sanctitatem alacriori gradu intendentes: peccatores, commissorum et pravorum habituum pondere abiecto, christianam vitam instaurantes, omnes denique in amore animarum et pastoris supremi devotionem etiam atque etiam crescentes et ardentes!

M. FABREGAS S. I.

De iubilaeo varia supplementa.

1. *De Facultatibus.* Facultates quae extra Urbem, per annum sanctum conquiescunt seu suspenduntur, sunt facultates dispensandi et absolvendi in utroque foro, quae a S. Sede profiscsiscuntur, exceptis iis quae Codice iuris canonici quovis modo conceduntur, et iis etiam quae pro foro externo Legatis Apostolicae Sedis, Ordinariis locorum et Superioribus Religiosorum Institutorum maioribus in subditos suos sunt tributae. — Facultates quas pro foro interno S. Paenitentiaria concedere solet, etiam si alia via legitima obtentae fuerint, extra Urbem exerceri possunt erga eos qui « quo tempore confessionem peragunt, iudicio Ordinarii aut confessarii nequeant sine gravi incommodo Urbem adire » (Const. *Nullo non tempore*). — Inter istos profecto habendi sunt quotquot Const. *Qui umbratilem*

stabili impedimento detentos considerat, nisi uni ex iis, tempore confessionis, copia extraordinarie fiat petendi Urbem. Erga istos facultates habituales simpliciter exerceri possunt. Ampliores autem facultates quas Const. *Qui umbratilem* concedit, erga eos tantum exerceri possunt qui indulgentiae iubilaei serio ac constanter participes esse cupiunt.

Nullatenus igitur suspenduntur facultates benedicendi numismata, rosaria, res devotionis; immo, ni fallor, facultates impertiendi Tertiariis absolutionem generalem.

2. *De usu semel tantum concesso cum eodem paenitente facultatis (extraordinariae) absolvendi a peccatis reservatis S. Sedi, a censuris, et dispensandi ab irregularitate.* Quamvis Monitum XIV addat « cum ipse (paenitens) iubilaei veniam *primum* lucretur », usum tamen permissum censemus cum paenitente qui prius isto beneficio opus non habebat, et tantum postquam lucratus erat iubilaeum huiusmodi facultate indigeat. Id enim formaliter declaratum est, in praecedenti iubilaeo ordinario, Instr. S. *Paenitentiariae* 15 iul. 1924, n. XV et XVII (*Per.* XIII, p. 145) cuius normas S. Pont., etiamnum observatas vult. Cfr Monita S. *Paen.* 1933, initio.

3. *De indulgentiis.* Cum eae tantum indulgentiae suspendantur quae omnibus fidelibus lucrandae proponuntur, permanere censemus, pro ipsis fidelibus qui condiciones implent, indulgentias variarum coronarum B. M. V., quia non omnibus sed iis tantum prostant qui vel cooptantur in confraternitatem vel saltem specialiter benedictum rosarium possident, sed suspendi putamus indulgentiam concessam omnibus qui coronam recitant coram Tabernaculo SS. Sacramenti. Manent quoque absolutiones generales Tertiariorum. Nec putamus suspendi vim expiationis orationis *Sacrosanctae*, post officium divinum, vel orationis *Obsecro Te*, post Missam, quia hae gratiae non sunt concessae per modum solutionis ex thesauro Ecclesiae, ut ceterae indulgentiae, sed per modum directae absolutionis *vi clavium*. — Et quamvis suspensio per se afficeret indulgentiam pii exercitii quod Fer. VI ad campanae pulsum in memoriam D. N. I. C. morientis peragitur, cum SS. Dominus eam voluerit occasione iubilaei augere e clara Pontificis mente, indulgentia ista non suspenditur.

4. *De Commutationibus.* Hae dicuntur fieri non posse in opera quae ex *obligatione proprie dicta* sunt iam praecepta. Talis non est obligatio regulae non obligantis sub peccato, nec obligatio ex voto spontaneae devotionis emisso.

Opera substituta per se ubique locorum peragi possunt.

Conclusio.

Si fas sit modeste, ex summatim relectis decretis de iubilaeo, colligere qualem augustus Pontifex se in istis revelet, dicemus ipsum simul benignum et severum, liberalem et austerum se prodere.

Benignum et liberalem in amplitudine largitionis, cum per totum annum aprilis 1933 ad initium aprilis 1934, indulgentia plenaria pluries sibi quisque comparare possit, quod, ni fallor, est sine exemplo; severum et austerum in condicionibus: ipse enim primus orationes fundendas stricte praescripsit quae nec paucae sunt; et pluribus condicionibus et modis commutationem operum subiecit. Sed cur ista severitas et austeritas? Ut visitationes fiant serio, ut finis propter quem iubilaeum concessum est praesens in mente servetur, et sic christifideles crescant in cognitione et aestimatione Iesu Christi Ipsiusque Redemptionis. Sed hac ratione magis secura fit indulgentiae acquisitio; magisque omnes in via salutis et perfectionis ponuntur. Grato igitur animo obsecundemus iussis et votis Patris communis, qui vult omnia et nosmetipsos instaurare in Christo.

A. VERMEERSCH S. I.

Notandum de indulg. « *Angelus Domini* ».

Decreto S. Paenitentiariae quod simul sub n. V, cum Monitis et variis decretis de iubilaeo est in A. Ap. Sedis et in his *Period.* vulgatum, SS. D. indulgentias ampliavit pie recitantibus *Angelus Domini*, etc., ac simul concessit ut in locum istarum precum recitari possent quinque *Ave Maria;* et nihil iam postulavit nisi piam recitationem vel *Angelus*, etc. vel surrogatarum quinque *Ave Maria.* Non videtur igitur iam necessarium, etsi laudabile sit, ut recitetur flexis genibus.

Solutio casus de absolutione a censuris propositi p. 44*.

Ad I. Hoc principio in primis utendum est: Inter condiciones necessarias ut quis afficiatur censura, non sufficit ut peccaverit, etiam graviter; sed praeterea requiritur ut sit contumax (can. 2242). Auctores autem approbant, immo fere ad litteram repetunt definitionem quam de Contumacia virtuali tradit Reiffenstuel, L. V, t. 39, n. 14, quae haec est: est audacia qua quis sciens aliquid sub censura esse prohibitum, nihilominus contra prohibitionem agere audet. (1).

Iam vero noster Titius mere conscius erat de peccato non ordinario, a quo omnes eum absolvere non possent. De censura nullam distinctam apprehensionem gerebat. Et ut vir laicus, de ignorantia affectata argui nequit. Dicendum igitur est Titium censuram specialissime reservatam effugisse.

Ad II. Non extraordinariae potestati (quae numquam parocho datur) sed crassae ignorantiae tribuendum est quod parochus vel ignoraverit delictum esse excommunicatione specialissime reservata punitum, vel existimaverit se posse a tali censara Titium absolvere, non imposito onere recurrendi intra mensem ad S. Paenitentiariam eiusque standi mandatis.

Ad III. Excommunicatus quidem « non potest sacramenta recipere ». Verum verba « non potest » intellegunt « non potest licite » non autem: « non potest valide ». Quare Titius fuit valide ab aliis suis peccatis absolutus, et quidem directe; a peccato autem munito censura specialissime reservata non fuit absolutus nisi indirecte, manente proin onere accusandi istud

(1) De formali contumacia non est hic loquendum; haec enim habetur cum quis ideo legem vel praeceptum violat ut praecise contemnat auctoritatem; ideoque specialem malitiam importat.

peccatum in proxima confessione, apud confessarium qui eum rite, saltem imposito onere recurrendi, absolvere poterit.

Ad VI. Postquam errorem parochi edoctus est, Titius debet confiteri; et directe, cum onere recurrendi, absolvi. Antequam sic absolutus erit, censura ligatur qua susceptio s. Communionis graviter illicita ipsi erit.

A. VERMEERSCH S. I.

Casus liturgicus

I. Agatho, sacerdos, in die tertia, septima et trigesima ab obitu fidelis, solet privatim missam de requie dicere, etiam occurrente vel festo duplici quod non sit duplex secundae classis, vel Feria Quadragesimae. De quo usu graviter reprehenditur a Severo, quia iis diebus missae votivae prohibeantur.

II. Delicatus, sacerdos, cum die qua rubricae tres orationes in Missa exigunt missam celebraret pro gratiarum actione, cuius oratio sub unica conclusione cum festiva diei oratione dicenda est, dubius haeret utrum oratio diei cum oratione pro gratiarum actione tamquam una an tamquam binae computandae sint.

III. Canonicus Ambrosius, cum in quadam ephemeride legisset, in missa sollemni ad offertorium pelvim et manutergium non a clericis ministris sed a diacono et subdiacono esse celebranti sacerdoti suppeditanda, miratur id in missa capitulari non observari. Quare id reformandum declarat. Sed ceteri canonici reformationi obstant, ita ut cum Ambrosius sua vice missam solemnem celebraret, ad offertorium nemo fuerit qui ipsi manus lavandas offerret: non acolythi, quos ipse repellebat, non ministri sacri, qui ipsi in hac re servire nolebant. Quid ad casum?

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

De vacatione beneficii post emissam professionem religiosam.

1. Can. 584 haec habet: « *Post annum ab emissa qualibet professione religiosa, vacant beneficia paroecialia ; post triennium cetera* ».

Complura dubia et multae quaestiones oriri possunt, praesertim ad praxim quod attinet, circa genuinum sensum rectamque interpretationem huius canonis. Nonnulla breviter saltem et perspicue nobis videntur animadvertenda.

2. Imprimis animadvertendum ducimus, vacationem contingere *ipso iure,* independenter equidem a peculiari voluntatis actu positivo sodalis religiosi. Huiusmodi vacatio nec privationis nec amotionis nec eo minus translationis habet rationem, sed *tacitae renuntiationis*, ad normam can. 188. Eo ipso enim quod Titius parochus seu beneficiarius statum religiosum amplectitur et, rite absoluto novitiatu, professionem religiosam emittit, manifeste ostendit se novam vivendi rationem suscipere velle ac propterea renuntiare beneficio antea possesso, cuius iura et officia interdum incompatibilia erunt cum statu religioso sponte suscepto.

Quae tacita renuntiatio, ab *ipso iure* admissa, vim

atque efficaciam sortitur, etsi forte beneficiarius nullam habeat re vera intentionem renuntiandi, imo contrariam plane voluntatem patefaciat.

Neque ad id ulla requiritur declaratio ex parte Superioris religiosi aut loci Ordinarii; ut liquet, ceteris omissis, ex can. 188, qui statuit: « Ob tacitam renuntiationem ab ipso iure admissam quaelibet officia vacant ipso facto et *sine ulla declaratione,* si clericus: 1° professionem religiosam emiserit, salvo, circa beneficia, praescripto can. 584. . . » .

3. Ad normam can. 34, § 3, 3°, annus et triennium ita sumi debent, ut primus dies non sit computandus et tempus finiatur expleto ultimo die eiusdem numeri.

Ratio cur citius vacent beneficia paroecialia, et serius cetera, manifesta est. Ubi agitur quippe de cura animarum gerenda, bonum spirituale fidelium urget ut quam primum designetur pastor, qui dominico gregi sedula cura atque effusa caritate actu consulat, ne secus damnum patiatur animarum salus.

Consulto can. 584 loquitur de « *qualibet* professione religiosa », ut perspicue et explicite comprehendatur non solum professio perpetua, verum etiam temporaria. Hinc facile intelligitur cur ex iuris dispositione omnia beneficia in genere, i. e. paroecialibus tantum exceptis, nonnisi *post triennium* ab emissa professione vacent. Sane vel agitur de Ordine seu Congregatione religiosa, in qua emittuntur vota perpetua, vel non. Si *primum,* professioni perpetuae semper et necessario praemittenda est professio temporanea ad triennium (can. 572, § 2, 574); si *alterum,* expleto votorum tempore, sodalis potest aut sponte discedere aut iusta de causa a Superiore non admitti ad vota renovanda. Quare ipsi provide consulitur, in utroque casu, per beneficii possessionem.

4. Ante Codicem, ex c. 4, *de regularibus et transeuntibus ad religionem,* III, 14, in 6°, Episcopus seu

ordinarius collator non poterat « *infra probationis annum* » conferre beneficium illius qui religionem ingressus fuisset.

Ad rem egregie SCHMALZGRUEBER ait: « Quaeritur 6. An novitius, durante anno probationis, retinere possit beneficium ecclesiasticum, an vero illud in ipso ingressu vacet, ita ut statim alteri conferri possit? *Resp.* non vacare, sed retinere illud novitius potest usque ad professionem, ita tamen, ut constituendus sit vicarius, qui beneficio deserviat in officiis divinis et cura animarum si curatum illud sit, assignata illi de proventibus beneficii congrua portione, prout statuitur in *c. Beneficium 4, hoc tit. in 6*^{0}. Estque hoc verum, etsi vel propter regulam Ordinis, vel propter aetatis defectum, vel ob aliam iustam causam, ultra annum prorogetur probatio.... quia toto probationis tempore ius voluit novitio liberum esse egressum. Atqui non parum libertas haec minueretur, si novitius videre deberet beneficium suum alteri conferri » (1).

BENEDICTUS XIV scitissime docet: « De beneficiorum vacatione, in iure statutum habemus, eam non induci per solum ingressum in religionem, sed per professionem regularem dumtaxat, quemadmodum videre est in cap. *Beneficium, de Regularibus*, in 6. Et quidem pro eo tempore, quod inter ingressum in ordinem regularem et professionem solemnem intercedit, debet Episcopus, quoad beneficia curata, id ipsum agere, quod alias praestare consuevit, cum parochus aliquo impedimento detinetur, ne animarum curam exercere valeat; quoad beneficia vero choralia, relictis tyroni religioso, qui choro interesse nequit, ipsius beneficii fructibus, de distributionibus ita statuet, ut iura praescribunt » (2).

---

(1) Lib. III, tit. 31, n. 90.
(2) Epist. « *Ex quo* », 14 ian. 1747, § 15.

5. Potestne beneficiarius, ante tempus praefinitum a can. 584, scil. ante annum vel triennium elapsum, suo beneficio renunciare?

Procul dubio potest renunciare ante ingressum in religionem, quia nullum est iuris praescriptum, quod vetet huiusmodi renuntiationem; sicut renunciare valet bonis suis aut de eorum usu et usufructu libere disponere. Num, durante novitiatu aut post emissam professionem, *valide* fieri possit renuntiatio, controvertitur. Nonnulli negant, ob analogiam ex can. 581, § 1 et can. 583 desumptam, vel dicunt eam saltem vim non sortiri nisi post elapsum praefinitum tempus; idque ex veteri disciplina confirmant. Bouix docet: « Non potest beneficium novitii ante ipsius professionem alteri conferri, quantumvis beneficium illud resignaverit. Nam renuntiatio beneficio non aliter effectum suum sortiri potest, quam renuntiatio bonis temporalibus; id est, nisi servata per Tridentinum decretum praescripta forma: quia lex illa Tridentina utramque renuntiationem aeque attingit; sed renuntiatio bonis temporalibus effectum suum sortiri nequit, nisi *secuta professione;* ergo nec renuntiatio beneficii » (1).

Item Benedictus XIV ait: « Si quis forte religionem ingressurus, beneficium suum dimitteret.... vel etiam si tempore novitiatus huiusmodi dimissionem expleret... *omnia in suspenso remanere deberent;* neque posset Episcopus ad beneficii sic dimissi collationem devenire, *nisi post factam a dimittente solemnem professionem* » (2).

Alii affirmant, *valide* fieri posse renuntiationem etiam durante novitiatu aut post emissam professionem, ob has rationes: 1° quia Codex nullam de hac

---

(1) *Tractatus de iure regularium,* p. 592.

(2) Epist. « *Ex quo* », 14 ian. 1747, § 15. Cfr Riganti, *Commentaria ad Regulas Cancellariae,* reg. 46, n. 2 ss.; Suarez, *De religione,* lib. V, cap. 16, num. 12.

re continet prohibitionem; 2⁰ quia dispositio de bonis in can. 581, § 1 contenta, huc non spectat, cum illa respiciat *bona* mobilia et immobilia, quorum religiosus habet dominium, ideoque nullatenus confundenda cum beneficio ecclesiastico; 3⁰ quia praescriptum can. 569, § 1 item loquitur de *bonis* proprie dictis, non autem de beneficiis, ac praeterea sodalis iubetur, *ante professionem votorum simplicium*, administrationem bonorum suorum *cedere* atque de eorundem usu et usufructu *libere disponere:* quae omnia profecto beneficiis ecclesiasticis nequeunt applicari; 4⁰ quia lex irritans est natura sua odiosa, ac propterea minime admittenda, nisi certo constet de eadem, ad normam can. 11.

Haec sententia, re accurate perpensa, vera dicenda. Expedit tamen, practice loquendo, ut vel renuntiatio fiat ante ingressum in religionem, vel omittatur, seu exspectetur donec, elapso tempore a iure statuto, ea ipso facto accidat, nisi forte peculiares circumstantiae aliud suadeant.

Si novitius seu religiosus renuntiaverit, Episcopus non tenetur hodie, aliter ac olim, differre collationem beneficii resignati usque ad professionem solemnem aut perpetuam vel temporariam, aut usque ad tempus praefinitum a can. 584, sed potest *statim* beneficium *valide* conferre, servatis servandis, cum ex supra dictis nec resignatio nec collatio beneficii, in casu, peculiaribus conditionibus a Codice alligata dicatur.

6. Quomodo consulendum est beneficii administrationi atque oneribus seu officiis eidem adnexis, si beneficiarius ingrediatur religionem, beneficio retento?

Palam est, apte providendum esse administrationi et officia seu onera beneficia adnexa, fideliter ac religiose esse implenda, ita ut nullum ex hoc capite beneficium patiatur damnum.

Ante ingressum in religionem, beneficiatus, certiore facto loci Ordinario eoque probante, disponere debet

de recta beneficii administratione. Si forte ipse nihil disposuerit de hac re, Ordinarius loci ius et officium habet disponendi ad normam sacrorum canonum.

Quoad onera, ita distinguendum: novitius seu religiosus tenetur ad illud servitium, quod ipse *per se* exercere valet in novo suscepto vitae statu, v. g. ad horas canonicas recitandas; quoad cetera onera, v. g. quoad curam animarum si agitur de parocho, satisfacere debet *per alium*, cui congrua portio de beneficii reditibus assignanda est. Quare BONIFACIUS VIII decernit: « Interim eidem beneficio per alium deserviri debebit, *assignata sibi congrua de ipsius proventibus portione* » (c. 4, de regularibus *et transeuntibus ad religionem*, 14, in 6^0). Id profecto postulat non solum aequitas, sed ipsa quoque iustitia.

Huiusmodi autem portio determinanda est ab Ordinario loci. Ita communiter Doctores ante Codicem, v. g. PIRHING, SANCHEZ, REIFFENSTUEL, FERRARIS, BOUIX (1) et alii. Codex nihil expresse statuit de praedicta portione fructuum assignanda a loci Ordinario; implicite tamen id perspicue eruitur ex variis canonibus, qui loquuntur de clerico adiuvante aut supplente parochum seu beneficiatum (can. 471, § 1, 472, 1^0, 475, § 1, 476, 1^0, etc.).

Residui fructus beneficii, post solutam congruam portionem, pertinentne ad novitium seu religiosum, an potius ad religionem, an forte ad pias causas quatenus sint impendendi in favorem ecclesiae vel pauperum?

SCHMALZGRUEBER ad rem ait: « Sequitur 3. huiusmodi novitium, si beneficium administret per vicarium, etiam lucrari fructus grossos eiusdem; qui proinde, casu quo exierit ex religione, dempta portione, quae

(1) PIRHING, lib. III, tit. 31, n. 76; SANCHEZ, lib. VII, *Mor.*, cap. 4, n. 14; REIFFENSTUEL, lib. III, tit. 31, n. 119; FERRARIS, *Bibliotheca*, v. *Novitiatus*, n. 25; BOUIX, op. cit. pag. 592).

constituta est eiusdem vicario, restituendi eidem sunt. Si vero perseveraverit, et professionem ediderit, in illis succedet monasterium, si successionis sit capax, sicut succedit in aliis bonis professi, nisi hic ante professionem de illis aliter disposuerit » (1). Ita passim veteres Auctores.

Reiffenstuel tamen (l. c.) docet fructus, post professionem, non acquiri monasterio seu religioni, sed erogandos esse in favorem causae piae aut ecclesiae, utpote fructus beneficiales superfluos.

Iure Codicis residui beneficii reditus obveniunt ipsi beneficiato, durante novitiatu; post professionem, item eidem beneficiato *per se* obveniunt, attento praescripto can. 569, § 1 et can. 580, nisi de illis antea disposuerit. Palam est, in casu locum non esse applicationi can. 582, quia ante annum vel triennium, de quo in can. 584, professio sollemnis nequit iure vigente emitti. Neque locus est praescripto can. 580, § 2, qui statuit: « Quidquid autem industria sua vel intuitu religionis acquirit (professus a votis simplicibus), religioni acquirit ». Fructus beneficiales sane nec *industria sua* nec *intuitu religionis* sodalis acquirit, ut manifestum est. Ergo.

7. Canonicus, qui ingreditur religionem, lucraturne per triennium ab emissa professione tum fructus praebendae tum distributiones chorales? an potius ad id peculiari indulto S. Sedis indiget?

Canonicus, post ingressum in religionem usque ad triennium praefinitum a can. 584, lucratur fructus praebendae ex ipsius iuris dispositione, adeo ut nullum ad id requiratur peculiare indultum Sedis Apostolicae. Non lucratur autem distributiones chorales, quia nec physice praesens in choro est, nec iuridice

(1) Lib. III, tit. 31, n. 93.

scil. per fictionem iuris, cum inter causas excusantes a choro cum iure percipiendi distributiones nequaquam recenseatur absentia ob ingressum in religionem. Diximus praefatum canonicum lucrari *fructus praebendae,* dempta tamen congrua ex iisdem portione, ut satisfiat tum officiis *communibus,* tum officiis *peculiaribus* quae oriuntur vel ex natura canonicatus, v. g. canonici paenitentiarii aut theologi, vel ex lege fundationis, vel forte ex conventione legitime inita, vel ex lege pontificia.

F. M. CAPPELLO S. I.

Varia quaesita de iubilaeo

I. *De absolutione censurarum.* In fasciculo superiore, p. 97*, censuimus etiam nunc licere confessario ut facultate extraordinaria absolvendi a peccatis et a censuris specialiter reservatis S. Sedi, ac dispensandi ab irregularitate utatur in gratiam paenitentis qui, dum iubilaeum lucrabatur, isto beneficio opus non habebat, et postea tantum, durante tamen iubilaeo, eo indigere coepit. Ac re vera id fuit in proxime praecedenti iubilaeo ordinario formaliter declaratum. Cfr S. *Paenitentiariae* monita 31 iul. 1925, n. XVII (*Per.* XIII, p. 155).

Modo tamen, ex benigna communicatione, novimus mentem S. *Paenitentiariae* esse ab ista extensione alienam. Ac re vera, cum facultates expresse declarentur semel tantum utendae, idque quando paenitens iubilaei veniam primum lucretur, cum paenitentiarii et confessarii a quolibet paenitente peccatis vel censuris speciali modo S. Sedi reservatis irretito exquirere iubeantur:

« 1^0 utrum iam iubilarem veniam lucrifecerit necne;

« 2^0 quod si eam non lucrifecerit, num, anno sancto vertente, a peccatis vel a censuris reservatis,

sive Romae, sive Lapurdi, sive in Palaestina absolutus fuerit »; idque declaretur « summopere necesse..... ut munere suo rite fungantur » (1), opus fuisset nova legislatoris declaratione, ut usus, etiam primus, permitteretur cum paenitente qui iam iubilaeum esset lucratus. Namque ex canone 67 : « Privilegium ex ipsius tenore aestimandum est, nec licet illud extendere aut restringere ».

Accedit, quod cum agitur de censurarum absolutione, minus amplae sunt facultates praesentis quam proxime superioris iubilaei. Ita Const. *Si umquam*, 15 iul. 1924, 1, paenitentiarii ordinarii et extraordinarii absolvere poterant, sine onere recurrendi ad S. *Paenitentiariam*, sacerdotem reum absolutionis proprii complicis semel aut bis tantummodo attentatae. Nihil simile hodie legitur concessum.

II. *De usu facultatum in proprium commodum.* Paenitentiarius vel confessarius possuntne in proprium commodum uti facultatibus quae, per iubilaeum, ipsis sunt concessae ?

R. Vi can. 201 § 2 et 3, potestas iudicialis in proprium commodum exerceri nequit; sed in proprium commodum exerceri permittitur iurisdictio voluntaria seu non iudicialis, « nisi aliud ex rerum natura aut ex iure constet ».

Quare, R. D. Rossi (2) scite distinguit potestatem absolvendi a peccatis et censuris, quam negat a confessario vel a paenitentiario sibi dari posse, et potestatem varia dispensandi.

Ut de re paulo accuratius dicamus:

Quia censurae per absolutionem remittuntur, iste usus iurisdictionis nequit in proprium commodum exerceri. Consentiunt auctores: ROSSI, op. c. n. 50;

(1) Cfr *S. Paen. Monita* 28 febr. 1933, Mon. II.
(2) *Il Giubileo della Redenzione*, n. 50.

D'ANNIBALE, *Summula,* I, n. 72, nota 11 ; BLAT O. P., in can. 201 ; MATTHAEUS A CORONATA O. M. Cap., *Institutiones,* I, 282, qui allegat can. 2236 § 1.

Ex ipsa rei natura, excluditur quoque potestas dispensandi a poenis vindicativis (MATTAEUS A CORONATA, l. c.) ; ab irregularitate (DE MEESTER, *Iuris can.... Compendium,* I, n. 464). Ratio est quia qui reus poena vel simili gravamine feriatur, non possit quasi iudex in propria causa se ipse sanctione sui reatus liberare.

Quod ad alias dispensationes : a votis, ab operibus praescriptis, usus can. 201, 2, procul dubio iis permittitur qui extra sacramentalem confessionem haec dispensare possunt. Si autem facultas non possit nisi in sacramento exerceri, arbitramur eandem non posse in proprium commodum adhiberi. Ratio est, quia facultas ad usum sacramentalem limitata *non potest* exerceri nisi erga paenitentes. Atqui, ut ait SANCHEZ, *De Matrimonio,* L. VIII, c. 3, n. 10, potestas ultra concessionem porrigi nequit. Nemo autem potest esse suimetipsius paenitens.

Fatemur tamen de huiusmodi limitatione tacere BLAT, l. c., PRUEMMER O. P., *Manuale iuris canonici,* DE MEESTER, op. c., I, n. 464.

III. *De requisita intentione.* Ut quis iubilaeum lucretur, sufficitne intentio habitualis, quam omnis christianus habere censetur dum, de indulgentia non cogitans, praescriptas condiciones implet, an requiritur virtualis intentio?

R. 1. Moraliter fieri nequit ut sine virtuali intentione ipsa opera requisita praestentur, cum preces sint ad peculiares intentiones fundendae, et speciales facultates exerceri non possint nisi in gratiam eorum qui « ad confitendum accedant *ea mente et sincera voluntate* ut iubilaei veniam consequantur » *(S. Paenit. Monita* 28 febr. 1933. Monit. I, *Per.* 1933, p. 33).

2. Casus tamen hac vel simili ratione evenire potest. Titius iubilaei veniam acquirere vult. Proponit lucrando iubilaeo destinare confessionem et communionem peragendam in festo SS. Apostolorum Petri et Pauli. Interea pluries ad sacramenta accessit. Sed die 29 iunii a confessione et communione physice impeditur. Potestne anteriorem sacramentorum receptionem ad iubilaeum lucrandum ordinare?

Existimamus positivam ordinationem anteactae receptionis *requiri*, quia *Monita S. Paenit.*, 28 febr. 1933, memorant confessionem quae fiat ex voluntate veniam iubilaei consequendi: huiusmodi confessio non est necessario prima quam paenitens per annum iubilarem instituerit.

Si autem ordinatio positive fiat, eam arbitramur efficacem fore, quia non agitur de intentione qua actio informetur sed de applicatione actionis factae.

Per se peculiaris intentio lucrandi iubilaei in peragenda confessione vel communione non requiritur. Cfr R. P. Cappello S. I., *Per.* XVIII, 16. 17; R. D. Wehr, *Pastor Bonus,* XLIV, 141.

IV. *De usu eiusdem confessionis vel communionis ad indulgentiam iubilaei et aliam lucrandam.* Quid autem si praefatus paenitens per anteriorem sacramentorum usum aliam indulgentiam sibi (si fieri poterat) vel defunctis acquirere voluerit? Potestne una confessione vel communione satisfieri condicioni iubilaei et alius indulgentiae?

R. Ex can. 931 § 1, eadem confessio et communio ad plures indulgentias lucrandas sufficere potest. Positiva autem ordinatione canonis 932 indulgentia per se acquiri non potest per opus lege aut praecepto impositum, excepta sacramentali paenitentia. De iubilaeo autem haec peculiaria statuta sunt: lucrando iubilaeo instituenda est confessio, quamvis ob commu-

nionis frequentiam, canone 931 § 1, a condicione confessionis pro aliis indulgentiis Christifidelis eximatur; et tam confessio quam communio distinctae esse debent a confessione et communione quibus praeceptum paschale vel annuae confessionis impleatur. Cfr Const. *Indicto a Nobis,* n. XI et XII.

Quare, cum nihil aliud sit specialiter statutum, censemus unam confessionem et communionem valere posse ad lucrandam indulgentiam iubilaei et aliam indulgentiam, intra terminos can. 931 § 1.

V. *De operibus eadem occasione pro multiplici iubilaei acquisitione repetitis.* Caius, antequam aliis condicionibus iubilaei satisfecerit, sexies in basilica S. Pauli, eandem sexies visitando, preces praescriptas recitat, ter pro prima ter pro altera indulgentiae iubilaei acquisitione. Potestne sic opera praescripta ad binas iubilaei acquisitiones destinare?

R. Id fieri posse censemus, cum nulla clausula prohibeatur, et generaliter statuatur opera quolibet ordine peragi posse.

VI. *Quoties preces sint recitandae.* Suntne praescriprae preces in singulis visitationibus basilicarum repetendae?

R. Repetendae sunt. Namque, ut naturalis sensus verborum habet, pertinent ad modum quo visitationes peragendae sunt; ac dispensati a visitationibus duodecies preces fundere debent. Cfr Const. *Quod nuper,* versus finem; Const. *Indicto a Nobis,* n. X; *Monita S. Paenitentiariae,* n. XII, 3. Attento hoc Monito, evacuantur rationes dubitandi allatae a R. D. Wehr, *Pastor Bonus,* XLIV, p. 141 nota 5.

VII. *Quaenam Fidei professio requiratur.* Fidei professio potestne fieri recitando Symbolum Apostolorum vel Credo Nicaenum?

R. Utroque modo praescriptae professioni satisfit. Utraque enim est probata Fidei professio. Symbolum Apostolorum a catechumeno vel patrino recitatur in baptismo; Symbolum Nicaenum recitatur in Missa, quando liturgia secumfert *Credo*.

A. Vermeersch S. I.

De componendo canone 1094 et 209.

De parocho teste authorizabili (seu authenticam fidem dante actui iuridico) hae duae quaestiones moveri possunt.

I. Parochus exercetne iurisdictionem dum matrimoniis assistit?

II. Suppletne Ecclesia, in errore communi istam assistentiam sicut supplet iurisdictionem, et qua ratione, quibusnam limitibus?

Hodie, moraliter unanimi sententia, priori quaestioni respondetur *negative*. Sed tunc altera exoritur: si non exercet iurisdictionem, qui locus est utendi, in errore communi, canone 209, quo, in communi errore, sola iurisdictio expresse suppletur?

Solam priorem quaestionem in hoc fasciculo tractabimus. Idque satis ample; quia si minus consensio, saltem non ita raro distincta rei explicatio et solida demonstratio desideratur.

In proximum tunc fasciculum differimus veram controversiam, quam accurate examinare et pro viribus elucidare conabimur.

Ubi forma servari debet et licet « ad normam can. 1094 ea tantum matrimonia valida sunt quae contrahuntur coram parocho vel loci Ordinario vel sacerdoti ab alterutro delegato et duobus saltem testibus ».

Communis praeterea est Doctorum sententia matrimonia coram parocho et testibus rite inita valida esse dummodo parochus, (de quo in dissertatione nostra agitur) etiamsi pastorali munere non fungatur, talis existimetur quia, ut docent, locus datur applicationi canoni 259: « In errore communi iurisdictionem... supplet Ecclesia ».

Num igitur parochus cum nuptiis adest contrahentiumque consensum exquirit aliquam iurisdictionis potestatem exercet? Quod si nullam quo iure, etiam cum tantum est parochus existimatus ad matrimonii valorem defendendum canon 200 invocatur?

En duas questiones quibus elucidandis nos committimus; quarum modo priorem: *a*) canonis 1094 genesi; *b*) auctorum doctrina et *c*) ratione solvemus.

I

a) — *Canonis 1094 origo*

Compertum est canonem nostrum, per decretum « Ne temere » a celeberrimo capite « Tametsi » derivari, in quo canoni 1094 omnino similia promulgantur: « Qui aliter quam praesente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi seu Ordinario licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sacra Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit... » (Denz. Banw., ed. 16, n. 992).

Semper et ubique, vel ab ipsis eius primordiis, Ecclesia sibi peculiarem in Christi fidelium matrimoniis interventum vindicavit atque obtinuit.

Historia teste, ea iustas honestasque leges quibus regebatur legitimus matrimonialis contractus populorum a se baptismo regeneratorum adoptavit, sollemni-

tates quae illos comitabantur ritibus suis castigatas sanctificavit. Nec infitiari licet quam acerrime sacra hierarchia totum nuptiarum regimen imperio suo subiecierit quantique a populo christiano matrimonia in facie eiusdem Ecclesiae celebrari fieret (1).

Attamen labente tempore haud pauca in matrimoniales contractus vitia irrepserunt, quorum inter praecipua, clandestinitas recensenda venit. Huic ut succurreretur Tridentinum Concilium decretum « Tametsi » edidit. Mentem autem cur Sacra Synodus parochi praesentiam indiderit acta eiusdem ostendent.

In priore e quattuor schematibus « de Clandestinitate » quae Patribus antequam ipsi decretum « Tametsi » suffragarentur excutienda delata sunt, ne verbum quidem fit de parocho. « Sacrosancta Dei Ecclesia », sic exorditur schema, « statuit et decernit ea matrimonia quae in posterum clam non adhibitis tribus testibus contrahuntur irrita fore et nulla.... ».

Verum tamen est in discussione in utramque schematis partem procedente tum Cardinalem Lotharingum tum alios Patres postulare ut unus e tribus testibus esset vel « sacerdos », vel « parochus » vel parochus qui nuptias sua benedictione confirmaret. At vero hi non alia de causa parochi praesentiam requirebant quam alii, « testes omni exceptione maiores » « testes qui cives essent eiusdem ac contrahentium civitatis » exoptabant: omnes publicam matrimonio fidem addere contendebant.

Hoc amplius evincitur, si consideretur, alterum « de Clandestinitate » schema Patribus die 7 Augusti 1563 delatum nullam adhuc mentionem de parochi praesentia ut condicione sine qua non ad matrimonii valorem inferre. « Tametsi, sic se habet schema, « Sa-

(1) Cfr M. P. L., T. I. col. 302. II, col. 943. XVI, col. 984. XIII, col. 1136. Diction. de Theol. catholique, t. IX, c. 2103-2106., The Catholic Enc.... verb. Marriage.

crosancta Dei Ecclesia clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta vera ac rata esse non dubitat.... Verum ut medium efficax magnis incommodis et gravibus peccatis ab illis exortis, Sancta Synodus statuit ac decernit omnes illas personas quae in posterum clam sine trium saltem testium praesentia matrimonia sive sponsalia contrahere attentaverint, ad matrimonium sive sponsalia sic contrahenda inhabiles fore ».

Iterum, die 5 Septembris, duplex Patribus considerandum tradebatur schema: in alio iam apparet formula:..... « inhabiles », eos declarans, « qui aliter quam praesente parocho vel alio sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia et duobus vel tribus testibus matrimonia contrahere attentaverint »...; in alio vero necessaria de parochi praesentia altum fit silentium; cumque in subsequente discussione, Cardinalis Madrucius antesignanus eorum quibus clandestinorum irritatio non placebat sententiam suam diceret, hoc suasit, ut « quod de tribus testibus dicebatur relinqueretur probationibus iuridicis ». Adice quod in actis quarti schematis discussionis, haec habentur: Sanctae Severinae Episcopo decretum de clandestinis « placet quoad eos qui vivunt in partibus catholicorum, secus autem in aliis ubi non sunt sacerdotes; ibi loco parochi ponatur tabellio publicus ». Quam sententiam retulerunt episcopi Iustinopolitanus, Brugnatensis, Mutinensis, Laquedomensis, Aquinatensis, Albiganensis, Atrebatensis, Alexanensis, Assaphaensis, Gebensis, Ostunensis, Elnensis, Nemausensis, Hyprensis, Namurcensis, etc. etc. qui quamquam loco parochi expresse tabellionem non postularunt tamen diversis loquutionibus Concilium enixe rogarunt ut « melius provideretur pro locis ubi parochus aut sacerdos difficile haberi possunt », nec defuit qui, ut episcopus Capru-

lanus, haec in sententia notasset « loco parochi dicatur notarius ».

Tandem in ipsa sessione 24 Concilii, Cardinalis Madrutius, priusquam suffragium ferret, dixit, sibi non placere « matrimonia inter legitimas alioquin personas contracta irritari ob parochi vel alterius *sacerdotis et testium* requisitorum absentiam », cui consensit inter alios Patriarcha Hierosolymitanus decreto obiciens quod matrimonia: « sine praesentia parochi et *caetero numero testium* irritarentur ». Constat itaque Concilium parochi praesentiam ad nuptiarum valorem necessariam decrevisse quo matrimoniis publica fides qualificato teste adderetur (1).

b) — *Doctorum sententia*

Canonistae et moralistae, si paucissimi illi excipiantur qui tenent sacerdotem sacramenti matrimonii esse ministrum, uno ore docent parochum ad nuptiarum validitatem tamquam testem qualificatum requiri; ipsum autem ibi propriam iurisdictionis potestatem non exercere.

Quod ut liqueat, praecipuorum dicta proferemus.

Sanctus ALPHONSUS, in sua *Theologia Morali,* Lib. VI, n. 1682, haec habet: « Parochus excommunicatus... irregularis et suspensus valide assistit matrimonio. Quia ibi nullam exercet iurisdictionem; sed tantum assistit ut testis qualificatus qui de matrimonio testificari possit ». Ita communiter... PONTUS, BARBOSA, BONACINA... cum PALAO, CONINCK, LEDESMA, AVERSA, HENRIQUEZ, contra paucos » (quos non nominat). « Et idem ait PAGNANUS ». Cfr etiam nn. 1084. 1087. 897. BENEDICTUS XIV in *De Synodo Dioecesana,* Lib. 13, c. 23, n. 6, ait: « Parochus... interest matrimonio tam-

(1) Cfr STEPHANI EHSER, Conc. Trid. actor. Pars sexta. Sessio 8 (sub Pio IV (24 generalis) in specie nn. 244. 266. 269. 271. 276. 318. 320. 322. 323. 340.

quam testis auctorizabilis pro Ecclesia, quae cum in aliis duobus vel tribus testibus ad matrimonium rite contrahendum necessariis non eas qualitates requirat quae illos omni exceptione maiores constituant,.... idcirco parochi praesentiam voluit ut in illius potestate maximum veritatis fundamentum statueret ut colligitur ex historia dicti Concilii (Tridentini) scripta a PALLAVICINO, Lib. 22, c. 4, n. 3. 12.

Doctor NAVARRUS, in *Consil. Moral.* Lib. IV, *De Cland. Despons.* Consil. XIV, dicit: « Ratio quare Concilium desideravit praesentiam parochi vel sacerdotis ab eo licentiato in contrahendo matrimonio fuit ut cum maiore auctoritate illud contraheretur ».

SALMANTICENSES, in *Theol. Mor., De Matrim.*, Tract. IX, cap. VIII, puncto III, n. 33, tenent: « Si parochus... solum requiritur ad auctoritatem et fidem faciendam, quod est verius... ».

SUAREZ, in *De Censuris*, Disp. XI, Sect. I, n. 24 scribit: « In extrema necessitate licet excommunicato matrimonio adesse... tum etiam quia ille sacerdos... solum adest ut testes qualificatus iure ecclesiastico necessarius ad valorem talis contractus »... et in eadem Disp., Sect. III, n. 24 addit:... « quamvis illa condicio (parochi) iure positivo requiratur in tali persona (qui matrimonio preesse debet) nihilominus... solum postulatur ut qualitas personae ad maiorem fidem faciendam ».

VASQUEZ, in *De Sac. Matr.*, Dispt. III, c. V, n. 63, tradit: « Huiusmodi (praescriptae sollemnitates) sunt in matrimonio numerus testium et qualitas eorum. Neque sacerdos minister est huius sacramenti sed eius praesentia tamquam testis maxime fidei digni ex parte formae sicut praesentia aliorum testium pro solemnitate contractus se habet ».

Sed audiamus iam egregium SANCHEZ, *De Matr.*, Lib. III, Disp. XXI, s. l.: « Utrum assistere matri-

monio sit actus iurisdictionis et proinde si parochus excommunicatus.... assistat, sit invalidus ille actus et consequenter matrimonium. Et videtur non valere matrimonium: quia ille actus est parochi ut parochus est, et non est actus ordinis, ut constat, ergo iurisdictionis... Sit conclusio: matrimonium contractum coram parocho excommunicato... est validum. Prob. quia praesentia parochi requiritur in matrimonio quasi auctoritatem praestans illi per potestatem quam habet in subditos... sed auctoritatem praestare actui sua praesentia non est actus iurisdictionis ergo... Ad argumentum propositum dicitur (matrimonio assistere) non esse actum formaliter parochi in quantum habet iurisdictionem sed in quantum testis legitimus matrimonii... ratione dignitatis paroecialis... Assistere matrimonio non est actus iurisdictionis ».

Lugonis sententia est, *De Sac.*, Dispt. VIII, Sect. XIII, n. 216: « Parochus (matrimonio) assistit quasi testis vel notarius publicus ad quem non spectat examinare merita suscipientis sed fidem facere et testari quae videt ».

Laymann, *Theol. Mor.*, Lib, V, Tract. X, P. II, c. 1, n. 5: affirmat: « assistere matrimonio (agit de parocho) non esse actum iurisdictionis vel administrationis.... Assistere est auctoritatem praebere ».

Ne modernos auctores penitus omittamus, duos hac in re clarissimos nobis adducere liceat.

Wernz-Vidal in Tomo V, *Ius mat.*, n. 332 in nota, refert: « Sicut parochus assistens (matrimonio) per talem assistentiam nullum ponit iurisdictionis actum ». Cfr n. 320.

Emus Cardinalis Gasparri, in suo opere *Tract. Can. de Matr.*, n. 932, ait « Historia Concilii Tridentini aperte tradit ex eiusdem Concilii mente sacerdotem qui matrimonio assistit.... dum assistit, non exercere

ullam potestatem ordinis aut iurisdictionis sed assistere tamquam testem auctorizabilem, ut aiunt, pro Ecclesia, id est testem cui Ecclesia fidem habet ad eum modum quo praesentia notarii et testium pro validitate nonnullorum actuum in materia civili requiritur »...

Quam sententiam tenent D'ANNIBALE, *Summula Theol. Mor.*, T. III, Lib. III, n. 461; BALLERINI, *Opus Theol. Mor.*, T., IV, n. 831. 836; BUCCERONI, *Theol. Mor.*, T. IV, n. 1026; NOLDIN, *Summa Theol. Mor.*, Vol. III, nn. 643. 649; VERMEERSCH, *Theol. Mor.*, Vol. III, n. 795; CAPPELLO, *De Sacramentis*, Vol. III, nn. 663. 664; *Summa Iur. Can.*, Vol. III, n. 513, 5⁰; BLAT, *Comment. Iur. Can.*, Vol. III, n. 496; FANFANI, *De Iurisdict. Parochi*, Tit. IX, c. unic., etc. etc.

c) — *Rationis argumenta*

Sit primum argumentum: Iurisdictio in genere cum MOLINA (*De Iust. et Iure*, Tom. VI, Dispt. 8, n. 6) definiri potest « Facultas alicuius auctoritatem et eminentiam super alios habentis ad eorum regimen et gubernationem ».

Iurisdictionem vero ecclesiasticam cum WERNZ (*Ius Dec.*, Tom. II., Proem.) esse dicemus « publicam potestatem regendi homines baptizatos directe in ordinem ad sanctitatem et beatitudinem supernaturalem a Christo vel ab Ecclesia per iniunctionem sive missionem canonicam alicui concessam ».

Iam SUAREZII verbis ecclesiasticam pro foro interno iurisdictionem a iurisdictione externi fori distinguemus (*Defen. Fidei Cath.*, Liber III, c. VI et X).

Prior « dicitur potestas quae sacerdotes constituit superiores et iudices in quodam divino et secreto foro quod in sacramento paenitentiae exercetur ». Altera « est spiritualis potestas quae humano et sensibili modo membra Ecclesiae et actiones eorum ut spiri-

tualem rempublicam seu Corpus Christi mysticum efformant, in ordine ad aeternam salutem dirigit et gubernat: Potestas scilicet ligandi et solvendi quae non est alia nisi potestas leges ferendi, iudicandi, puniendi, ministros publicos creandi, etc. ».

Atqui « nullus actus huiusmodi potestatis valide fieri potest ab omnino invito et contrariam intentionem habente, siquidem actus agentium ultra eorum intentionem non operantur » (SANCHEZ, *De Matr.*, Lib. III, Dispt. XXI, Quest. 1⁰). Itaque praesentia parochi inviti et contrariam intentionem habentis non sufficeret ad matrimonii valorem. Sed iuxta communem doctrinam et ad normam can. 1095 § 1, n. 3, parochus valide matrimonio assistit etiamsi invitus et contrariam intentionem habens, dummodo « nec vi nec metu gravi constrictus requirat excipiatque contrahentium consensum » (can. 1095 § 1, n. 3⁰). Concludere itaque necesse est, parochum matrimonio assistentem nullum iurisdictionis actum exercere. Altera eiusdem conclusionis probatio facile eruitur ex relatis dictis ubi de canonis 1094 origine et de auctorum doctrina tractabamus. Etenim, si parochus matrimonii testis est, si, cum Sacra Tridentina Synodus eius, ad matrimonii substantiam, concursum requirit, nihil aliud vult quam ut matrimonium coram publico et qualificato teste contrahatur, undenam vel quomodo parochus iurisdictionis actum ponere censeri licet? Numquid testes, vel ipsi publici notarii, cum fidem faciunt, iurisdictionem exercent?

Tertium argumentum can. 1095 § 1 collatione cum can. 19. 2278 § 2 et 2279 § 1 et 2 et 2283 innititur.

Nam ad normam horum canonum parochus, modo per sententiam declaratoriam aut condemnatoriam suspensus ab officio non fuerit (can. 1095 § 1), etiamsi omni iurisdictionis potestate actu careat quod per sententiam sive declaratoriam sive condemnatoriam a iu-

risdictione suspensus sit (can. 2279 § 2, n. 1., 2283) valide matrimonio assistere potest (can. 19. 2279 § 2). Consequitur igitur munus parochi nuptiis sine ulla iurisdictione valide assistentis nullam propriam iurisdictionem involvere. Parochus ergo cum sua praesentia matrimoniis publicam fidem praestat, nullam proprie iurisdictionem exercet. *Continuabitur.*

M. S. Fabregas S. I.

De damnosa in materia castitatis praeteritione principii S. Thomae de delectatione.

I. *Damnosi errores vel modi dicendi.*

I. Causam scribendi de difficili et subtili castitatis argumento nobis dederunt prolatae quaedam, in recens vulgatis operibus (1), conclusiones quae, a communiter receptis placitis recedentes, timorem generant ne, sane contra scriptorum intentionem, plures, maxime iuvenes qui sacris studiis operam dant, fallaces appetitus inferioris instigationes minus abhorreant, et minus timide, minus caute, tentare vel experiri velint quae apprehensione incidendi in grave peccatum a se declinassent. Scribimus autem, nullatenus ex minore existimatione probitatis et scientiae auctorum, aut ex aliquo studio detrahendi de merito eorum operum; sed ut, pro humilibus viribus nostris, intactam servare et confirmare conemur disciplinam circumspectae castitatis qua gloriabantur apologetae primae aetatis christianae (2),

---

(1) Potissimum Alberti, *De sexto et nono*; R. D. Antonelli, *Medicina pastoralis*, ed. 1933.

(2) Ita v. g. Tertullianus, *Apologeticum* c. 9 (M. P. L., I, 314-327. vel G. Rauschen, *Tertulliani Apologetici recensio nova*, p. 34 ss.); Minucius Felix, *Octavius*, c. 31. (P. Lat. III, 335-338; vel *Corp. Script. lat.*; II, 44. 45).

cuius sollicitam curam referebat Athenagoras his verbis (1): « Quos igitur (caritate) fratres et sorores ceterisque cognationis nominibus appellamus, magnopere nobis cordi est ut intemerata et incorrupta eorum corpora permaneant ». Simul istud monebat: « Summa cautione osculum adhibendum est,... ut quod nos ab aeterna vita excludat, si paulum cogitatione inquinetur ».

Iam locos non nullos referamus in quos observatio ista cadit.

I. « Motus *carnalis* in organis genitalibus sedem habent et in actuali pollutione vel distillatione consistunt; sunt motus pollutioni vel distillationi proxime praevii » (ALBERTI, op. c., n. 13).

Constans traditio scholae catholicae etiam motus non ita proximos, quos aspectus, phantasia minus pura vel gestus minus modesti inducunt dicit carnales, dum eos sensuales vocat qui etiam extra istas corporis partes accidunt.

2. « Motus qui notantur in membro ut veniat simplex eius erectio dicimus *motus sensuales* seu *sanguinis*, quia sanguine tantum producuntur et non nisi *remote* se habent ad pollutionem; motus vero qui adiciuntur ulterius ad inducendam pollutionem, qua libido seu actus venereus plene satiatur, dicimus *motus venereos* seu *carnales*, et proxime se agunt ad explendam libidinem (ANTONELLI, op. c., II, p. 298).

« Motus *venerei* voluntarie et directe excitati aut voluntarie passi, sunt semper peccatum grave, cum in genere luxuriae non detur parvitas materiae ».

---

(1) ATHENAGORAS in *Supplicatione* pro christianis, quam inter annum 177 et 180 obtulit imperatori Marco Aurelio et Lucio Aurelio Commodo. Locus pertinet ad c 32; allegat ibi agraphon quo damnatur qui osculum propter delectationem ingeminet. Cfr GOODSPEED, *Die ältesten Apologeten*, ed. 1915, p. 354, et ALFRED RESCH, *Agrapha* in *Texte und Untersuchungen zur Geschichte der altchristlichen Literatur*. Supplicationis locus reperitur apud M. P. G., VI, 963.

De isto loco, istud tantum observabimus, commune placitum quo parvitas materiae a genere luxuriae excluditur, in eo ibi appellari ubi numquam appellatum est vel appellari potuit.

Etenim numquam de motibus *proximis* expletae libidini dubitatum est eos esse graviter culpandos, si voluntati imputandi essent. Omnis controversia huc vertebatur, utrum annon etiam *remote* se habentes, si ex appetitu sexuali voluntarie et deliberate manabant, essent de gravi damnandi.

Cfr VIVA, in Prop. XL damnatam ab ALEXANDRO PP. VII, n. II. Parvitatem materiae intellegebant modicam delectationem (1) deliberate quaesitam. Fautores propos. XL damnatae veniale dicebant osculum datum ob delectationem carnalem ex osculo, *secluso periculo pollutionis.* PETRUS BALLERINI, in *Summa S. Antonini,* Part. II, T. V, *De luxuria,* § 9, annot. 6, ex damnata propositione colligit non esse oscula gravia propter periculum pollutionis, sed *in se* et *per se.* CAIETANUS, in 2, 2, q. 154 art. 4, rationem reddens cur oscula, amplexus, tactus libidinosa a S. THOMA de gravi damnentur, nullatenus e proximo pollutionis periculo argumentatur, sed « quia delectatio istorum actuum est eiusdem rationis cum delectatione concubitus ». Cfr quae fusius scripsimus *De castitate*[2], n. 352.

3. « Si quis hanc erectionem, seu motus sanguinis sine iusta *causa directa* vel indirecta excitatos pateretur, de iis gaudere, non excederet veniale; deordinatio enim, quae in his motibus inveniri potest, numquam talis est, quae posset inducere pollutionem, dummodo, obtenta erectione, *uti sponte fit,* nil agat ad augendam illam cum periculo pollutionis » (ANTONELLI, op. c. II, p. 299).

Sententia ista, quatenus, sine ulteriore causae distin-

---

(1) CARAMUEL eam aestimabat octava parte completae satisfactionis!

ctione (1), *directam* erectionis excitationem, sine iusta causa inductam, a mortali excusat, communissimae sententiae adversatur. Inter causas enim directae excitationis reperitur phantasia turpis. Quis autem in erectione per phantasiam turpem voluntarie et directe provocata non agnoscat motum venereum, graviter culpandum, ut est, extra matrimonium, omnis motus venereus deliberate inductus?

4. « Si delectatio venerea, pollutio, distillatio habent vel habuere pro causa actiones quae *licite* poni possunt aut poni potuerunt, item si sermo sit de eisdem effectibus sponte oborientibus.... probabilius licitum est de ea gaudere. Et ratio est, quia talis pollutio, non est nec *subiective* nec *obiective* mala...

« Itaque in hisce casibus non est illicitum *gaudere* de venerea delectatione talem pollutionem comitante, dummodo tamen pollutio *active,* puta per corporis impulsus vel per tactus non promoveatur »... « Clausula « remoto consensu », quae in praefatis casibus a theologis apponi solet, locum habere non potest, cum licitum sit in ipsas (pollutionem, delectationem veneream) consentire seu de iis gaudere. Attamen cavendum est ne hac occasione voluntas feratur consensu in aliquam actionem illicitam, puta desiderando vel sibi complacendo de fornicatione aut de sodomia, etc. » (ANTONELLI, II, p. 301. 302, exscribens ALBERTI).

Hic fatentur se recedere a communi sententia. Haec tamen merito condicionem « remoto consensu » apponit: a) quia deliberata complacentia in praesenti pollutione, actum psychologice mutat et ab ordine vitae vegetativae vel animalis ad supremum seu rationabilem, ubi peccatum mortale est evehit. « Consensus huiusmodi non est mera intellectualis approbatio

(1) Non negamus enim evenire ut quis, extra omnem impulsum sexualem, mere solacium quaerat cuiuspiam generalis artuum porrectionis, quae, etsi membrum eam participet, extra genus luxuriae versatur.

facti physiologici, sed participationem mentis affert, concursum praebet qui in ipsam commotionem delectabilem, eam augendo, influit, eamque physice mutat; ita ut pro corporali vel partiali pollutione, iam completam habeas. Qua activa participatione ratio iterum sensu abripitur ad fruendum singulatim operatione quae solum ut ad speciem pertinens amari potest, Quare activa ista participatio gradu quidem minorem sed genere similem voluntatis malitiam atque ipsa effectio completa continet. Ergo, qua malitia voluntas pollutionis vitiatur, eadem generice consensus in casualem pollutionem inficitur. Quae malitia, cum substantialem inversionem ordinis essentialis dicat, necessario gravis manet (1) ». b) quia omnis motus carnalis non directe excitatus ponit in nobis inordinationem quae in praesenti ordine naturae elevatae est sequela peccati originalis, cuius dicitur esse elementum materiale, nec proin bona vel indifferens iudicari potest, sed, ut vulnus inflictum naturae nostrae qualem Deus nobis esse voluit, participat vitium peccati originalis, quod debemus penitus odio habere. Consensus autem in motum carnalem, multo magis in pollutionem, approbationem istius inordinationis secum fert.

5. In locum S. THOMAE (2) « Si placeat (pollutio) ut naturae exoneratio aut alleviatio, non creditur peccatum », approbatur haec interpretatio BOUVIER: « Adverte quod non dicit « si placeat effectus pollutionis, sed si placeat ipsa pollutio ». (ALBERTI apud ANTONELLI, II, 301.)

Verum S. THOMAS hoc modo intellegi nequit. Secundum suam doctrinam de duplici effectu, in praefato phaenomeno agnoscit duplicem respectum, alterum pollutionis, alterum alleviationis naturae. Dicendo tunc: « Si placeat ut naturae exoneratio » excludit: « Si

(1) VERMEERSCH S. I., *De castitate*², p. 321.
(2) In IV, D. 9 q. 1 art. 1.

placeat ut pollutio ». Ac certe illud de complacentia mere intellectuali, non de sensibili accipiendum est. Ita auctores communiter. Cfr PRÜMMER, *Manuale,* II, 687; LEHMKUHL, *Theol. Mor.,* I, 358; GÉNICOT, I, 171, Q. II.

Deinde prorsus eaedem obiectiones recurrerent opponendae placitis similibus quae de delectatione in altero sexu proferunt. Verum diutius in his immorari supervacaneum ducimus.

II. *Principium S. Thomae damnose in ratiociniis praetermissum.*

Quomodo haec, quae dolemus, apud probatos ceterum auctores occurrunt? Causa, ni fallimur, haec est, quod in suis colligendis conclusionibus, non satis observarunt principium Angelici Doctoris, ab ipsis tamen non ignoratum, quod numquam in ipsa delectatione sed in actu qui eam praeparat vel comitatur obiectiva rei moralitas reponenda est. Delectatio non potest, sub respectu morali, mere considerari ut aliqua subiecti passio seu affectio, sed cum voluntario subiecti affectu semper coniungenda est (1).

Separatam sumentes sensibilem passionem seu affectionem, auctores quibus inviti contradicimus, potuere eam quae erectionis est et eam quae ad ulteriorem titillationem pertinet distinguere, et solam posteriorem dicere venereamm; sed simul cum affectu libidinoso etiam prior constituit actum imperfectum luxuriae et ordinem venereum ingreditur.

Ac re vera, nonne experientia constat motus quos laudati auctores ut mere sensuales habent affectibus libidinosis immediate respondere? Qui affectus sunt imperfecti actus luxuriae.

---

(1) Quare P. WOUTERS C. SS. R. *De virtute castitatis et de vitiis oppositis,* p. 5, n. 11, ipsam delectationem respectu actus definire potuit, dicendo: delectationem venereamm completam eam esse quae cum actu venereo completo; incompletam, quae cum actu incompleto coniungitur.

Actus autem imperfectae luxuriae, in personis solutis, ordinem dicunt ad actum completum graviter inordinatum, ac proin huius specificam et gravem malitiam participant. Nec refert, ut ait CAIETANUS, in 2, 2, q. 54 art. 4, quod intentio agentis ad actum completum non feratur, ita ut in actu incompleto sistere statuat. Impedire enim nequit quin finis operis sit talis, ac proin, secundum S. THOMAM, quin habeatur consensus in delectationem actus completi quae, ut ipse actus, est gravis. Vel, si malueris ita rem declarare, in actu imperfecto luxuriae deprehenditur — specie eadem gradu tantum minor, — substantialis inversio ordinis naturae quo quis in solum bonum suum singularis personae refert actum qui a Deo propter respectum socialem datur et approbatur. Inversio àutem ordinis rationis, seu actus ordinis essentiali substantialiter contrarius est peccatum mortale.

Confirmantur igitur hae conclusiones nostri operis *De castitate :*

1. « Delectatio venerea est *status psychicus* adductus sensatione venerea seu stricte sexuali et coniuncto affectu » (n. 424, op. c.). Venereae autem sunt : *a)* sensatio *externa* (sic dicta ex *causa*), quando ipso contactu proprii organi sexualis titillatio excitatur ; *b)* sensationes *cinestheticae* quae in actum venereum diriguntur vel ex impulsu stricte sexuali oriuntur : v. g. ex phantasmate obsceno. Non est stricte sexualis mera sensatio erectionis membri qua de eius situ instruimur ; *c)* sensationis *organicae* quae cum seminis (saltem late dicti) emissione coniunctae sunt (n. 423, op. c.).

2. « Delectatio, qua talis, utpote subiectiva affectio subiecti, nullum immediatum ordinem ad speciem habere potest : est semper bonum hominis qui delectatur ; sed delectatio regulatur operatione, quae hic est bono speciei regulata ». (n. 421, op. c.).

3. Nec abusio delectationis est sola malitia pollutio-

nis, quia iste abusus mere in ipso subiecto poneret inordinationem. Sed operatio cui coniuncta est delectatio venerea ordinem ad speciem habere debet; et ex ista privatione pollutio principalem suam malitiam haurit. Si foret principaliter abusus delectationis, qua talis non tolleret nisi ordinem hominis in se ipso ». Cfr n. 421, *De castitate.*

A. VERMEERSCH S. I.

De cooptatione haereticorum in Ecclesiam.

In exteris missionibus non ita raro fit ut ad obstacula quae, ex natura rerum et praesentis infirmitatis humanae exorta, impediunt ne errantes veram fidem amplectantur, alia accedant ex circumstantiis exterioribus atque etiam ex usibus vel legibus civilibus, sine ullo respectu religioso vel adeo morali inductis vel latis. Inter perniciosa ista instituta leges quae per divortium vinculum indissolubile dissolvere attentant, fere primo loco esse allegandas quempiam fugere vix potest.

Missionarius addictus evangelicae praedicationi in regione septemtrionali, quae « diaspora » vocatur, quia ibi pauci catholici e multis acatholicis emergunt, nobis suum animum, laeto et tristi affectu permixtum, litteris zelo plenis patefecit.

Non sine ingenti solacio observat acatholicos Protestantes magis in dies ad catholicam Ecclesiam fieri propensos. Non pauci fluctuantes sectarum opiniones et dissensiones firmis dogmatibus et unitate religionis apostolicae commutare cupiunt. Quare, invitanti gratiae obsequentes missionarium adeunt ut ipsis ianuas Ecclesiae aperiat.

Quos minister evangelii eo laetius excipit, quod spes non ita raro affulget fore ut uxor et liberi simul cum patre ad catholicam unitatem redeant.

Sed dum se ad opus alacriter accingit, et nihil neglegere proponit ut candidatus ad « Pastorem et Episcopum animarum » (1) convertatur, in necessaria de persona et condicione inquisitione, maerens deprehendit ipsum vinculo concubinatus legalis esse irretitum.

Sectae enim perfectam matrimonii indissolubilitatem non profitentur; lex civilis divortia etiam completa sancit; inde relaxati mores divortia usque facit frequentiora et fere cotidiana, ita ut multi Protestantes, qui passim putantur honestam domum regere, re vera sint a legitima coniuge separati, cum altera vero muliere civiliter uniti.

Procul dubio, nihil candidatum a divina lege fidelitatis coniugalis et monogamiae dispensare potest; sed, ut sunt homines infirmi, et qui ab errore convertuntur parum in fide confirmati, sperari nequit ut ipse consuetudinem cum putativa uxore abrumpat, et domum in qua pacifice degit destruat, non sine magno detrimento educationis susceptae prolis.

In his adiunctis usus habet ut, indicato impedimento, missionarius declaret se dolere quod non possit votis candidati satisfacere, donec res matrimoniales secundum divinas leges componi possint. Ut aliis verbis utamur, huiusmodi candidati urbane dimittuntur. Etenim ne instructio quidem conversorum ipsis praebetur. Quare recedunt, propositam conversionem sine die differunt: oves manent sine pastore. Quod autem magis lugendum est, non ipsi soli Ecclesiae amittuntur, sed omnis eorum domus ab ea aliena manet, ita ut plures animae filiorum, nepotum, pronepotum, in radice acatholica languere pergant.

Nonne ipsis destinari possit quidam *postulatus*, distinctus a catechumenatu, in quo aptis lectionibus et hortationibus catholice credere, et, excepta vita coniu-

(1) 1 Petr., 2, 25.

gali, bene agere et bene facere discant? Immo, quid prohibet quin, facta haeresis abiuratione et recepta in foro externo absolutione ab excommunicatione quam acatholici contraxisse existimantur, ad matrem Ecclesiam pertinere incipiant? Sane praeceptum confessionis annuae et communionis paschalis interea non adimplebunt; sed sacra, pias functiones frequentabunt maiore fervore quam tot catholice baptizati qui vel ipsi sacrilego vinculo se astringere tentarunt, vel, religioso taedio affecti, pauca vestigia suae Fidei servarunt. Immo, nonne in professione totius Fidei catholicae doctrinam quoque de sacramento matrimonii credere debebunt? Hinc iam ipsi suam condicionem coniugalem theoretice diffitentur, ita ut germina plenae conversionis secum ferant, quae fructus facilius ferent in istis « postulantibus » quam in tepidis catholicis qui, attentatis, post divortium, mere civilibus nuptiis, sacramentum matrimonii magis conscio modo violarunt. Nec neglegendum est istud commodum, quod civilis potestas postulantes istos ut catholicos inscribet, ita ut Ecclesia istis incrementis etiam externe honestetur. Scandalum, si quod timendum videatur, nonne averti possit divulgatione peculiaris condicionis iuridicae cui postulantes obnoxii sunt et aperta negatione sacramentorum viventium, quam diu legitima unio concubinatui non fuerit substituta? Neque istud praetereamus, personas istas nulla ratione reputari aut tractari ut infames.

Hactenus missionarius, cuius quaesito, pro gravissimo eius momento, pro viribus nostris satisfacere conabimur.

Prius quae certa sunt statuamus.

1. Per viam baptismi postulantes de quibus agimus, Ecclesiam ingredi non possunt. Ut enim fructuose et licite baptismus recipiatur, requiritur attritio de

omnibus peccatis anterioribus et propositum vitae complete christianae.

Quocirca nondum baptizati extra Ecclesiam manere debebunt, donec res matrimoniales componi potuerint.

2. Dubie autem baptizatis baptismus vetatur fieri certus, iterato sub condicione baptismo, nisi ad ipsum baptismum rite sint dispositi. Redit igitur difficultas modo de baptismo absoluto mota.

Sed, hac via relicta, nonne possint per abiurationem et absolutionem a censura membra fieri Ecclesiae?

Non poterunt modo absoluto, quia si non sint valide baptizati, extra Ecclesiam manebunt, cum baptismus sit sola ianua Ecclesiae. Si non sint baptizati, absolutio censurae foret penitus inefficax.

Ut autem *condicionate* abiurent et reconcilientur externe cum Ecclesia, id per se non repugnat. Immo, cum recipitur neo-conversus in Ecclesiam, fidei professio vel abiuratio, non tamen absolutio, ordine baptismum (absolute vel condicionate conferendum) praecedit.

Verum condicionata ista in foro externo absolutio atque omissa condicionata baptismi collatio, a consueto Ritu satis alienae videntur ut Suprema S. Officii Congregatio de re consulenda dicatur.

Ac magnopere profecto cupimus, ut, prae prudentia sua, vel vota missionarii exaudiat, vel alium modum indicare queat quo efficaciter, in descriptis adiunctis, propagandae Fidei et dilatandae Ecclesiae consulatur.

3. Remanent tunc acatholici quorum baptismus moraliter certus sit. Cum his, nihil obstare videtur quominus Ordinarius loci permittat ut *prudenter*, attento periculo et ratione scandali, per abiurationem et absolutionem a censuris cooptentur in Ecclesiam, ut membra adhuc mortua sed quae sperantur victura. Faxit Deus ut in ista regione populus Deo serviens crescat numero et merito!

A. VERMEERSCH S. I.

VARIA QUAESITA LITURGICA

I. - De Calendario in Missionibus

De responsis S. *Rituum Cong.* 23 maii 1929 et S. *C. de Prop. Fide*, 18 maii 1932 (1).

De difficultate conciliandi responsa S. Rit. Cong. *23 maii 1929 et* de Prop. Fide, *18 maii 1932, mentem nostram aperueramus p. 30*, cum* R. P. I. PAUWELS S. I. *ad nos benigne misit explicationem nostra benignorem. Hanc placuit tamen hic subicere, ut lectori plena optio esse sinatur. In genere quidquam de Calendario in missionibus scripsimus quoque t. XX (1931) p. 143*. 144*.*

Duo priora responsa omnino quadrant cum principiis hodierni iuris liturgici et decretis S. *R. C.* hac in re latis, in primis vero cum decr. 28 oct. 1913, n. V, 2, e (2). Aliquam tamen difficultatem facere posset Responsio S. *R. C.* diei 23 martii 1929 ad 1 (3).

Hoc Responso enim videbantur ab obligatione habendi Calendarium proprium excludi Vicariatus et Praefecturae, cum, contra, novum Responsum eisdem applicat decr. 28 oct. 1913, quo singuli Ordinarii iubentur proprium habere Calendarium, et supprimitur privilegium sese conformandi Calendario alicuius Ordinis seu Congregationis. Per se ergo debent singuli Vicariatus et singulae Praefecturae suum habere Calendarium, diversum a Calendario Ordinis seu Congregationis quo Vicariatus aut Praefectura utitur. Hoc autem

(1) Responsa cum annotationibus leguntur in *Per.* XXI (1932) 30 et 248.

(2) Hoc decretum prius promulgatum in A. A. S., 1913, p. 463, postea in nonnullis emendatum et contractum, insertum est vol. VII *Decretorum Authenticorum S. R. C.* sub n. 4308, ubi locus citatus signatur IV, 2, e.

(3) *Periodica,* XXI, n. 16, p. 34. Hoc responsum in A. A. S. non fuit promulgatum.

Calendarium Vicariatus seu Praefecturae, in officio recitando sequi debent omnes et singuli sacerdotes saeculares seu Praefecturae (Resp. ad 1) et huic, iuxta Rubricas Missalis (Add. IV, 6) in Missa celebranda standum est in singulis Ecclesiis et oratoriis publicis, quae de iure non pertinent ad Ordinem vel Congregationem (Resp. ad 2).

Et re quidem vera, decretum 28 oct. 1913 per se habere hanc universalem extensionem sat patet; sed neque Responsum 23 martii 1929 explicite hanc obligationem negat, sed, ut nobis videtur, quaestionem paulum diversam dirimit, scilicet quodnam Calendarium in certis circumstantiis, in quibusdam ecclesiis Vicariatus seu Praefecturae Apostolicae sit sequendum.

Nempe, multis in Missionibus, etiam iam ad dignitatem Praefecturae vel immo Vicariatus Apostolici evectis, vix aut ne vix quidem exsistit clerus saecularis, ita ut quod ad officium recitandum nullus sacerdos Calendarium Vicariatus sequi debeat (1).

Ex alia parte, deficiente clero saeculari, ecclesiae Vicariatus, si quae sint, *necessario* curae committi debent alicuius Missionarii religiosi; quaestio ergo poni potest num illae ecclesiae dici non debeant commissae ipsi religiosae familiae potius quam alicui personae privatae huius familiae; quo casu, iuxta decr. 15 dec. 1899 (n. 4051) et 22 apr. 1910 (n. 4252) in eis adhibendum foret Calendarium Ordinis seu Congregationis. Atque huic quaestioni affirmative respondit Congregatio Responso suo 23 mart. 1923.

Verum, in regione Sinensi res aliter se habent. Ibi enim, saltem in pluribus Vicariatibus et Praefecturis, iam habetur clerus saecularis sat multus, ita ut

(1) Controverti potest num ipse Praefectus vel Vicarius Apostolicus, si est religiosus, ad hoc teneatur. Cum enim ipse non tam arcto vinculo cum suo Vicariatu coniungatur atque Episcopus cum sua Dioecesi, non constat ipsum lege teneri quae obligat Episcopum, etiam religiosum, ad sequendum Calendarium suae Ecclesiae.

ecclesiae Vicariatus non debeant *necessario* committi curae Missionarii religiosi, et si forsan, ob inopiam cleri saecularis, nonnullae earum de facto adhuc sub cura sunt talis Missionarii, illae ecclesiae tamen non amplius considerandae sunt ut commissae curae ipsius familiae religiosae, sed potius huius Missionarii, cum pro lubitu posset Vicarius Apostolicus ei substituere sacerdotem saecularem, ac proin, iuxta decreta, in his circumstantiis inibi stari debet Calendario Vicariatus.

In tertio responso iam non est sermo de Calendario ipsius Vicariatus, sed de inscribendis nonnullis festis in Calendario religiosorum in locis Missionum degentium. Et primo quidem ea quae dicuntur de festis S. Francisci Xaverii et S. Teresiae a Iesu Infante explicatione non indigent, cum pluries iam fuerit declaratum ea festa in omnibus locis Missionum gaudere omnibus iuribus et privilegiis Patronorum principalium loci.

Quod autem dicitur de inscribendis quoque festis Beatorum martyrum Sinensium atque Beati Odorici a Portunaone in Calendario *omnium* Missionariorum Religiosorum ubicumque Sinarum degentium, primo aspectu parum videtur conforme decretis antea latis. Religiosi enim, praeter Sanctos vel Beatos qui Ordinis seu Congregationis regulam professi sunt, non alia festa in suo Calendario inscribere debent quam ea quae cum instituto religioso specialem habent relationem (decr. 12 dec. 1912, n. 4300); et in specie non alia festa localia in eo inscribere possunt quam ea quae iure ipsis praescribuntur, scilicet Dedicationis et Titularis ecclesiae cathedralis, et festa sollemniora Patronorum principalium (decr. 28 febr. 1914, n. 4312). Iamvero, si festa de quibus supra, dici possunt specialem habere relationem cum quibusdam familiis religiosis in Sinis degentibus, certe non cum omnibus. Verumtamen, nemo non videt in locis Missionum haberi « specialem convenientiam ut *omnes* Missionarii colant

festa Beatorum illius populi apud quem illi « pro Christo legatione funguntur », et ideo illas exstare rationes quas decr. 4312, VI, postulat, ut insertio horum festorum in Calendario Religiosorum a S. Congregatione impetretur (1).

Responsum hoc particulare et in A. A. S. minime promulgatum, per se non obligat nisi regionem Sinensem pro qua est datum. Attamen, in quantum tantummodo S. *R. C.* decreta declarat, in Missionibus eandem vim habet atque ipsa illa decreta. Immo, cum ubique eaedem rationes habeantur ut Missionarii *omnes* festa colant Beatorum populi quem evangelizant, saltem dicendum est decere ut omnes Missionarii, huic invitationi obtemperantes, a S. Congregatione insertionem horum festorum in suo Calendario postulent.

IOS. PAUWELS S. I.

II. - De diebus quibus ordines minores conferri possunt.

Licetne semper, in sabbato Quattuor Temporum ordines minores conferre?

I. *Exortum dubium.* - Non in uno loco dubitatum est utrum annon ordines minores conferre liceat sabbato Quattuor Temporum, si eo die nullum Festum duplex occurrat.

Ratio dubitandi desumpta est ex can. 1006, § 4, qui hoc modo dies conferendi minores ordines definit: « Prima tonsura quolibet die et hora conferri potest; ordines minores singulis diebus dominicis et festis duplicibus mane tamen ».

(1) Videtur S. R. C. insertionem horum festorum saltem in Calendario nonnullorum Religiosorum permisisse; decreta tamen 13 nov. 1925, 13 mart. 1930, 8 iul. 1931 et 16 febr. 1932 ad quae remittimur, non fuerunt publici iuris facta in A. A. S.

Dubitatio ista prima specie mira videtur: quam parum verisimile est, ut diebus quibus maiores ordines conferre licet, immo qui generalibus ordinationibus destinantur, minores ordines facultate Episcopi excludantur?

Modus tamen quo canon 1006, § 4 scriptus est plures fecit haesitantes, ita ut, ni fallimur, res Pontificiae Commissioni I. C. proposita sit solvenda.

II. *Dubii solutio.* - Verum procul dubio Codicem interpretari non possumus ut antiqua generalium ordinationum traditio perturbetur. Quam testatur adhuc *Pontificale Romanum,* P. XI « In sabbato Quattuor Temporum, in quibus fiunt Ordinationes generales... dicta prima Lectione, ordinantur Ostiarii. Post secundam Lectionem, Lectores, etc. »; testatur collectio *Decretalium* c. 3 (De eo) L. I, t. 11 *De temporibus ordinationum;* testantur auctores, v. g. WERNZ S. I., *Ius Decretalium,* II, n. 66.

Itaque § 4 can. 1006 ita intellegendus est ut permittat ordinationes minores mane singulis dominicis et festis duplicibus, non autem ut easdem prohibeat sollemnibus ordinationum diebus.

III. - De missis pro defunctis.

Per tempus quod inter obitum et sepulturam decurrit, licetne pro defuncto missam celebrare ut in die obitus, ac proin unam solam orationem dicere?

R. Id licet, quia omne istud tempus sicut una eademque dies considerari consuevit. Quod etiam confirmatur responsione S. *Rituum Cong.,* 28 apr. 1902, in Labacen. Notandum tamen est istam quaestionem cum responsione omissam fuisse inter *Decreta authentica,* n. 4096 ubi decret. Labacen. reperitur.

IV. - De statuis tabernaculo non imponendis.

Collationes Gandavenses 1933, p. 104 in nota, referunt a S. *Rituum Congr.* generali decreto 31 mart. 1821 ad 6 (n. 2613); et in Tridentina 12 mart. 1836 ad 1 (n. 2740), ita statutum vel responsum fuisse, ne imagines sanctorum vel reliquiae, etiam sanctae crucis tabernaculo tamquam basi imponerentur.

Hoc recens S. *Rituum Cong.* confirmavit, negando statuam SS. Cordis super altare poni posse. Cfr *Monitore Ecclesiastico*, 1933 april.

Solutio Casus liturgici propositi p. 100*.

Solutio istius casus commissa fuit R. P. Pauwels S. I. *Benigne autem* R. P. Hecht, *e* Pia Societate Missionum, *ad nos litteras misit quibus casum liturgicum simili ratione solvit.*

Ad 1 casum. Severius reprehendit Severus Agathonem, cum vituperat illas Missas celebratas diebus quibus prohibentur Missae votivae. Etenim, « In die III, VII, XXX ab obitu vel depositione, in qualibet Ecclesia permittitur unica Missa pro Defuncto, cantata vel etiam lecta, dummodo non occurrat Dominica aut Festum de praecepto licet suppressum, Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum, Duplex 1 vel 2 classis, etiam translatum, aut aliqua ex Feriis, Vigiliis vel Octavis privilegiatis » (1).

Haec Missa ergo permittitur pluribus diebus in quibus celebrari non possunt Missae votivae. Ex alia parte tamen Agatho videtur modum excessisse. Etenim

---

(1) *Additiones et Variationes in Rubricis Missalis,* III, 6).

Rubrica permittit tantum unicam Missam, et non nisi in Ecclesiis, et Oratoriis publicis quae eodem iure atque Ecclesiae reguntur; quibus assimilari possunt Oratoria semipublica, quae, deficiente Ecclesia aut Oratorio publico, eorum locum tenent; minime vero in ceteris Oratoriis semipublicis nec in Oratoriis privatis. Porro, haec restrictio, quae primo aspectu singularis videri potest, cum potius tales Missae difficilius pro Ecclesiis concedantur quam pro Oratoriis privatis (1), ostendit hic agi tantum de Missa quae in praedictis diebus cum aliqua externa sollemnitate, utputa cum assistentia alicuius communitatis aut confraternitatis, aut saltem familiae defuncti celebratur. Perperam ergo egit Agatho, si extra illas circumstantias, Missam de *Requiem* celebravit diebus quibus Missae cotidianae pro Defunctis non permittuntur.

Ad 2 casum. « Ex orationibus pro diversitate temporum assignatis, altera omittitur si quae commemoratio fiat, et utraque si quae iam commemorationes occurrerint » (2); sed talis non est oratio sub prima conclusione addita, quae indolem non habet commemorationis proprie dictae; sed potius ille complexus duarum orationum censeri debet tamquam oratio propria huius Missae ac proin computatur ut unica, quod deducitur ex *Addit. I, 5 et decr. 3576 ad 9 et 1049 ad 4.*

Ad 3 casum. Quod exoptat canonicus Ambrosius omnino impossibile est in sacro sollemni ordinario, cum diaconus hoc momento occupetur in incensando Choro, subdiaconus vero patenam sustinere debeat. In Missa vero defunctorum et in Officio Parasceves hunc agendi modum proponit MARTINUCCI (3); sed contradicunt plerique auctores et quidem recte, ut vi-

(1) Ibid. III, 5.

(2) *Additiones et Variationes in Rubricis Missalis*, VI, 1.

(3) *Manuale Sacrarum Caeremoniarum. Editio 3 recognita a I. B. M. Menghini. Pars 1, Lib. 1, Tit. II, cap. I, art. 6, n. 129 et art. 7, n. 166.*

detur, cum nulla rubrica nec ullum decretum hanc actionem generatim ab acolythis persolvendam, in casu faciendam praescribat ministris sacris (1). Perperam ergo hoc exigit Ambrosius.

IOS. PAUWELS S. I.

Casus de censuris.

I. Symmachus, alumnus religionis clericalis non exemptae, occulto commisit delictum apostasiae a sua religione. Fere nemo enim noverat cur egressus esset e conventu; immo plerique putabant eum legitime exiisse. Redux autem post duos menses et sincere paenitens, bona fide a Superiore provinciali absolvitur a censura excommunicationis. Postea autem certior fit censuram istam ex c. 2385 reservari Ordinario, qualis non est Superior maior religionis non exemptae. Quare de valore absolutionis anxius esse coepit. An recte?

II. Camilla, innupta, cum e iuvene seductore concepisset, perplexo animo consilium petivit ab avunculo suo, viro valde honorato, qui ei persuasit ut per abortum proprio nomini et decori familiae consuleret. Quare se ad medicum contulit ut ab ipso indicationem medicinae obtineret. Ac medicus ipsam revera docuit de pharmaco abortivo quaerendo apud pharmacopolam. Quaeritur iam utrum annon avunculus et medicus censuram contraxerint, si effectus secutus fuerit.

III. Ad Prudentem, confessarium, accedit pharmacopola qui confessus est se potionem abortivam gravidae mulieri dedisse; sed penitus ignorare utrum annon effectus secutus fuerit. Estne pharmacopola tractandus ut censura innodatus?

(1) Cfr HAEGY, *Manuel de Liturgie et Cérémonial selon le rite Romain. 12 édition, t. I, pars VII, Sect. I, ch. VII, art. 3, n. 165.*

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

De auditione Missae festivae in Oratorio semipublico

I. *Potestne Ordinarius loci limitare, quoad aliquos fideles facultatem adimplendi praeceptum Missae in Oratoriis semipublicis sibi subiectis?*

Supponitur natura Oratorii eiusmodi qualis describitur in Codice I. Can., can. 1888, § 1, § 2: « *locus divino cultui destinatus, non tamen ut universo populo usui sit; sed erectus in commodum alicuius communitatis vel coetus fidelium* ».

Talia sunt Oratoria cuiusvis domus religiosae, associationis piae, seminarii, collegii, carceris, arcis militaris, etc. (1).

Iam in hodierna disciplina Codicis vi canonis 1249 taxative statuitur ut norma generalis quod « legi de audiendo sacro satisfacit qui Missae adest (quicumque ille sit) quocumque ritu catholico celebretur sub dio aut in quacumque ecclesia vel Oratorio publico aut semipublico... ».

(1) *Decretum gener.* S. C. *Rituum,* 23 ian. 1899 in *Collect. authen.,* n. 4007.

Regula est generalis, ius commune positive permissum cuilibet fideli a Supremo Legislatore; ideoque tolli aut limitari nequit a legislatoribus inferioribus Romano Pontefice.

Iam multo ante Codicem, quamvis antiqua disciplina generalis valde inclinaret ad praeceptum Missae adimplendum in propria parochia, disserte docebat BENEDICTUS XIV, de *Synodo dioecesana*, lib. XI, c. 14, n. 10: « integrum hodie *omnibus* esse in qualibet ecclesia, modo non sit cappella, seu Oratorium *privatum*, sacris Mysteriis interesse; quia contraria consuetudine, in toto christiano orbe recepta, derogatum est praecepto audiendi Missam parochialem, docent SYLVESTER, NAVARRUS, TRULLENCH, BARBOSA et alii, addentes insuper non posse hodie Episcopum praecipere suis subditis ut se sistant Missae parochiali, quia non potest delere consuetudinem quae cum vigebat in toto orbe, iam induit naturam iuris communis ». A fortiori proinde arguere debemus Ordinarios non posse abrogare eiusmodi normam, non iam consuetudinariam, sed *vera lege communi expressam* in can. 1249. Nec obest can. 467, § 2 « Monendi sunt fideles ut frequenter, ubi commode id fieri possit, ad suas paroeciales ecclesias accedant *ibique divinis officiis intersint et verbum Dei audiant* ».

Quod, relate ad praedicationem verbi Dei in ecclesiis paroecialibus, corroborari videtur canone 1346, § 1.

Haec frequentia fidelium ad audiendam sacram praedicationem strictius equidem statuebatur in Concilio Tridentino, sess. XXIV, c. 4 de ref.: « Moneat Episcopus populum diligenter, *teneri unumquemque parochiae suae interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei* ».

Tamen ex clausula attenuanti, obligationi adnexa, « *ubi commode id fieri potest* », atque praesertim ex memorata desuetudine generali quoad praescriptum audiendi Missam et praedicationem in ecclesiis paroe-

cialibus, ipse BENEDICTUS XIV, l. c., n. 13, clarissime statuit: « obligationem si quae numquam fuit auscultandi proprium parochum verba facientem ad suum populum, *ablatam nunc esse per contrariam consuetudinem*, cum passim viri pii et docti alio se conferant ad sacros audiendos oratores »; ac proinde, inquit ZEROLA, S. Congregatio *(Concilii) saepius declaravit non posse* Ordinarium mulctis et poenis subditos adigere ad concionem auscultandam in parochia; quod etiam testatur BARBOSA in *Collect. ad Trident.*, sess. XXIV, c. 4, n. 17. Mirum praeterea non est, concludit BENEDICTUS XIV, quod praeceptum hac de re latum ab Episcopo Midensi *(Meath* in Hibernia), tamquam nimium severum, *fuerit, ex eiusdem S. Congregationis sententia, praecidendum* ».

Ex quibus sane colligitur commendationem canonis 467, § 2 cum aliis concordantibus de frequentatione ecclesiae paroecialis pro divinis officiis (Missae) et praedicatione, nec tollere libertatem fidelium alibi audiendi sacrum et verbum Dei, nec rationem praebere ut Ordinarius, ex intentione fovendi assistentiam fidelium propriae paroeciae, possit hoc rationabiliter iubere, vel limitare facultatem adeundi in diebus festis alias ecclesias vel Oratoria etiam semi-publica.

Nam quod ante Codicem circa has limitationes, docente BENEDICTO XIV et S. Congregatione *Concilii,* non licebat Episcopis, minime eis tribuendum in *hodierna disciplina, magis faventi in subiecta materia fidelium libertati.*

Eapropter nec allegari potest dicto sensu restrictivo canon 1193, ubi dicitur: « in Oratoriis semipublicis, legitime erectis, omnia divina officia functionesque ecclesiasticae celebrari possunt, nisi obstent rubricae aut Ordinarius aliqua exceperit ».

Etenim, ex hypothesi supponitur Missam celebrari in Oratorio semipublico pro communitate aut coetu ad

quem Oratorium pertinet; et quaestio versatur de limitatione quoad aliquos fideles, v. g. externos aut extraneos illi congregationi aut domui, Missae assistentes.

Iam vero, supposita celebratione et assistentia Missae in Oratorio semipublico, Ordinarius loci aut Episcopus nequit ex dictis supra coërcere ius commune, in Codice Iuris Canonici sancitum, quo ex can. 1249 omnes fideles pertinentes vel non pertinentes coetui oratorii semipublici, satisfacere possunt ibidem praecepto de audiendo sacro.

Praeterea exceptio aut limitatio rationabilis in Oratorio semipublico relate ad aliquam functionem sacram profecto non erit ad Missas lectas ordinarias, etiam diebus festis, pro quibus Oratorium primario fuit erectum; sed tantum fortasse pro aliqua alia functione quae, v. g. expositio SS. Sacramenti, ex adiunctis personarum vel ex paucitate ministrorum sufficienti decore celebrari nequeat.

Certe Ordinarius, etiam quoad Oratoria sibi subiecta, conditiones contra ius commune, qualis esset limitatio de qua agimus, de Missa ad praeceptum sufficienti, iuxta can. 1249, statuere minime potest.

II. - *De potestate Ordinarii loci in Oratoria semiplublica religiosorum.*

Non agimus de ecclessiis et Oratoriis publicis religiosorum: quae, si agatur de religionibus clericalibus, comprehenduntur quoad ius ea habendi in ipsa canonica erectione domus religiosae, de consensu Ordinarii loci facta, iuxta can. 497, § 1 et 2.

Praeterea, in ecclesiis aut Oratoriis publicis ex natura iuridica talium locorum sacrorum, cum omnibus fidelibus illa patere debeant tempore saltem divinorum officiorum, nulla potest esse ratio limitandi assistentiam Missae festivae ideoque nec adimpletionem prae-

cepti excludendi quacumque ratione. Obstant canones 1161 ac 1188, § 2, n, 1, et disserte 1249.

Quoad Oratoria semipublica religiosorum relate ad Ordinarium localem plura sunt distinguenda.

a) *Quoad regulares et alios religiosos clericales exemptos,* Oratoria semipublica eriguntur ex necessitate vel utilitate communitatis ex iure proprio a Superiore maiori talium Institutorum, qui vere est Ordinarius proprius iuxta canonem 198, § 1.

Porro, ex can. 1192 et 1193 Ordinariis in universum asseritur talis facultas: quae prius ex Decretis S. Congreg. *Rituum* 4007 et 4190, adhuc vigentibus, iam erat statuta. Sic expresse in hoc ultimo Decreto in *Secoviensi*, 10 nov. 1906, in quo « si agatur de regularibus (et de religiosis clericalibus exemptis eadem ratione) non licentia petenda ab Episcopo Ordinario pro his Oratoriis, sed sufficit licentia Superioris Generalis aut Provincialis iuxta Decretum 4007 ».

Conditio proinde talium Oratoriorum, quemadmodum in eorumdem erectione sic in permanenti usu subducitur a iure Ordinarii localis. Quapropter hic nequit ullatenus limitare praerogativas a iure concessas pro quibuscumque ibi audientibus Missam praeceptam in diebus festis. Talia loca sane publica non sunt ut iure pateant omnibus fidelibus pro officiis sacris ; sed si aliqui aut plures a Superioribus in Oratorio, concessione peculiari, admittantur, Missa ibidem audita eis valet omnino pro praecepto adimplendo ex iure communi Pontificio quo a nullo legislatore inferiore privari queunt.

Nec indirecte eiusmodi ius impediri potest ab Ordinario loci prohibente Superioribus religiosis ne ingressum personis particularibus in sua Oratoria semipublica permittant. Talis iussio utpote transiliens competentiam Ordinarii localis nullius esset valoris pro Superiore Religionis exemptae.

Ipse Codex I. C. hoc supponit disserte cum nec ratione visitationis quinquennalis, ipsi commissae in can. 512, § 2, n. 2°, comprehendat Oratoria semipublica religionis clericalis Iuris Pontificii; ideoque excludat qualescumque conditiones aut limitationes officiorum sacrorum in praedictis locis.

b) *Quoad alia Oratoria semipublica in Institutis religiosis aut piis locis vel coetibus omnino dependentibus a loci Ordinario,* plane ab ipso approbatur erectio talium cappellarum; sed ex argumentis allatis in prima parte, auctoritate Benedicti XIV et Codicis I. C. corroboratis, praesertim canone 1249, semel ac Oratoria semipublica habeantur et Missa ibidem celebretur, licitum non est Ordinario tollere ab assistentibus sacris officiis facultatem ibidem adimplendi praeceptum festivum.

Limitationes vero indirectas statuere ad idem consequendum, iniungendo dictis Superioribus vel Superiorissis religiosis, sine gravi specialique motivo, praeceptum de non admittendis externis in Oratoria semipublica nonnisi per abusum auctoritatis explicari posset; et contrarium omnino esset principio iuridico expresso in *Regula 84 Iuris in VI°: « Quum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti ».*

Mich. Mostaza S. I.

De Missa pro populo, quando festum Annuntiationis B. M. V. incidat in feriam V, VI vel Sabbatum hebdomadae maioris.

In *Epitome* PP. Vermeersch-Creusen (vol. I, n. 455, nota 4, ed. 1933) legitur: « Curnam transferatur in diem *ad quem* obligatio celebrandi pro populo, si

festum Annuntiationis in fer. V, VI vel Sabb. hebdomadae sanctae incidat bene ostendit VERMEERSCH, in *Per.*, XXI, 162 contra CAPPELLO, o. c. n. 380, 3 ».

Opportunam ducimus quaestionem hanc accuratius examinare, iure antiquo et novo mature considerato, ita ut inde pateat utrum sententia a nobis proposita, admittenda sit an non.

Imprimis animadvertendum est, nobiscum passim sentire commentatores Codicis qui expresse de hac quaestione agunt.

CHELODI ait: « Et si Missae celebratio prohibetur, cadit eo anno obligatio (ex. gr. si dies 25 mart. sit feria sexta hebdomadae maioris) » (1).

MATTHAEUS CONTE A CORONATA docet: « Si die qua Missae applicatio praecipitur, Missae celebratio prohibeatur, e. g. quando festum Annuntiationis incidit in feria sexta Parasceve, eo anno cadit ipsa obligatio applicationis » (2).

COCCHI dicit: « Si festum Annuntiationis incidat in feriam V hebdomadae maioris, Missa in *die propria* applicanda est » (3).

DE MEESTER docet: « Si festum Annunciationis B. M. V. vel festum Patroni incidat in feriam VI maioris hebdomadae, *cessat probabilius obligatio celebrandi pro grege,* quia hac die prohibetur cuiuslibet Missae celebratio, praeter Missam *Praesanctificatorum,* quae vera Missa non est » (4).

FANFANI hanc sibi proponit quaestionem: « Utrum si festum Annunciationis B. M. V. incidat in die Pa-

---

(1) *Ius de personis,* Tridenti 1922, 192, nota 1.
(2) *Institutiones iuris canonici,* I, n. 397.
(3) *Commentarium in Codicem iuris canonici,* II, pag. 209.
(4) *Compendium iuris canonici* etc., II, n. 847, nova editio ad normam Codicis iuris canonici.

rasceve, teneatur parochus Missam pro populo applicare feria II post Dominicam in Albis, ad quam festum Annunciationis transfertur? » Et respondet: « *Negative*... sed illo anno Missa pro populo in die Annunciationis omittitur » (1).

Monitore Ecclesiastico (1921, pag. 82) haec habet: « La festa dell'Annunciazione di M. SS., cadendo quest'anno nel giorno di venerdì santo, si rinvia al lunedì dopo la domenica *in Albis*. Si dovrà in quel giorno di lunedì applicare la Messa pro populo? « Et respondet: « *Negative* ».

Omittimus alia testimonia. Ex allegatis enim satis superque constat, quid sentiant commentatores Codicis, nimirum eos sententiae a nobis propositae plane adhaerere.

Quatuor puncta nobis videntur accurate et perspicue perpendenda, ut quaestio penitius tractetur et resolvatur, scil.: I. utrum quaestio, de qua agitur, sit liturgica, an canonica; II. quaenam fuerit disciplina ante Codicem; III. num Codex disciplinam antiquam mutaverit, necne; IV. quaenam doctrina tenenda.

I.

Utrum quaestio, de qua agitur, sit liturgica, an canonica.

1. Magnum profecto est discrimen inter unum et alterum, ad rectam resolutionem tradendam quod attinet. Nam si quaestio est *liturgica*, nullum dubium quin resolvenda sit iuxta normas et leges liturgicas atque attendenda sit auctoritas rei liturgicae scriptorum eisque deferendum; si, contra, quaestio est *canonica*, necessario ea resolvi debet secundum principia iuris

(1) *De iure parochorum ad normam Codicis iuris canonici*, n. 370.

canonici, scil. ad normam Codicis, et canonistarum auctoritas serio attendenda.

2. Porro nullatenus confundi debet quaestio de translatione Missae vel Officii divini cum translatione oneris Missae pro populo applicandae. Translatio Missae vel Officii divini est quaestio *mere liturgica* eaque proinde iuxta leges liturgicas decernenda faciendaque est. Dum e contra quaestio de *applicatione* Missae *pro populo* est vere et proprie *canonica*. Agitur quippe de *interpretatione* et *applicatione can. 339 et 466,* qui canones expresse diserteque loquuntur non solum de obligatione in genere Missae applicandae pro populo, quae incumbit pastoribus animarum, sed praeterea iidem canones praefiniunt quoque dies, in quibus urget praedicta obligatio.

Proinde, quaestio de *applicatione Missae pro populo,* de qua hic agitur, est quaestio canonica, non autem liturgica.

II.

Quaenam fuerit disciplina ante Codicem.

1. S. *Rituum* Congregationi hoc dubium propositum fuit: « Anno 1869 festum Annuntiationis B. M. V. incidet feria V in Coena Domini, et iuxta Rubricas Officium et Missa deponendum est in feria II post dominicam in Albis. Quaeritur autem: *An Missa pro populo debeat applicari feria V in Coena Domini, vel e contra feria II post dominicam in Albis?* Ratio dubitandi est, quia in Gallia per concordatum diei 2 aprilis 1802 (1) sublata est obligatio abstinendi ab operibus servilibus et Sacrum audiendi in festo Annuntiationis ».

(1) Sic in textu, sed pro Concordato dici debuit: Decretum Card. Caprara. Reductio festorum in dioecesibus Galliarum, Bull. Rom., Prati, t. VII P. 1, p. 282.

S. *R.* C. in *Lingonen.*, die 5 dec. 1868, respondit: « Ad. I. *Affirmative*, ad primam partem; *negative*, ad secundam » (1).

Eidem S. Congregationi sequentia dubia proposita fuerunt:

« I. - An incidente feria V in *Coena Domini* in diem 25 martii, festum suppressum Annuntiationis B. M. V. celebrandum sit eodem die quo antea, quando erat de praecepto?

« II. - An ideo Missae privatae sint permittendae in paroeciis ad fidelium commoditatem?

« III. - Et quatenus negative in hoc secundo casu, an... *parochus Missam privatam pro populo celebrare et applicare debeat?*

« IV. - *An praefatum festum Annuntiationis*, quoad sacras functiones, *Missae applicationem pro populo* etc., *transferendum sit*, prout transfertur Officium, in *feriam II post dominicam in Albis?* »

Porro S. *Rituum* Congregatio in *Segusien.*, die 18 augusti 1879, rescribendum censuit:

« Ad I. *Affirmative.* Ad II. *Negative*; et detur Decretum in *Viglevanen.*, diei 26 sept. 1868. Ad III. Parochus unicam Missam conventualem diei celebrans, *eam applicare debet pro populo...* et detur Decretum in *Lingonen.* in responsione ad primum diei 5 decembris 1868. Ad IV. *Negative* in omnibus » (2).

Duo inde apertissime colliguntur maximi momenti, ad quaestionem nostram quod attinet:

1° Festum suppressum Annuntiationis B. M. V. — prout hodie ex Codice suppressum exsistit, attento can. 1247, § 1 — si forte incidat in feriam V hebdomadae maioris, celebrandum est *ipsa die 25 martii.*

(1) *Decreta authentica*, n. 3189.
(2) *Decreta authentica*, n. 3503.

2° *Applicatio Missae pro pupulo non est transferenda,* prout Officium, *in feriam II post dominicam in Albis*; sed parochus ipsa feria V in *Coena Domini* Missam celebrans, « eam applicare debet pro populo ».

Quid clarius quidve accuratius expressum postulari posset in favorem nostrae aliorumque sententiae?

2. Praeterea eadem S. *Rituum* Congregatio in *Monopolitana*, 20 mart. 1706, et in *Barcinonen.*, 10 dec. 1773, declaravit, incidente festo de praecepto in feriam VI hebdomadae maioris, illud esse transferendum, sed tantum quoad Officium et Missam, non autem quoad obligationem audiendi Sacrum et abstinendi ab operibus servilibus (1).

In casu, tamen, non agebatur de festo Annuntiationis B. M. V., sed de peculiari festo Patroni.

3. Ex Decreto generali S. *R.* C. diei 12 febr. 1690, occurrente festo Annuntiationis B. M. V. Sabbato Sancto, illud transferendum est in feriam II post dominicam *in Albis*, una cum praecepto audiendi Missam et vacandi ab operibus (2). Quo in casu, ut patet, ipsa obligatio Missae applicandae pro populo transfertur in diem *ad quem,* seu in feriam secundam post dominicam *in Albis.*

4. Quod principium de festo *suppresso* non transferendo quoad Missae applicationem pro populo, sed tantum quoad Officium divinum et Missam, i. e. liturgice, confirmatur quoque variis decisionibus S. Congregationis *Concilii.* Ita v. g. in *Treviren.*, 24 april. 1875. In folio huius causae legitur: « Quando una cum *festivitate* transferuntur Officium et Missa, tunc applicatio Missae pro populo fit in die translationis, idest in die, ad quem transfertur. At quando transfe-

(1) *Decreta authentica,* nn. 2164 et 2305.
(2) *Decreta authentica,* n. 1822.

runtur tantummodo Officium et Missa, tunc applicatio Missae pro populo fit in ipso die festo impedito » (1).

Item in *Burgi S. Sepulcri et aliarum*, 12 dec. 1913. Sane proposito dubio: « An quando festum aliquod *suppressum* incidat in diem dominicam aut *impeditam festo maioris ritus*, curam animarum gerentes teneantur applicare Missam pro populo, die in quam idem festum transfertur? ». Sacra Congregatio respondit: « *Negative* » (2).

5. Itaque disciplina ante Codicem vigens apte enucleari potest hisce principiis:

1° Si festum alicui diei affixum ab alio impediatur festo maioris ritus aut dignitatis, Missa pro populo applicanda est *in die* ad quem transfertur *festivitas*, scil. obligatio audiendi Sacrum et abstinendi ab operibus servilibus, *Officium* et *Missa*. Dum e contra Missa pro populo celebranda et applicanda est *in ipso die impedito*, si Officium et Missa tantum transferantur, non vero festivitas.

2° Si festum Annuntiationis B. M. V. incidat in feriam V hebdomadae maioris, Missa pro populo applicanda est in die *propria*, i. e. die 25 martii.

3° Si idem festum Annuntiationis B. M. V. vel aliud festum de praecepto incidat in feriam VI hebdomadae maioris, illud transferendum est tantum quoad Officium et Missam.

4° Si festum Annuntiationis B. M. V., non sit suppressum ideoque *de praecepto* celebrandum, et incidat in Sabbatum Sanctum, transferendum est in feriam secundam post dominicam *in Albis* non solum quoad Officium et Missam, verum etiam quoad praeceptum audiendi Sacrum et abstinendi ab operibus, ac propterea Missa pro populo applicanda est in die *ad quem* seu translationis.

---

(1) *Acta S. Sedis*, VIII, p. 604.
(2) *Acta Apost. Sedis*, VI, pag. 9.

6. CARD. GASPARRI, prae oculis habita disciplina huc usque tradita, recte ita concludit: « Ex exposita theoria sequitur Missam pro populo fore applicandam feria VI in Parasceve; et quoniam feria VI in Parasceve cuiuslibet Missae celebratio prohibetur, praeter Missam *Praesanctificatorum* quae vera Missa non est, *inde deducimus obligationem Missae pro populo hoc in casu cessare* » (1).

III.

Num Codex disciplinam antiquam mutaverit, necne.

1. Praemittimus: correctio iuris antiqui natura sua odiosa est, ideoque eatenus admittenda, quatenus de eadem certo constet. Sane « in dubio num aliquod canonum praescriptum cum veteri iure discrepet, a veteri iure non est recedendum » (can. 6, 4°); et « in dubio revocatio legis praeexsistentis non praesumitur » (can. 23).

2. Hodie attendendum est praescriptum can. 339, § 3 et praescriptum can. 1247, § 1.

Can. 339, § 3 expresse et clare statuit, *an* et *quando* onus applicandi Missam pro populo sit transferendum. Verba perspicua sunt: « Si festum iat transferatur ut in die *ad quem* non solum fiat Officium cum Missa festi translati, sed serventur quoque obligationes audiendi Missam et abstinendi a servilibus, Missa pro populo applicanda est in die *ad quem;* secus in die *a quo* ».

Haec verba plane confirmant disciplinam antiquam. Igitur duae conditiones requiruntur, attento praescripto citati can. 339, § 3, ut onus Missae applicandae pro populo transferatur in diem *ad quem*, scil. 1° ut fiat translatio Officii et Missae; 2° ut, prae-

(1) *De Eucharistia*, I, n. 516.

terea, fiat translatio quoque obligationis audiendi Missam et abstinendi a servilibus. Si desit, quacumque de causa, haec altera conditio, onus Missae pro populo applicandae non transfertur, sed manet affixum diei *a quo*. Verba Codicis adeo sunt perspicua et certa, ut nullus videatur esse locus limitationi et dubitationi.

3. Quare si olim, occurrente festo Annuntiationis in feria V hebdomadae maioris, Officium et Missa tantum in feriam II post dominicam *in Albis* transferri debebant, ut supra dictum fuit, hodie procul dubio viget eadem disciplina, quia Codex nullam de hac re mutationem induxit. Immo a fortiori ex iure Codicis id affirmandum; nam ex praescripto can. 1247, § 1, hodie festum Annuntiationis B. M. V. non est amplius de praecepto.

4. In iure antiquo, ut iam diximus, et nunc ex can. 339, § 3, fit locus translationi Missae pro populo applicandae, *si* et *quatenus* transferatur, una cum Officio et Missa, ipsa quoque obligatio audiendi Sacrum et abstinendi a servilibus. Porro si festum Annuntiationis B. M. V. incidat in Sabbatum Sanctum, translatio obligationis audiendi Sacrum et abstinendi a servilibus deest omnino, eo ipso quod huiusmodi festum est suppressum ex can. 1247, § 3: idcirco Missa pro populo applicanda est *in die propria* scil. in Sabbato Sancto.

5. Si festum praefatum Annuntiationis B. M. V. occurat in feria VI hebdomadae maioris, Officium et Missa sunt quidem transferenda. Sed *quo iure* et *titulo* quis diceret ipsam quoque obligationem Missae pro populo applicandae esse transferendam? Ubinam Codex praecipit huiusmodi translationem? Curnam a regula generali expresse et perspicu statuta in can. 339, §. 3 esset eximendum festum Annuntiationis incidens in feriam VI maioris hebdomadae?

Unde Missa esset applicanda ipsa feria VI in

Parasceve. Sed cum celebratio Missae in Ecclesia latina (aliter apud nonnullas Ecclesias orientales) prohibeatur praedicta feria in Parasceve, consequitur cessare in casu, *per accidens,* ob leges liturgicas, Sacri faciendi pro populo.

Urgebis forte: nisi admittatur translatio, populus eo anno privabitur Missa, seu omittenda dicitur Missa pro populo. Quid inde? Nihil profecto. Omissio sane est *per accidens,* et nonnisi *eo anno.* Nonne populus privatur Missa etiam si festum aliquod de praecepto vel suppressum occurrat in die dominico, quatenus non duae Missae applicantur, alia ratione dominicae et alia ratione festi de praecepto vel suppressi, sed una tantum?

IV.

Quaenam doctrina tenenda?

Ex dictis manifesto patet quaenam sit conclusio.

1. Si festum Annuntiationis B. M. V. incidat in feriam V hebdomadae maioris, certum est, attento iure antiquo et perspectis canonibus 6, 2^0 et 4^0, 23 ac 339, § 3, onus Missae pro populo applicandae non transferri, sed Missam applicandam esse ipso die *a quo*, i. e. die 25 martii.

2. Idem dicendum, si festum Annuntiationis incidat in Sabbatum Sanctum. Notandum, Missam cum benedictione fontis baptismalis hodie, aliter ac olim, celebrandam esse in quavis ecclesia paroeciali, quia « quaelibet paroecialis ecclesia, revocato et reprobato quovis contrario statuto vel privilegio vel consuetudine », fontem baptismalem habere debet (can. 774, § 1). Benedictio autem fontis baptismalis in Sabbato Sancto inter functiones parocho reservatas recensetur (can. 462, 7).

3. Si praedictum Annuntiationis B. M. V. festum incidat in feriam VI in Parasceve, tum attenta veteri

disciplina tum attento iure Codicis (can. 6, 2° et 4°, 23 et 339, § 3), Missa pro populo transferenda non est; idcirco eo anno obligatio Sacri pro populo faciendi cessat.

Quae sententia passim a commentatoribus Codicis proposita, v. g. a CHELODI, a FANFANI, a DE MEESTER, a COCCHI, a MATTHAEO CONTE A CORONATA, a MONITORE ECCLESIASTICO et ab aliis proposita, ut certa, omnibus mature et accurate perpensis, retinenda videtur.

FELIX M. CAPPELLO S. I.

NOTANDUM

Lectori nec ingratum nec inutile fore arbitrati sumus, ut ipsi rationes suppeditentur quae pro sententia benigniore, seu pro suppressa hoc anno obligatione Missae pro populo in festo Annuntiationis B. Mariae Virginis afferri possunt. Has erudite nobis R. P. CAPPELLO in paginis superioribus tradere benigne annuit.

Cum, ob istam controversiam, alii sacerdotes Missam pro populo neglexissent quam alii ut sibi praeceptam in festo Annuntiationis celebraverant, Episcopus N. authenticam a Pontificia Commissione Codicis solutionem postulavit.

Interea, omnium in votis esse putamus ut, quemadmodum, cum obligatio Missae pro populo festo feriato annexa est, clare statutum est quando, si festum in aliam diem transferatur, Missa pro populo dici debeat, non minus perspicue declaretur quae norma sequenda sit, quando obligatio celebrandi pro populo festo annectitur quod feriationem non habeat, ita ut regula de observanda feriatione locum habere nequeat.

A. VERMEERSCH S. .I

Debitum coniugale et votum castitatis ex can. 1111.

Non raro casus datur quo illi qui votum privatum castitatis conceperunt, animi inconstantia, vel aliis de causis, a bono proposito deficientes, matrimonium contrahant.

Doctrina communis inter moralistas, in casu, sic perspicue ab E.mo Card. GASPARRI (1), exponitur: « Contrahens matrimonium illicite contrahit, non quidem quia per ipsum coniugalem contractum directe agit contra votum, sed quia habens voluntatem consummandi matrimonium, iam peccat contra votum, nisi forte in duplici illa hypothesi, de qua n. 427. Inito matrimonio, doctrina communiter recepta haec est: pars quae votum emisit, e. g., puella, non potest petere, quia ageret contra votum, sed potest et debet reddere, quoties obligatione coniugali tenetur ».

At adiungit E.mus Princeps doctrinam, quam attenta consideratione examinare nobis, pro momento quaestionis et auctoritate tanti magistri, visum est necessarium.

Ait enim (l. c.) « Post Codicis promulgationem, consultis actis praeparatoriis ad Codicem, res melius definienda est. Prae oculis habeatur can. 1111, qui ita se habet: « Utrique coniugi ab ipso matrimonii initio aequum ius et officium est quod attinet ad actus proprios vitae coniugalis ». Hoc canone suppressum fuisse *bimestre ad deliberandum,* de quo DD. loquebantur, palam est; sed etiam materia de qua agimus, melius determinata fuit. Nam ex actis praeparatoriis ad Codicem constat canonem ita Consultoribus examinan-

(1) *Tract. canon. de Matrimonio.* Ed. 9 (1932), vol. I, n. 428.

dum propositum fuisse: § 1. Utrique coniugi ab ipso matrimonii initio aequum ius et officium est in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem; § 2. Coniux solum in casu quo castitatis voto teneatur, nequit petere debitum coniugale, licet reddere et possit et debeat ». Exinde apparet duas mutationes a Consultoribus factas fuisse: nam 1° suppressa fuit § 2, quae exceptionem de qua nos agimus continebat; 2° loco verborum: *in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem,* posita fuerunt verba: *quod attinet ad actus proprios vitae coniugalis,* quae comprehendunt et carnalem copulam et quaslibet alias licitas amoris coniugalis significationes, e. g., blanditias, oscula, amplexus... Igitur hac duplici mutatione Codex per cit. can. 1111 edixit, inito matrimonio, utrique coniugi aequum ius et officium esse non solum ad copulam, sed ad omnes actus proprios vitae coniugalis, suppressa exceptione pro parte quae votum castitatis emiserat ».

De ista interpretatione can. 1111 ait R. P. Davis S.I. in « The clergy review » (June, 1933, p. 499): Interpretatio can. 1111 a Card. Gasparri data, *nova* profecto est. At cum ob rationes intrinsecas, tum propter auctoritatem auctoris citati, bona videtur (1).

Qua interpretatione admissa, omnes difficultates quae oriuntur in casu tolluntur, ista innovatione, qua « pia mater Ecclesia... per cit. can. 1111 *dedit ab inito matrimonio, limitatam dispensationem a voto castitatis, permittens tantum licitos vitae coniugalis actus* » (l. c., n. 430).

Utrum annon id revera admitti possit videndum est.

Sensus, in primis can. 1111, in *textu* et *contextu* pati non videtur istam interpretationem.

---

(1) This interpretation of canon 1111 given by Cardinal Gasparri was new to the present writer. Possibly it may be new to some readers of the Clergy Review. It appears to be a sound interpretation, both on account of intrinsic reasons, and of the authority of the author cited.

Can. 1111 ponitur in Cap. IX, Lib. III quod inscribitur: « *De matrimonii effectibus* ». Effectus essentialis ponitur in can. 1110 « vinculum natura sua perpetuum et exclusivum ». Et quia vinculum est relatio iuridica in ordine ad actus proprios vitae coniugalis, in can. 1111 inculcatur principium quod matrimonium contractus est consensualis et consequenter « ab ipso matrimonii initio » plene habentur omnes effectus matrimonii; et integrum, inde, est, utrique coniugi, ad exercenda iura acquisita procedere, et ad vitam coniugalem fruendam. At hic de effectu quod ex ipso *vinculo matrimoniali* procedit agitur. De quo ex analysi canonis duo et duo tantum videntur posse inferri. Primum, quod iura ista paria sunt in utroque coniuge; secundum, quod iuribus potiuntur ab ipso momento in quo contractus consensualis perfectus est, i. e. ab ipso momento initi matrimonii.

Ex quo certe et clare eruitur abolitio illius *experimenti bimestralis*, iure Decretalium (1) concessi, ad deliberandum de capessenda religione.

At ubi non de iure ipso agitur, sed de eius exercitio, res aliter procedit. Opportuna videtur monitio quam facit PIRHING (2): « haec materia magis ad forum internum conscientiae et paenitentiale pertinet, quam ad forum ecclesiasticum externum ». Et omni iure semper admittendum est ius quod perfectum in suo fonte est, multas pati posse limitationes in usu, qui aliis de causis impediri potest. Si istae causae dentur in contractu bilaterali, manente perfecta aequalitate iuridica in utroque termino, ususfructus iurium minor esse poterit in uno quam in alio; quod quidem inde ab initio necessario habebitur, si alter accedat ad contrahendum affectus aliquo impedimento ex quo, quin a contrahendo impediatur, prohibeatur tamen ab exer-

(1) Cap. 2, 7, 14. X. *De conv. coniug.* III, 32; Cap. 16. X. *De spons.* IV, 1.
(2) Ius Can. Lib. IV. *De sponsalibus et matrimonio*, n. 178.

cendis iuribus acquisitis. Sic in casu nostro. Si alteruter coniux votum emisit castitatis ante matrimonium, isto contracto, in vi contractus, relate ad alteram partem, plenum ius acquisivit et officium suscepit in ordine ad actus proprios vitae coniugalis. Atqui votum emissum eum tenet coram Deo standi promissis, abstinendo ab omni delectatione venerea. Ex hoc debitum petere non potest, atque, *de facto*, minorem habet facultatem ad actus coniugales quam altera pars ab omni voto libera (1). At hoc unde procedit? Ex voti obligatione coram Deo contracta independenter ab ipso matrimonio. Celebratio matrimonii habetne vim exstinguendi istam obligationem? Minime.

Ast « ex matrimonio utrique coniugi aequum ius et officium ad omnes actus proprios vitae coniugalis ». Respondeo. Relate ad alteram partem, conc.; absolute, subd. si aliunde non est ligatum iuris exercitium, conc.; si est ligatum, nego (2). Et nihil amplius ex sensu obvio can. 1111 erui posse videtur.

« Ast, praecise in hoc cernitur novitas per Codicem inducta ». « Ecclesia, pia mater..... per citatum can. 1111 dedit ab inito matrimonio limitatam dispensationem a voto castitatis, permittens tantum licitos vitae coniugalis actus ».

Recurritur ergo ad *dispensationem* generalem concessam ab Ecclesia et quidem in ipso can. 1111.

---

(1) Concinne ad rem P. Cappello S. I., *De matr.*, 1933, n. 737:

c) ***Ius*** — cui in altero coniuge correspondet ***officium*** seu obligatio ***ex iustitia*** — duo importat: 1° facultatem ***exigendi*** coniugale ***debitum***, qua voce significatur copula perfecta de se apta ad matrimonium consummandum; 2° ***exclusionem*** cuiusque tertiae personae ab usu corporis compartis.

d) Facultas ***exigendi*** semper manet ***radicaliter***, dum perdurat vinculum, sed ***exercitium*** potest vel suspendi vel in perpetuum amitti; ***exclusio***, e contra, tum quoad ***ius*** tum quoad ***exercitium***, semper perdurat, manente vinculo.

e) Causae, propter quas exercitium iuris quoad debitum coniugale suspenditur aut amittitur, plures sunt, ex. gr.: morbus, legitima separatio, votum, adulterium, impotentia superveniens, etc. (n. 822 ss.).

(2) Ad rem S. Th. « quod quantum ad ea in quibus non est factus impotens votum continentiae servare, adhuc post contractum matrimonium obligatur ad servandum. Et quia ex matrimonii vinculo, non obligatur ad debitum petendum, ideo non potest petere debitum sine peccato ». Supp. 953 a. 1 ad 4um.

Ex dictis apparet quod ex ipso can. 1111 in textu et contextu, dispensatio non solum non probatur sed neque eius suspicio habetur. Id confirmatur ex ipso modo quo, a Codicis promulgatione, can. 1111 intellectus ab AA. est. Sine ulla dubitatione, unanimi concordia, unicum effectum peculiarem tribuunt can. 1111: suppressionem bimestris ad deliberandum: ubi agitur de *dispensatione* asserunt petendam esse singulis casibus ob periculum imminens violandi votum. Vide: CAPPELLO (1); NOLDIN (2); VERMEERSCH-CREUSEN (3); WERNZ-VIDAL (4); DE SMET (5); TRIEBS (6); MARC-GESTERMANN (7); VLAMING (8); FERRERES (9); TANQUEREY (10); PAYEN (11); CHELODI (12); BLAT (13); CLAEYS-BOÙÙAERT (14); KNECHT (15); LINNEBORN (16).

Cum ergo agatur de dispensatione, non probata admitti nullo modo potest.

Unica autem probatio petitur « *ex actis praeparatoriis ad Codicem* » (17).

---

(1) *De matr.* (1923), n. 737; 300.
(2) *De Sacramentis* (1930), III, n. 654, 557.
(3) *Epit.* II, n. 415.
(4) *De matr.* (1928), n. 539.
(5) *De spons. et matrim.* (1927), n. 229, 224.
(6) *Prakt. Handbuch des geltenden kath. Eherechts* (1927), p. 212.
(7) *Theol. mor.* (1928), n. 1998.
(8) *Prael. iur. matr.* II, n. 624; I, n. 200.
(9) *Derecho sacramental* (1923), n. 840, 536.
(10) *Theol. mor.* (1921), tom. I, n. 896.
(11) *De matr. in missionibus,* vol. I, p. 836.
(12) *Ius matrimoniale* (1921), n. 148.
(13) *Com. Cod. Iur. Can.,* vol. 3, n. 518, 453.
(14) *Manuale Iur. Can.* II, n. 315.
(15) *Handbuch des kath. Eherechts.* § 27, n. 2.
(16) *Grundriss des Eherechts* (1933) p. 194.
(17) Quanta sit vis argumenti *ex actis praeparatoriis* deducti, si non ad casum nostrum quaestionem restringamus haud discussum satis videtur. Admiculum magnum ad *mentem legislatoris* penetrandam, habetur utique in *historia efformationis legis.* At multa sunt consideranda. Primo, ubi verba legis clara sunt, praescindendum est ab aliis quaestionibus: plenam vim habet tunc axioma: « *Verba clara non admittunt interpretationem nec voluntatis coniecturam* ». Quod si aliquid forsitan aut concessionis est sublatum, aut restrictionis non additum, legem accipere debemus prout promulgata est, nam sic demum a legislatore est sancita. Praeterea semper requiritur

Ex his enim constat quod in canone proposito Consultoribus addebatur § 2 quae exceptionem continebat a 1, in qua dicebatur: « Coniux solum in casu quo castitatis voto teneatur, nequit petere debitum coniugale, licet reddere et possit et debeat ».

Ex eo quod sublata est § 2 concludit E.mus auctor: « Codex... per cit. can. 1111 *edixit*, inito matrimonio, utrique coniugi aequum ius et officium esse non solum ad copulam, sed ad omnes actus proprios vitae coniugalis, *suppressa exceptione pro parte quae votum castitatis emiserat* » (l. c., n. 429).

Argumentum inde deductum, ut ab aliis considerationibus hermeneuticae, in nota praecedenti insinuatis, praescindamus, laborare videtur hoc defectu: quod supponit in canone 1111 contineri *expeditam* facultatem *petendi* debitum etiam a parte voto castitatis ligata; et limitatione contineri *exceptionem* ab illa facultate.

Si hoc verum esset curreret argumentatio: exceptiones enim sunt explicite probandae. Prius posita fuit, nunc in Codice non apparet. Ergo reicienda est.

At praecise negamus § 2 veram exceptionem constituisse a § 1.

Exceptio a lege datur quando *casus in lege comprehensus* tamen voluntate legislatoris excluditur ab ipsa. In casu autem nostro, communis auctorum doctrina ante et post Codicem non considerat casum nostrum ut comprehensum in principio de efficacia vinculi matrimonialis, ita ut nisi *positive* excluderetur, haberetur ut licita copula petita ab illo qui ligatus est voto castitatis, sed ut limitationem ex alio fonte *supervenientem,* quae, manente principio iuridico, ipsius usumfructum in una parte limitat.

---

ut historia nobis nota sit. In praesenti vero condicione, nobis impervius est accessus ad fontes ipsos codificationis investigandos; et contenti esse debemus paucis fragmentis hinc inde nobis exhibitis. Certi tamen esse possumus nunquam fieri posse ut ex historia legis argumenta deducantur quibus sensus legis, usu et auctoritate doctorum comprobatus, immutetur.

Et quidem merito: nam vinculum matrimoniale, effectus liberae pactionis, sicut non valet habiles reddere partes ad usum matrimonii, nec tollere effectum obligationis erga tertium contractae, sic neque eximere ab obligatione voti quod sine iniuria compartis servari potest.

Poterit equidem Ecclesia, vi auctoritatis vicariae qua pollet ad dispensanda vota, omnes coniuges contrahentes cum voto castitatis, dispensare; at ista dispensationis concessio argumentis positivis est probanda. Et hic affertur argumentum *ex silentio* et quidem tale quod destitutum videtur necessariis condicionibus ad probationem efficiendam.

Nam ex dictis iam constare videtur perseverantiam obligationis voti non constituere veram exceptionem a principio in can. 1111 proposito. Unde, quin expresse ponatur, iam subintelligitur esse admittenda. Habemus ergo rationem cur § 2 illa, in actis praeparatoriis posita, in Codice non apparuerit: non erat, scilicet, necessaria ad salvandam reverentiam erga votum. Salvum enim erat votum ex generalibus principiis moralibus, ex quibus eius vis, obligatio et cessatio iudicanda, in singulis casibus, est, ut solent facere moralistae in capite de effectibus matrimonii et de eius usu, ubi tradunt plurimos alios casus in quibus non licet aut petere debitum, aut nec petere nec reddere pro diversitate causarum. Cfr CAPPELLO l. c.

Unde nec multum nos a veritate historica aberrare videmur si dicamus: § 2 sublata in Codice fuit quia Consultoribus non videbatur habere locum in collectione canonica sed ad Theologiam moralem eius explicationem totam pertinere. Praeterea, vitiosa erat. Nam dicebat: « Coniux *solum in casu* quo castitatis voto teneatur, nequit petere debitum ». Numquid non sunt alii casus ex natura rei quibus id prohibetur?

Causae autem innovationis allegantur in opere

Card. GASPARRI n. 430: « Iuxta receptam doctrinam, inito matrimonio, mulier, quae antea votum castitatis emiserat, eodem voto prohibebatur dare marito, quocum diu noctuque vivit, et quem amare debet, illas amoris coniugalis significationes quas diximus, easque a viro datas non poterat libenter excipere et multo minus restituere aut exquirere, quia haec essent totidem peccata contra votum et via directa ac necessaria ad matrimonii consummationem; hinc haec mulier in christiana vita coniugali erat in gravissima occasione continuo peccandi contra votum; idque pro toto coniugii tempore ».

Illae tamen causae semper exstiterunt, nec piam matrem Ecclesiam ad dispensationem generalem concedendam induxerunt, quae generalis dispensatio aliis incommodis est obnoxia. Optime autem probant graviter peccare illum qui, voto castitatis ligatus, matrimonium contrahendo tot periculis peccandi se obicit; etiam probat petendam esse dispensationem ante matrimonium, quam pia mater Ecclesia semper concedit ubi votum servare difficile appareat. Nec deinde ille status adeo periculis peccandi circumdatur cum per *irritationem indirectam* alter coniux obligationem voti suspendere possit (1).

Ad praxim S. *Paenitentiariae* quae ultimo invocatur, n. 431, responderi potest, nobis non constare de praxi constanti S. *Paenitentiariae*. Verum est, in facultatibus concessis paenitentiariis S. Iubilaei, annis 1925 (2), 1929 (3) et 1933 (4), in concessione facta dispensandi a voto castitatis distinctionem non fieri inter votum *ante* et *post* matrimonium: at id explicatur ex amplitudine facultatum annis Iubilaei concessarum. Scimus tamen anno 1926 facultatem concessam

(1) Salmant., n. 76. Tract. 17, c. 3, n. 5.
(2) Cfr *Periodica*, XVI, 43.
(3) Bulla « Auspicantibus », *A. A. S.*, XXI, 5.
(4) Bulla « Quod nuper », *A. A. S.*, XXIV, 5; « De Iubilaeo » ex *Periodica*.

fuisse quibusdam confessariis « *dispensandi ad petendum debitum fideles qui votum reservatum castitatis emiserint, sive ante sive post matrimonium* ».

Omnibus igitur attente consideratis, quamvis valde nos auctoritas eximia E.mi Praesidis, commoveat non tamen videtur satis ut a communi et recepta interpretatione can. 1111, inde recedendum esse arbitremur.

ULPIANUS LOPEZ S. I.

De pleniore delectationis ratione.

Delectatio, generice sumpta, dicit satisfactionem, etiam momentaneam seu precariam, cuiusdam facultatis; seu quandam saltem temporariam quietem appetitus in bono aliquo suo. Quia autem plures sunt appetitus, cum ordinis superioris, in mente, tum sensibilis in corpore, quibus separatim fieri satis potest, iam inde perspicitur quantum praesens delectatio a beatitudine seu stabili totius hominis felicitate distet. Quare consilia quibus Christus abnegationem, renuntiationes, propensionem ad dandum potius quam ad sua quaerenda commendavit, beatitudini nostrae minime adversantur, quin immo ad eam plenius perfectiusque consequendam disponunt (1).

Delectatio *sensibilis* aliquam immutationem in corpus seu sensus inducit. Nomen autem sumit a termino cui delectatio inservit, atque etiam ex organis quae immutationis sensibilis sedes principalis esse videntur. Itaque delectatio quaedam dicitur venerea quia veneream appetitionem per se consequitur, et

(1) « Beatius est magis dare quam accipere »; verba Christi nobis relata a S. Paulo, Act., 20, 35. Quod ipse Cicero percipiebat hoc praeclare dicto: « Non enim hilaritate nec lascivia, non risu aut loco comite levitatis, sed saepe etiam tristes firmitate et constantia sunt beati ». C. 2, Fin., 20.

eadem dicitur delectatio apparatus genitalis, qui per se maxime ex appetitu venereo excitatur seu afficitur.

Praecipua autem est denominatio ex appetitu. Namque inhibito motu, immo suppresso organo quod est eius sedes, adhuc delectationi carnali, teste experientia concupiscentis phantasiae locus praebetur.

Propter miram consensionem corporis partium inter se et corporis totius, immo animae et corporis, observatur « coenesthesia » (communis affectio) qua, propter actum vicini sensus alius quoque sensus in actum transit, et qua corpus totum proprias singulorum sensuum operationes et delectationes harmonica quadam dispositione participat, sive eas praeparet, sive id efficiat ut plenius gustentur (1).

Quia singuli sensus, excepto gustu, plurimum valent ad veneream commotionem excitandam, facile fit, sive propter obiecti naturam, sive propter agentis intentionem vel moralem eius dispositionem, ut idem obiectum placeat qua visum, auditum, contrectatum, odoratum, et simul, saepe mediante phantasia seu consociatione idearum, venerem excitare incipiat. Haec *mixta* delectatio merito *sensibilis carnalis* appellatur, et prudentes cautiones postulat ne ex sensu ad carnem abripiamur, ob insolentem vim concupiscentiae. Cfr S. Thomam, *De veritate,* q. XV, art. 4, ubi monet delectationes de cogitatione et de re cogitata in quibusdam materiis manifeste differre et aperte distingui, « sed, - ita Angelicus, - earum distinctio in cogitatione de peccatis carnis latet, eo quod propter corruptionem concupiscibilis, ad cogitationem talium concupiscibilium, statim sequitur motus in concupiscibili ex ipsis concupiscibilibus causatus.

---

(1) Observamus omnes quo pacto v. g. fames, abundantior saliva, satisfactionem gustus praeparent, et quomodo commodior corporis situs, immo animus a sollicitudine vacuus, ultro quaeratur, ut quis suavi cibo vel potu perfectius delectetur.

Hinc perspicitur non proprie definiri nec plene describi delectationem veneream locali sensatione in organis generationis, seu motu qui dicitur venereus. Sensatio sumi debet in homine, cum affectu iucunditatis qui ex sensatione resultat, cum appetitu superiore quo quaeritur vel quo nata approbatur (nisi respuitur) et a quo moralem suam speciem sortitur. Immo ad delectationem quoque pertinet generalis corporis affectio quae variis immutationibus constat (1).

Neque hoc satis. Ipsa spiritualis nostri compositi pars, quae, sine transmutatione organica, modo suo superiore plures propensiones et aversiones passionum inferiorum experitur, per complacentias, desideria, morosas cogitationes, vario modo satisfactiones carnales vel operationes cum ipsis coniunctas voluntate amplecti potest.

Hinc perspicitur valde *incompletam* esse definitionem qua delectatio venerea dicitur ipsa grata organorum generativorum immutatio, quae coenesthesiam praetermittit; nec *plene* describi potest grata quaedam organi affectio seu titillatio.

Potius igitur quam ex physica cuiuspiam organi immutatione delectationem veneream describamus, dicamus eam esse *fruitionem actus venerei*, quae eo magis erit completa, quo, praeter rationem inferiorem, etiam superior eam libere participat; actum vero venereum definiamus actum qui vel intentione vel facto suo in satisfactionem stricte sexualem, perfectam vel imperfectam, dirigitur. Stricte autem sexualis satisfactio propriam utriusque sexus coniunctionem per se comitatur. Haec iam in phantastica repraesentatione,

(1) Earum forma et intensitas a natura rei repraesentatae partim pendet. Hae fere sunt istae immutationes: palpitatio cordis magis vel minus fortis et frequens; varia localis pressio sanguinis (*gallice* vaso-motion); anhelitus magis vel minus amplus et frequens; intensior aut remissior tonus musculi; varia per corpus distributio potentiae electricae; varia nervorum affectio et actio.

in desideriis ante vel citra organicam immutationem obtinetur.

A. VERMEERSCH S. I.

Non nullae propriae virtutis castitatis notae.

Virtutis castitatis, cuius haec ratio vulgatissima est, ut sit virtus, species temperantiae, quae, potissimum refraenando, appetitum delectationum venerearum moderatur, propriae quaedam notae sunt quas hoc loco referre visum est, quia earum cognitio ipsius virtutis intellectum iuvat et subsidium affert ad malitiam oppositi vitii accuratius attingendam.

I. - *Duo singularia virtutis castitatis.*

In primis expedire videtur ut, praeposita magis generali observatione de divina Providentia, duo quae ad singularem virtutis castitatis rationem pertinent memoremus.

I. Hominem quem huius aspectabilis mundi regem constituit, Deus simul fecit variis corporis indigentiis et morti obnoxium, ita ut simul propriae conservationi et generis perpetuitati prospicere debeat.

Medium utrique necessitati consulendi divina Providentia homini dedit in ratione ordinatrice et in variis facultatibus ordinis sensibilis.

Ut vero usum eorum mediorum obtineret, coniunxit cum actibus quibus utrique necessitati prospicitur delectationem et inclinationem ordinis sensibilis, ut ita ut non sola recta ratione sed etiam impulsu sensus homo in actus istos propenderet. Verum cum sensus servandam rectae rationis mensuram ignoret, ordini istarum satisfactionum praeposuit virtutes moderatrices quae sub genere cardinalis virtutis Temperantiae ponuntur.

Itaque haec tria ipso *fine conexa* se nobis produnt: *operationes, delectationes, virtus moderatrix.*

Maxime autem necessaria sunt *singulis* hominibus *alimenta, generi* vero humano *generatio.* Quare potissimae sensus delectationes reputantur delectationes *gustus* et delectationes *carnis* (1).

II. Inter autem appetitum aliarum satisfactionum sensibilium et appetitum actus per se generativi hoc interest, quod priores satisfactiones coniunguntur cum operationibus quae immediate sunt propter bonum ipsius *hominis* iis fruentis, dum satisfactio actus per se generativi, annectitur operationi quae immediate est propter bonum speciei. Haec igitur est prior castitatis nota singularis, quod delectationes moderatur operationis quae non est immediate ordinata ad bonum subiecti operantis.

Per imperium rationis in delectationem carnis, ad quod castitas iuvat, bono speciei quasi ex prima naturae intentione consulitur.

III. Accedit haec altera. Dominium in sensus interiores id efficit ut agens servet vel recuperet libertatem moralem agendi secundum rectam rationem in operatione de se generativa; hanc inquam recuperat, quantum *a concupiscentia carnali* pendet. Verum aliae considerationes, praeter vim concupiscentiae carnalis homini usum facultatis contra rectam rationem suadere infeliciter possunt, nec raro suadent.

Puta plures abusus onanismi coniugalis, qui, impellente egoismo, avaritia, mundana vanitate committuntur. Haec tamen peccata castitati adversari dicuntur.

Correctio istorum abusuum provinciam virtutis mere refraenantis appetitum venereum excedit. Istud ergo alterum singulare observandum occurrit, quod

(1) Haec olim dicebantur delectationes *tactus*, quia in quadam tactus specie, sicut ipse gustus, quem definiebant tactum linguae, consistere falso existimabantur.

stricte sumpta castitas ordini cui praeest tutando non sufficeret, si esset mere frenum insolentis passionis, et non inclinaret ad omnem ordinem servandum in usu facultatis generativae.

II. - *Castitatis pulchritudo.*

Castitas, prae aliis virtutibus, pulchra virtus nominatur et praedicatur. Quam laudem meretur iam ex eo quod, in re difficili, modum et proportionem ponit et tuetur; et quia ea refraenat quae sunt in homine infima et communia cum brutis. Quare, ut scite observat S. THOMAS, magis a turpitudine qua praeservat quam a praestantia sui obiecti decorem istum consequitur. Cfr S. THOM. 2, 2, q. 154 art. 2 ad 3; art. 8 ad 1.

III. - *Undenam gravis luxuriae malitia exoritur.*

Gravis luxuriae malitia, quam hic admissam supponimus, non est ex abusu delectationis qua talis repetenda, sed exoritur ex privatione ordinis ad speciem, quem operatio cui delectatio coniuncta est, habere debet. Delectatio enim, qua talis, utpote subiectiva agentis affectio, nullum ordinem ad speciem de se dicit: est semper bonum hominis qui delectatur, ac proin eius excessus non corrumpit nisi ordinem hominis in se ipso, fere sicut eum corrumpit intemperantia in usu alimentorum. Sed delectatio regulatur operatione, quae hic est bono speciei regulata. Itaque in privatione istius boni, gravis luxuriae malitia deprehenditur.

A. VERMEERSCH S. I.

Solutio casuum de censuris, propositorum pag. 140.*

Ad I. Ex Codicis canone 2297 § 3, « Si confessarius, ignorans reservationem, paenitentem a censura ac peccato absolvat, absolutio a censura valet, dummodo ne sit censura ab homine aut censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata ».

Iam vero in casu agitur de censura excommunicationis reservata Ordinario loci, ex can. 2385. Quare Symmachus qui, vere paenitens, bona fide a Superiore provinciali absolvitur a censura excommunicationis, valide est absolutus, neque ullum dubium, ulla anxietas de valore absolutionis haberi potest.

Ad II. Ex praescripto can. 2209 § 3, non tantum mandans, sed omnes alii qui ad delicti consummationem ita induxerint aut quoquo modo ita concurrerint, ut sine tali mandato vel concursu delictum patratum non fuisset, tenentur censuris quibus delictum punitur, licet in lege vel praecepto expresse non nominentur.

Iam vero, sine avunculi consilio, delictum commissum non fuisset; nam Camilla, perplexo animo, viam quaerebat ut sese a tali difficultate extricaret; et si consilium honestum ei datum fuisset, illud secutum esset. Itaque certa est illius pravi consilii efficacia. Quare, supposita scientia censurae, excommunicatio non vitatur.

De medico autem cfr dicenda ad III de pharmacopola.

Ad III. Hodie, perspecta facilitate itinerum, facillimum fuit mulieri obtinere sibi potionem abortivam, ita ut negatio unius pharmacopolae exsecutionem delicti non impedivisset.

Quare ex can. 2209 § 4, delictum est ipsi minus imputabile ita ut censuram contra delicti exsecutorem latam ipse effugiat.

G. Lo Grasso S. I.

Casus De Iustitia.

I. In rheda automobili, quae nobilem quandam Dominam Hispanicam ad portum duxerat unde iter maritimum versus suam patriam arripuit, ancilla heri ad quem rheda pertinebat nummum aureum repperit quam ancilla tradidit ero suo. Is ancillae non nullos dedit francos quibus ipsa contenta erat, nummum vero dono dedit Missionario pro missione sua. Iam quaeritur cuiusnam sit ius in istum nummum, utrum ancillae, an eri, an missionarii. Nulla enim spes erat detegendi Dominam Hispanam cuius nomen et domicilium latebant.

II. Dum agebatur loteria, duo nebulones, facta pactione de dividendo inter se aequaliter lucro, surripuerunt cuidam venditori schedam loteriae, quae praemium obtinuit decem milium libellarum. Quod resciens, alter nebulo venditori clam restituit pretium quo scheda venalis erat, atque inde contendit sibi ius esse acquisitum in totum praemium.

III. In eadem loteria, cum Titius ab aliquo privato viro schedam loteriae furatus esset, a confessario iussus est eandem vel similem restituere personae laesae. Titius aliam a se emptam restituit, quae praemium vicit. Hinc Titius existimat sibi ius esse in istud praemium quod schedae a se emptae obtigit.

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

De instauranda in ordinibus conferendis Pontificalis Romani auctoritate.

Si quis incrementa consideraverit quibus saeculis X-XIII auctum est in ritu romano sacramentum ordinis, ad hanc conclusionem utique deveniet quod e septem sacramentis aliud nullum a tanta rituum simplicitate ad tantam multiplicitatem, a tanta claritate ac perspicuitate ad tantam obscuritatem atque ambiguitatem progressum est. Etenim quis non novit, v. g., ordinationem sacerdotalem, quae hodie quinque saltem praecipuos ritus complectitur, videlicet episcopi ordinantis priorem manuum impositionem, illius manus porrectionem seu extensionem, manuum ordinandi unctionem, calicis et patenae traditionem, episcopi alteram manuum impositionem, ante saeculum X in una episcopi manuum impositione constitisse? (1) Et quis ignorat quantum inde a pluribus saeculis alii ab aliis dissenserint et etiamnum dissentiant theologi in definienda proxima huius sacramenti materia? (2) Adeoque mirum non est quod multi ho-

(1) A. Villien, *Les sacrements. Histoire et liturgie,* Paris, 1931 ; G. Ellard, *Ordination Anointings in the Western Church before 1000 A. D.*, Cambridge (Mass.), 1933.

(2) Cfr G. M. Card. van Rossum, *De essentia sacramenti ordinis.* Disquisitio historico-theologica, 2.a edit., Romae, s. a.

die sperare videntur aliquando fore ut a suprema in ecclesia auctoritate ritus ordinationum latinus saltem e parte ad antiquam suam simplicitatem referatur, vel aperte declaretur quaenam sit singularum illius partium propria vis seu quaenam inter eas ad essentiam sacramenti pertineant, quaenam secus.

Inter istos tamen viros nos non sumus: neque enim optamus ut ritus ordinationum ad simpliciorem ac breviorem formam reducatur, quippe quem talem qualis in praesentia est, totum perpulchrum optimeque ordinatum existimemus; neque unquam futurum esse arbitramur (quamvis optanda res videatur) ut summa ecclesiastica potestas controversiam dirimere velit quae per tot saecula in scholis theologicis et inter summae auctoritatis doctores libere agitata est.

At aliud invaluit in administrando ordinis sacramento incommodum ab iis quae diximus plane diversum iisque, ut nobis videtur, longe gravius. Ritus videlicet qui hodie in traditione instrumentorum teneri solet, is iam non est quem praescribunt rubricae pontificalis romani: hic videlicet ritus in usu hodierno pluribus rebus auctus atque impeditus apparet quibus non parum difficilior adeoque incertior efficitur, ita ut non solum molestas cum ordinanti tum ordinandis angustias, sed etiam non pauca de validitate ordinationis dubia (1) generare consueverit, quae vix nasci possent, si modus in pontificali praescriptus servaretur.

Mutationes istas iam inde a pluribus saeculis quidem sensim sine sensu in usum induci coeptas esse documenta quae mox memorabimus manifestum faciunt (2). Quanam autem auctoritate id factum sit non facile definiri possit. Certe nullum videtur esse

(1) Utique dubia ista saepius benigne a legitima auctoritate solvuntur. Oriuntur tamen et, etiam postquam soluta sunt, in ordinati memoria remanent eiusque animum non raro per totam vitam angunt. Iustum est igitur iis non inutiliter occasionem praebere.

(2) V. infra, pp. 182*-183* Utile esset hanc rem attentius investigare.

alicuius Congregationis romanae documentum quo illae mutationes sanciantur (1). Suspicamur vero non levem culpam in ea re caeremoniariis esse tribuendam, qui cum sint viri ordinis et pompae amantes, eo necessario propendent ut singulorum rituum rationem magis ac magis determinent atque amplificent. Idque in ordinationibus eo facilius effici potuit quod sacramentum hoc rarius et maiore quam cetera sollemnitate ministratur. Fatendum praeterea est plurimum quoque sine dubio in ea re valuisse nimium quendam tutiorismum, qui ob singulare huius sacramenti momentum excusari vel etiam commendari videbatur. (2).

Quonam autem pacto istae causae contra auctoritatem pontificalis romani praevalere potuerint non facile intellegitur. Nonne haec ipsius romanae ecclesiae auctoritate nititur? An non est pontificale romanum legitimus ecclesiae romanae liber, ab ipsis summis pontificibus pluries approbatus ac sancitus? Nonne eius usus ceteris latinis episcopis impositus est? Nonne certissimae et ab omni erroris periculo liberae sunt omnes et singulae normae in eo statutae? Nonne absurde existimaretur ritum quem in sacramentis servandum praescribit, non esse tutissimum? Praevaluerunt nihilo minus adversae illae causae, neque factum satis doleri posset, nisi fas esset sperare fore aliquando ut in ordinibus conferendis ratio a pontificali romano praescripta plene instauretur.

Ad singula porro accedamus (3).

---

(1) Nihil in authenticis decretorum et responsionum collectionibus repperimus. Praecipuas de hac re responsiones v. apud A. Vermeersch, *Theologiae moralis principia, responsa, consilia*, t. III, 1923, n. 678, p. 547.

(2) Huius miri tutiorismi exemplum vide apud Salmanticenses, Tract. 8, c. 2, punct. 1, n. 21, edit. Venetiis, II, 1750, pag. 7; S. Alphonsum, Lib. VI, tr. V, c. 2, n. 752, edit. nova, cura L. Gaudé, t. III, Romae 1909, p. 758.

(3) In describendis usibus hodiernis auctoritate usi sumus praestantissimi operis quod a Pio Martinucci, Apostolicis caeremoniis praefecto, olim conscriptum, a I. B Menghini, Apostolicarum caeremoniarum magistro emendatum et auctum tertioque editum, inscriptum est: *Manuale sacrarum caeremonia-*

Et primum quo iure a caeremoniariis praescribitur atque ordinandis imponitur ut hi cum instrumenta sacra contingunt, manum in iis teneant, dum episcopus integram formam sacramentalem recitaverit? (1) Talis necessitatis nulla plane mentio est in pontificali; immo non desunt in eo loci quibus praecipi videatur ut ordinandi singuli unus post alium instrumenta tangant, dum semel interea episcopus formam recitat. Legatur, v. g., rubrica de traditione clavium in ordinatione ostiariorum. Praescribit nimirum ut singuli successive claves tangant, episcopus vero nihilo minus numero plurali in forma depromenda utatur: « Sic agite », etc.

Et merito sic res agi deberent. Tactus namque instrumentorum ab ordinando agendus plane diversus est a contactu quem episcopus in manuum impositione agere debet. Haec scilicet ex ipsa natura sua habet quod protrahenda est adeoque non est abrumpenda ante quam recitata sit integra forma sacramentalis; tactus vero instrumentorum non est impositio manus sed gestus seu motus quo ordinandus significat se traditum instrumentum recipere. Ad id enim nequaquam necesse est ut instrumentum manu retineatur sed satis est ut obiter tangatur. Immo ne hoc quidem ad integritatem ritus eiusque significationis necessarium ducebat S. ALBERTUS MAGNUS: « Dicendum, inquit, quod (in instrumentorum traditione) non exigitur nisi porrectio, et tactus est de bene esse: quia sicut dictum est, in hoc sacramento est forma significans traductionem potestatis et haec significatur porrectione tota, non expresse dissentiente eo cui porrigitur: intel-

---

rum in libros octo digestum. De ordinationibus agitur in Parte II, vol. II, pp. 30-164. Opus eiusque secundae partis tomum secundum litteris M. M. indicabimus.

(1) M. M., p. 39, n. 66; p. 75, n. 174; p. 40, n. 74; p. 77, n. 200; p. 41, n. 80; p. 78, n. 214; p. 42, n. 85; p. 80, n. 231; p. 45, n. 98; pp. 45-46, n. 102; pp. 82 83, n. 264; pp. 83-84, n. 272; p. 48, n. 112; p. 86, n. 296.

legitur enim accepisse, quando non dissentire se ostendit quando ad accipiendum est praesentatus. Alii vero aliter dicunt: sed non est curandum, quia rationem parvam habent » (1).

Temere deinde passim praescribitur ut ordinandus unum digitum vel duos, id est indicem et medium, instrumentis imponat (2). Dubium enim non videtur quin tactus instrumentorum ab ordinando agendus inchoatus quidam sit gestus, qui si perficiendus esset, instrumentorum prehensio evaderet. Quod praeter alias rationes demonstrant « aeneae figurae » illae quibus ornata est prima clementina editio pontificalis romani (1595), quoniam sane non ornatus tantum de causa sed documenti quoque textui pontificalis adiunctae sunt, quodque non solum usus qui in ecclesia romana saeculo XVI exeunte obtinebant, exprimunt sed etiam modum quo ritus pontificales et inter eos ipsi ritus sacramentales perficiendi sint, aliquatenus authentice declarant (3).

Iam vero omnes figurae quae instrumentorum traditionem in ordinationibus minoribus vel maioribus agendam exhibent, ordinandum manu dextera seu huius digitis omnibus instrumenta apprehendentem vel saltem, idque multo rarius, manum dexteram seu omnes eius digitos instrumentis imponentem ostendunt (4).

Multo melius igitur nihil de modo instrumenta tangendi praescriberetur, nisi quod a pontificali sta-

---

(1) In IV Sent., dist. 24, art. 38, ad 2, edit. S. C. A. Borgnet. t. 30, Paris, 1894, p. 79.

(2) M. M., p. 42. n. 85; p. 80, n. 228; p. 42, n. 85; p. 80, n. 231; p. 45, n. 98; pp. 82-83, n. 264.

(3) Pontificale clementinum inscriptum est: *Pontificale romanum Clementis VIII Pont. Max. iussu restitutum atque editum,* Romae, M.D.XCV. « Figuras aeneas » quibus ornatum est, ipsum Clementis VIII breve, quod ad initium voluminis positum est, commemorat ac laudat. Illas figuras fideliter imitatus est, anno 1845, romani pontificalis editor mechliniensis quidam.

(4) Pontificale ... Clementiis VIII ... iussu ... editum, pp. 20, 23, 25, 28, 38, 52, 67, 105, 107.

tutum est, id est ut ordinandus manu dextera instrumenta sibi tradita tangat. Quod si ratio intrumenta quaedam tangendi pressius determinanda videatur, dicatur ab ordinando illa instrumenta saltem uno vel duobus digitis tangi debere.

Ceterum ista subridicula digitorum determinatio plerumque inde tantum necessaria facta est quod contra rubricarum praescriptum ordinandi saepenumero una manu plura instrumenta vel instrumentum simul et id quo eo continetur tangere coguntur. De hoc more porro, qui in plerisque ordinationum gradibus invaluit, paulo fusius nobis disserendum est.

In ordinatione videlicet acolythorum praescribit pontificale ut iis tradatur candelabrum cum candela exstincta, quod successive manu dextera singuli tangant. Igitur candelabrum dumtaxat ab iis manu tangendum est, quoniam utique qui accipit candelabrum, accipit etiam candelam quae in eo infixa est, neque necesse est una manu candelabrum altera candelam arripiat. Ceterum ordinandis non traditur candelabrum et candela (quae instrumentum seu vas sacrum non est) sed candelabrum tantum candela sua ornatum. Quam rationem candelabrum dumtaxat tangendi manifestissime docet figura pontificalis clementini; conspicitur namque in ea ordinandus candelabrum manu dextera comprehendens, sinistram vero, fere sicut in deferendis candelabris fieri solet, illi suppositam tenens.

Nihilo minus obtinet hodie usus, iamiam a caeremoniariis sancitus, ut ordinandi candelabrum pollice, ipsam candelam indice tangant, quamquam hic gestus inepte susceptionem sacri instrumenti, praesertim candelabri exprimit (1).

Huc quoque referenda est ratio quam a caeremoniariis quidem nondum sancitam esse existimamus, at

(1) M. M., p. 42, n. 85; p. 80, n. 228.

aliquatenus iam usu receptam esse non semel animadvertere potuimus. Qui ad lectoratum videlicet ordinatur, cum librum tangere debet, non solum quattuor digitos in tegmine libri ponere iubetur, sed simul pollice ipsa folia tangere. Fortasse quia qui tegumentum tantum libri tangit, non ipsum librum, seu instrumentum tantum non autem id quod eo continetur, tangere existimatur. Quam rem quis excogitaverit nescimus sed non multum exspectandum erit, dum caeremoniarius quidam gestum illum necessarium esse decernat eique auctoritatem qua adhuc caret, suppeditet. Simili modo porro agitur in ordinatione exorcistae, subdiaconi et diaconi, cum liber exorcismorum, epistolarum vel evangeliorum tradendus est.

Maius porro est negotium quod ad traditionem calicis et patenae in ordinatione subdiaconi pertinet.

Omnia quidem antiqua documenta praescribunt ut in sua ordinatione subdiacono tradatur calix et patena (1); rationem tamen qua ab illo vasa sacra suscipienda sunt, utrum singula sint tangenda, an ambo per modum unius rei, non definiunt. Rem vero decernit pontificale romanum ac clare statuit alteram rationem tenendam esse, seu calicem dumtaxat cui superposita sit patena, ab ordinando dextera manu esse tangendum: « Deinde pontifex accipit et tradit omnibus calicem vacuum cum patena vacua superposita, QUEM successive manu dextera singuli tangunt pontifice dicente: Videte cuius ministerium vobis traditur », etc. Attamen hic quoque usus hodiernus a norma in pontificali praescripta recessit, cum statuit non solum calicem sed simul patenam esse tangendam; (2) id autem, ut nobis videtur, omnino perperam. Etenim ministerium subdiaconi quod calicem et patenam attinet, in eo est

(1) E. MARTENE, *De antiquis ecclesiae ritibus*, t. II, l. I, c. 8, art. 11, Edit. Antverpiae, 1763, t. II, pp. 30-95.

(2) M. M. p. 45, n. 98; pp. 82-83, n. 264.

quod illa « in usum sacrificii diacono offerat » ; hoc autem agit, cum vasa sacra ad altare per modum unius rei affert, calicem cui superposita est patena manu sinistra gestando. Quod enim manum dexteram patenae palla et velo coopertae imponit, hoc ideo tantum agit ne patena e calice decidat, vel alia simili de causa. Adde quod ratio tangendi quem usus novus necessario secum fert, id est ut ordinandus calicem pollice tantum, patenam ceteris digitis tangat, male cum significatione alicuius apprehensionis seu susceptionis congruit. Ceterum cum rubrica pontificalis hodierni plane concordat figura aenea qua in editione clementina ordinatio subdiaconi depingitur; exhibet namque ordinandum quinque manus dexterae digitis calicem dumtaxat arripientem (1).

Attamen hae mutationes non ita graves sunt ut aequo animo tolerari non possint; plura vero ac maiora incommoda secum fert mutatio quae traditionem instrumentorum in ordinatione sacerdotali affecit.

Quid hodie in ista traditione servandum sic hoc modo singillatim describit apostolicarum caeremoniarum praefectus:

« Ascendet ad altare primus ordinatus *(sic)* et genua flectet ante episcopum, qui praesentabit ipsi patenam cum hostia et calicem cum vino; ordinatus, manibus adhuc sudario involutis, tanget hostiam et patenam duobus digitis indicibus, cuppam autem calicis duobus digitis mediis, dum episcopus recitabit formulam *Accipe potestatem*, » etc. (2) Alio porro loco monet idem caeremoniarius episcopum ut antequam tradat ordinando vasa sacra, hostiam versus labrum patenae admoveat (3).

---

(1) P. 42
(2) M. M., p. 51, n. 128.
(3) M. M., p. 90, n. 323.

Quanto autem simplicior apparet et facilior ratio traditionis quam describit pontificale! Quanto dignior et praestantior ritus eius! Praescribit namque rubrica: « Omnium manibus unctis et consecratis, Pontifex... tradit cuilibet successive calicem cum vino et aqua, et patenam superpositam cum hostia, et ipsi ILLAM accipiunt inter indices et medios digitos, et cuppam calicis et patenam simul tangunt, pontifice singulis dicente: Accipe potestatem », etc.

Igitur 1. pontificale calicem tantum et patenam tangere praecipit. Usus vero hodiernus vult ut etiam hostia tangatur, immo si verbis nostri caeremoniarii plane credendum esset, ut hostia primum omnium ac potissimum tangatur. Nobis autem videtur prorsus nullam esse causam cur hostia quolibet modo ipsa tangatur, plures vero rationes suadere ut iste tactus, quod significat etiam pontificale, omnino omittatur. Si enim hostia tangenda est, cur non etiam tangendum est vinum? Hoc autem absurde fieret. Praeterea, sicut supra iam monuimus, instrumenta tantum seu vasa sacra tradenda sunt, non autem ea quae iis continentur, licet in quibusdam ordinationibus necesse existimetur vasa sacra suis quaeque rebus quasi completa sint. Et etiam si quis asseverare velit in ordinatione sacerdotali vinum quoque aqua mixtum et hostiam esse ordinando tradenda, liquet haec non esse distincte tradenda sed per sua vasa; tali enim usui ista vasa destinata sunt.

2. In usu hodierno vasa sacra vix attingi possunt. Calix enim summis dumtaxat mediis digitis vel potius horum unguibus attingitur, patena vero minima tantum parte faciei interioris duorum indicum premitur, praesertim si hostia, ut volunt, ad oram patenae admovetur, quoniam tunc indices fere tota sua interiore facie hostiae innituntur. Quin immo frequenter accidere bene novimus ut hostia ad marginem patenae, ita

admoveatur, ut ipsa patena iam ab ordinando vix aut ne vix quidem tangatur. Ceterum semper ordinando difficillimum erit sentire utrum patenam vere tangat necne. Si haec autem vel parum concava est, difficultas in attingenda simul patena et hostia multum augetur neque res secure iam fit, nisi episcopus digitos miseri ordinandi super patenam et hostiam vi incurvatos retineat. Non raro ipsi hostiam post paucas ordinationes prorsus laceratam esse animadvertimus, quia singuli ordinandi eius partem aliquam suis digitis sudore agglutinatam secum asportaverant ! Quod si in usu quem descripsimus, calicis et patenae tactus aliquis habetur, fatendum est tamen hunc tactum male apprehensionem seu susceptionem sacrorum vasorum exprimere.

Quam praeclarior est ratio utrumque vas sacrum tangendi in romano pontificali statuta. Immo non tactus tantum sed vera prehensio patenae et etiam calicis agitur. Cum enim iubetur ordinandus accipere patenam inter indices et medios digitos, hoc ita intellegi potest quod ab eo patena eodem fere modo arripienda et sustinenda est, quo sacerdos illam ad offertorium missae tenere solet, sicque ei facillimum evadet quattuor vel etiam sex digitis qui infra patenam positi sunt, cuppam calicis non tantum aliquatenus tangere sed omnino circumdare et comprehendere.

Profecto iam intellexit lector nos vocem *illam*, quam in rubrica pontificalis exscribenda litteris capitalibus exhibuimus, ad verbum *patenam*, quod paulo superius in eadem rubrica legitur, incunctanter referre neque dubitamus quin nobis in ea re plane assentiatur. Ratio enim duorum verborum manifestissima est.

Occurrit quidem in antiqua quadam pontificalis romani parisiensi editione (1520) pro voce *illam* verbum *illa,* hancque lectionem H. MÉNARD (quod a viro

erudito exspectandum erat) illa meliorem iudicavit (1). At nihil hoc refert, cum satis nobis sit editiones romanas vocem *illam* constanter exhibere. Nec quicquam valet difficultas quam lectioni ordinariae idem H. Ménard opponit, cum declarat se non intellegere quinam sit sensus rubricae, si non verbum *illa* sed *illam* in ea legendum esset, quoniam non posset hoc pronomen ad solum nomen *hostiam* referri. Sensus est enim, inquit, ut omnia quae offeruntur accipiantur ; haec autem omnia, nimirum patenam et calicem, vinum aqua mixtum et hostiam, in rubrica verbo *illa* designari arbitratur. Re tamen vera qui vel leviter scientia linguae latinae imbutus est, utique novit pronomen *ille* e duabus rebus antea memoratis semper priorem seu magis distantem designare, adeoque in nostra rubrica pronomen *illam* nequaquam ad verbum *hostiam* sed ad *patenam* referendum esse. Si hostia significanda erat, adhibendum erat pronomen *hanc;* si omnia, pronomen *ea.* Denique quid sibi vellet quod ordinandus non solum patenam sed calicem quoque et hostiam ac vinum aqua mixtum inter indices et medios digitos accipere iuberetur?

Omnino autem approbandum est quod mox apud eundem scriptorem subiungitur: « Quae cum ita sint, ait, non illi audiendi qui dicunt hostiae seu panis contactum esse de praecepto in pontificali, cum nihil tale in eo appareat; et multo minus ii qui scribunt contactum panis esse de necessitate sacramenti, ita ut qui panem non tetigerit, sit rursum ordinandus. Nam moraliter loquendo ille acceptare dicitur qui instrumenta seu vasa in quibus sunt ea quae offeruntur, accipit seu tangit ».

Si antiquitatem quoque vel breviter investigare voluerimus, cito manifestum nobis fiet omnia vetera documenta liturgica in hoc inter se congruere quod

(1) *Notae et observationes in S. Gregorii Magni librum sacramentorum,* PL 78, 496 BC.

in ordinatione sacerdotali calicem tantum et patenam contingendam esse affirmant. (1) In figura porro pontificalis clementini quae ad illam ordinationem pertinet, exhibetur ordinandus calicem cum superposita patena sibi ab episcopo porrectum, manui autem suae impositum, sustinens, eundem vero calicem et patenam sic manu dextera contingens, ut illius cuppam ceteris quattuor digitis, huius inferiorem faciem pollice attingat. (2) Hoc igitur documentum, licet cum pontificalis rubricis non congruat, clare nihilo minus significat in ordinatione sacerdotali calicem tantum et patenam, non autem hostiam esse ab ordinando tangendam; haec namque in figura quam diximus, patenae imposita conspicitur.

4. Usus hodiernus postulat ut ordinandus in tangendis vasis sacris manus sudario involutas et arte colligatas habeat, quod, ut patet, instrumentorum contactum multo incommodiorem reddit, maxime cum etiam hostia tangenda sit. Igitur si hodiernae consuetudini vera auctoritas tribuenda esset, ecclesia romana, cuius est cura ac studium ut, quantum fieri potest, omne periculum invaliditatis ab ordinationibus et praesertim ab ordinatione sacerdotali removeatur, hanc in suo ritu, et in eo dumtaxat, difficillimam adeoque non raro incertam reddidisse dicenda esset. Hoc autem quis auderet? Negemus ergo iterum atque audacter tactum hostiae inter authenticos ordinationis ritus locum suum habere debere, vel etiam, ultro progredientes, negemus morem illum, vi cuius ordinandus manibus ligatis ad tangenda vasa sacra accedere cogitur, a pontificali romano ullo modo commendari. Statuit quidem pontificale ordinatos manus suas abluere posse cum offertorium canitur, vel etiam prius, at non inde sequitur illos manus suas usque ad id tempus ligatas habuisse. In figura enim pontificalis

(1) E. Martène, O. c. (n. 14), pp. 30-95.
(2) P. 67.

clementini, quam paulo supra memoravimus, licet in illa editione textus rubricarum cum hodierno omnino congruat, ordinandus qui vasa sacra tangit, manus prorsus solutas habet. Alteri autem cuidam, qui in eo est ut post primum ad instrumenta tangenda ascendat, manus a ministro solvuntur, cum tertius, qui nondum parandus est, manus suas linteo prorsus involutas habeat. Liquet igitur saeculo XVI exeunte consuetudinem ecclesiae romanae fuisse ut ordinandis ante instrumentorum traditionem manus solverentur eamque consuetudinem eadem ecclesia numquam abrogavit. Dolere igitur nobis fas est quod reapse hodie non servatur sed ob fictum periculum, ne sacri olei quo unctae sunt manus ordinandi, aliquid in terram decurrat, multo maius periculum incurritur, ne propter mancum instrumentorum contactum ordinatio invalida vel saltem dubia reputanda sit.

5. Utrum autem necne etiam in consecratione episcopali hodiernus usus a praescriptis pontificalis discrepet ignoramus et proinde quaestio haec omittenda nobis fuit. Memorabimus tantum ad normam rubricarum manus consecrandi post unctionem suam non esse ligandas sed tantum mappulae a collo illius dependenti imponendas. Rursus etiam in accipiendo baculo et in tangendo evangelio coniunctae manere debent.

Fas igitur sit nobis haec vota, ad instar conclusionis expressa, iustae auctoritati, cuius est de gravibus iis rebus iudicare et decernere, submisse at confidenter, committere:

1. Sinatur ut cum bini vel terni una formae recitatione ordinandi sunt, omnes simul manus vel saltem digitos aliquot vasi sacro impositos teneant. Non tamen condemnandus videtur mos contrarius ut singuli unus post alium, etiam cum una formae pronuntiatione, porrectum sibi instrumentum breviter at plenius contingant.

2. Tollatur consuetudo ut acolythus simul candelabrum et candelam tangat: candelabrum tantum, non uno digito vel duobus sed pluribus vel etiam tota manu contingant seu apprehendat. Similique ratione corrigatur modus tangendi librum exorcismorum, epistolarum vel evangeliorum qui hodie invalescere videtur.

3. Tollatur quoque mos ut subdiaconus praeter calicem etiam patenam tangat. Calicem enim dumtaxat tangere debet, modo huic superposita sit patena, et quo plenius illum continget, eo perfectior erit ritus.

4. Tollatur denique, et quidem peremptorio modo, usus ut ad sacerdotium ordinandus hostiam quoque tangere cogatur serveturque norma in pontificali statuta. Accipiat scilicet ordinandus patenam inter indices et medios digitos et, manus coniunctas tenens, digitis qui subter patenam positi sunt, cuppam calicis tangat vel etiam, manus disiungendo, iisdem digitis cuppam circumdet ac comprehendat. Et proinde ante quam ordinandis vasa sacra tradantur, solvantur eorum manus. Hae tam parce oleo sacro ungi solent ut ne levissimum quidem periculum incurratur ne illius quicquam in terra decidat.

Multum quidem disputaverunt theologi dogmatici - ut solent - de illustriorum magistrorum et scholarum sententiis super natura et necessitate traditionum instrumentorum; opportunum nunc esset ut liturgista aliquis - cuius praecipuus locus theologicus ipse usus ecclesiae esse debet - perquirere et enarrare studeat quo modo a saeculo X usque ad aetatem nostram ecclesia romana et ceterae ecclesiae quae ritu romano utebantur, illam traditionem instrumentorum reapse egerint.

Quae hic de ea re summatim disserere potuimus, satis ostendunt quantum sit talis disquisitionis momentum, quantaque utilitas.

IOHANNES M. HANSSENS S. I.

De signis negativis vocationis sacerdotalis et religiosae.

In eligendis candidatis ad ordines sacros, oportet ut praemittatur prudens iudicium de « *recta intentione* » necnon de « *idoneitate* » tam physica quam morali promovendorum (1). Hac autem brevi dissertatione unice intendimus confessariis aliisque sacerdotibus practica consilia insinuare, ut prudenter ac discrete decernere valeant de idoneitate praesertim morali, requisita in candidatis sacerdotii. Quae quidem signa, licet irregularitates aut impedimenta canonica proprie non constituant (can. 983-991), Superioribus tamen ac sacerdotibus, qui iudicare debent de « recta intentione » atque de « idoneitate » promovendorum, iudicia practica praebent ut, propter bonum Ecclesiae et pro salute animarum, non idoneos eosve qui minorem securitatem ac fiduciam praestant, prudenter quidem, sed fidenter removeant.

Ne sequentes normae, quoad vitium praesertim sensualitatis, indiscrete applicentur, praemittenda est conclusio Benedicti XIV, quam pro confessariis proponit in suo opere, *De Synodo*, lib. XI, cap. 2, n. 18, scilicet: « *Nullam..... suppetere regulam generalem* quae in huiusmodi casibus indistincte ab eo (confessario) adhiberi valeat. Quare non aliud consilium eidem praeberi posse censemus, *quam ut omnia personae, rerum et casuum adiuncta diligenter inspiciat* ». — *Confessarius* autem sequentibus regulis utetur ad consilium dandum potius quam ut strictum praeceptum paeni-

(1) Cfr J. LAHITTON, *La vocation Sacerdotale*, ed. 4, Paris, 1914; — A. VERMEERSCH, *De vocatione religiosa et Sacerdotali*, ed. 2, Brugis, 1914; *Theolog. moralis*, III², nn. 32 et 688; – atque duas epistolas Card. MERRY DAL VAL 2 iulii, 1912; 7 iunii, 1913, circa praecitatum opus canonici J. Lahitton.

tenti imponat; nisi agatur de clerico qui ad ordines sacros ascendere velit, atque confessarius cum morali certitudine praevideat, paenitentem, in condicionibus ordinariis ac normalibus vitae et ministerii sacerdotalis, peccata gravia contra castitatem non esse vitaturum (1). Quibus praemissis, sequentia proponuntur:

1) AD SENSUALITATEM quod spectat, ab ordinibus arceantur qui propensionem violentam fovent ad delectationes sensuales vel ad amores sensibiles. Ut assertum exemplis illustremus, sequentia ex ordine adduci possunt:

Candidatum a Seminario arcendi rationes sunt: Si casum etiam unicum fornicationis deliberate admisit post adeptam pubertatem. Exceptio admitti possit pro iuvene qui, voluntate quidem firma ac solida pietate praeditus, fraude potius ac dolo alieno ad peccandum semel fuit inductus. — Consuetudo puellas studiose perquirendi durantibus ultimis annis antequam seminarium maius ingrediatur, etiamsi peccata gravia non commiserit; — numerosa peccata pollutionis solitariae plene voluntariae, protracta usque ad tempus studia philosophica incipiendi (2).

Alumnum e seminario dimittendi rationes constituunt: Studiosa disquisitio cum puellis conversandi, etiamsi peccata gravia non admiserit; — pollutio graviter peccaminosa, perdurantibus pluribus mensibus, utputa per duos vel tres menses, singulis fere hebdomadis voluntarie perpetrata; — idem peccatum grave pluries per annum, utputa quater ad septies, voluntarie

---

(1) E. GENICOT - I. - SALSMANS, *Institutiones theologiae moralis*, Louvain - Bruxelles, ed. 12, 1931, II, n 26-27. – Legatur quoque dissertatio L. BENDER, O. P. « De biechtvader en de roeping tot het kloosterleven »: *Nederl. katholieke Stemmen*, 1932, p. 332 ss; — cfr quoque *Linzner theol. pract. Quartalschrift*, 1932, Erstes Heft.

(2) Prudenter tamen aestimetur mutatio morum forte obtenta, a momento quo adolescens statum clericalem amplectendi propositum concepit.

admissum, praesertim si adolescens remissae voluntatis, pietate non excellit (1).

Igitur semper ab ordinibus arceatur adolescens, si prudenter praevidetur eum, saltem in ordinariis et normalibus condicionibus vitae sacerdotalis constitutum, in peccata gravia esse prolapsurum. Atque memorandum est tempus magis periculosum non esse iuventutis, sed plenae maturitatis, nempe circa annos aetatis 30 ad 40. — *In dubio* potius in partes severiores inclinetur: *Practice* enim moralis aptitudo perfectae castitatis servandae, dicenda est exceptio atque relative paucis reservata, ideoque non praesumitur, sed probanda est.

2) QUOAD DEFECTUS PHYSIOLOGICOS vel quasi-physiologicos: Ab ordinibus removeantur hysteria etiam levissima laborantes; vel qui inhabiles probantur ut, cum successu etiam mediocri, studia necessaria absolvant.

3) PROPTER DEFECTUS SPIRITUS ET IUDICII, ab ordinibus arceantur candidati quorum imaginatio inordinata et incomposita iudicium notabiliter perturbat, quique temperamentum parum libratum ostendunt, uti sunt qui perperam ratiocinantes, nequeunt temperate discernere verum a falso, ac generatim proprio iudicio obstinate adhaerent; — qui veritatem, iustitiam atque solidam virtutem rite discernentes, eam amplecti studiose detrectant; — qui solidam pietatem et praxim mortificationis christianae in despectum habent, — qui externa sua conversatione, absque spe probabili emendationis, alienos assidue scandalizant.

4) OB INDOLIS DEFECTUS (2) removeantur qui nimia sensibilitate atque violenti passionum impetu, v. gr. odio, ira, etc. abripiuntur, sicque ad alios postea re-

(1) Cfr GENICOT-SALSMANS, *o. c.* n. 26-27.

(2) Cfr B. VALUY, *Le gouvernement des communautés religieuses,* 8e ed. J. F. Vulliez-Sermet, 1913, p. 561 ss.: « Caractères négatifs à la vie religieuse ».

gendos inhabiles probantur; — qui propter misanthropiam, absque spe emendationis, insociabiles apparent; — qui indolem ferunt *superbam, elatam* simul et obstinatam; — qui a scrupulis notabiliter excessivis curari non valent; — qui propter inconstantiam aut levitatem, propter mollem et ignavam indolem, nullam perfectionis formam consectantur, nullum animi vigorem vel excelsitatem praeseferunt: hi plerumque zelum proximi postea non fovebunt, atque in periculo versabuntur ne, progrediente aetate, in peccata gravia cum scandalo prolabantur. Augetur periculum si quis, per tempus notabile, lectionibus lascivis aut etiam frivolis ac levibus indulsit.

5) CUM ATAVISMI INFLUXUS negari nequeant, numquam praetermittantur sedulae investigationes circa famam et condicionem parentum immo et avorum candidati ad sacerdotium. Si quis inter maiores temperamentum non libratum praeseferebat, vitiis, ex gr. ebrietati, opii abusui, etc. notabiliter indulgebat, aut vitam ducebat inhonestam, severiores cautiones certe exiguntur; neque huiusmodi filii in seminarium admittantur nisi sano iudicio, voluntate firma, solida virtute ac probata pietate *omnino et aperte excellant.* In missionibus exteris, in his canditatis diiudicandis, multum deferendum est experientiae missionariorum qui in regione, scientia ac prudentia sunt insignes. — Videant quoque Superiores utrum, attentis circumstantiis, aliquando expediat, ut quidam candidatus ad alienam dioecesim, vicariatum vel praefecturam apostolicam destinetur eique incardinetur.

6) SI DUBIUM exsurgat de vocatione vel idoneitate cuiusdam seminaristae, dubium istud, divina ope implorata, *sine cunctatione solvatur;* et vitetur ne discessum procrastinando, alumnus discedens iam minus aptus evadat ad honestam vitae condicionem sibi comparandam. Alumni vero quorum aptitudo ad ministeria

sacra non est certa, opportune *potius dimittantur.* Nemo debet ordinari, monet Concilium Tridentinum, Sessione XXIII, *de ref.* cap. 16, « qui iudicio sui episcopi non sit utilis aut necessarius suis ecclesiis ».

In diiudicanda vocatione religiosa, eaedem normae, congrua congruis referendo, prudenter applicentur. Attendatur praeprimis *recta intentio* candidati, necnon eius *idoneitas,* tam moralis quam physica, ratione habita indolis atque operum Religionis quae illum admittit.

Praesertim ad *scholas apostolicas* quod spectat seu « parvos noviciatus », praeter sedulam investigationem de bona fama et condicione parentum et avorum, etiam exploranda est spontanea ac libera voluntas candidati in electione sua.

Ad noviciatum, ac signanter ad vota religiosa ne quis admittatur, de quo prudenter praevideatur, quod contra obligationes paupertatis, oboedientiae vel castitatis, in professione suscipienda, in posterum graviter delinquet.

Peccatum mortale pollutionis solitariae, durante noviciatu, semel vel bis deliberate admissum, dimissionem enixe suadet.

G. Vromant, C. I. C. M.

De Componendo Canone 1094 cum 209.

In articulo « De componendo canone 1094 cum 209 » duas quaestiones proposuimus quarum alteri, num scilicet parochus dum matrimonio assistit propriam iurisdictionem exerceat negative respondimus, alteram alii fasciculo solvendam commisimus.

Quare hac nobis instituta scriptione est disceptandum utrum necne canonis 1094 praescripta, ca-

none 209 attingi et compleri possint: clarius; utrum et qua ratione ea etiam matrimonia valida sint quae contrahantur *a*) coram parocho existimato, vel *b*) coram alio quolibet sacerdote qui errore communi valide ad matrimonium delegatus censeatur.

A.

Atque ut a parocho existimato exordiamur, nemo est qui neget matrimonia coram eo inita valida esse: immo, si Jone (1) Linneborn (2) et fortasse aliquem alium — quem me fateor frustra quaesivisse, — excipias, omnes auctores canonem 209 directe in casu applicari affirmant. Quod ut lectoribus innumera fere testimonia legenda parcamus, unius tantum auctoritate afferenda demonstrabimus.

Em. Cardinalis PETRUS GASPARRI, in nuperrima editione sui « *Tractatus de Matrimonio* » (II, n. 936), haec docet: « Quod attinet ad parochum putativum, hic per se nullo iure » (matrimonio assistendi) « pollet; sed si paroeciam regit in errore communi aut in dubio positivo et probabili sive iuris sive facti, valide matrimonio assistit, quia tunc iurisdictionem supplet Ecclesia pro foro tum externo tum interno ex praescripto can. 209: licet enim assistentia matrimonii non sit actus iurisdictionis tamen in favorabilibus, iuxta loquendi usum, actui iurisdictionis aequiparatur; unde verba delegatio, delegatus etc.. » (3).

At vero, neminem fugit Eminentissimum auctorem praecipuas exantlasse partes in Codice iuris canonici redigendo, ita ut si quis unquam Codicis mentem penetraverit, Cardinalis profecto is fuerit. Merito itaque

---

(1) *Theol. pract. Quartalscrift,* 1928, 806 ss.

(2) *Grundriss des Ehereckts,* ed. 1933, p. 350 nota 2.

(3) Vide auctores et locos citatos in priore articuli parte (« PERIODICA... » Mense Iunio 1933 pag. 117-120).

asserimus nuptiarum validitatem coram putativo parocho celebratarum canone 209 sustineri.

Equidem, ubi dicitur illam assistentiam actui iuris dictionis aequiparari, quispiam ulteriorem quandam vel ultimam eius rationem desideraverit. Huic indicaverimus illam a vera canonis 209 interpretatione esse exquirendam.

Nihil sane opus est dissertationem nostram accurata huius canonis disquisitione producere: nonnulla tamen de eo nobis expedienda sunt. Imprimis, canon 209 e capite « Barbarius » leg. 4, de Officio Praetoris (D. I. 14) derivatur, quod receptum postea in Decreto Gratiani (c. I. C. III. q. 7.), vim ecclesiasticae legis obtinuit a Gregorio IX « inserente in suam collectionem responsum Innocentii III, in cap. 24 de sentent. et re iudic. X (II. 27) » (1).

Quod ad vim attinet, tum Status tum Ecclesia, non solum defectum occultum propriae iurisdictionis in foro et interno et externo propter commune bonum supplebant sed etiam, propiusque sic ad rem nostram accedimus, omnia acta ab eo qui propter defectum, etiam occultum, per se invalide aliquo publico munere fungebatur valida rataque habebant.

Ad id probandum, haec nobis sufficient testimonia: SUAREZ in egregio suo opere « De Censuris », (2) refert: « ... Dum aliquis sustinet et exercet in republica munus publicum, licet habeat defectum occultum acta illius ex eiusdem reipublicae » (alibi dicet « Ecclesiae ») interpretatione, et concessione valida sunt... « Maior » (quam nempe modo attulimus), « *satis vulgaris est* apud iurisperitos... ex C. Barbarius ff. de Off. Praetoris, quod ad res ecclesiasticas accommodavit Gratianus in cap... quia Ecclesia non minori provi-

(1) WIESTNER. *Inst. can.* II l. 82 (Conf. OJETTI Comm. in Cod. I. C. L. 2. c. 209).

(2) *De Censuris,* Dispt. XIX. sect. I. nn. 9. 10...

dentia utilitati fidelium prospicit quam respublica civilis utilitati suorum membrorum, nec minora incommoda sequerentur sed maiora, quia ad bonum animae propius pertinent, *si propter defectus occultos acta publica irrita fierent* ».

Cum eximius doctor quaerit utrum instrumentum a tabellione qui nullam, ut patet, veram iurisdictionem exercet, quique excommunicationem incurrit validum sit, respondet: (1) « ex superioribus iam constat ab excomunicato occulto ratione publici muneris valida esse (etiamsi facta ab excomunicato publico essent nulla), quia ob publicam utilitatem ipsa respublica seu Ecclesia supplet illum defectum iuxta C. Barbarius ».

Et luculentius « *Est hoc principium iure receptum ut qui communi existimatione* et opinione *magistratum gerit*, licet in re ipsa munus illud vero titulo non obtineat » (ac proinde nec habeat), « nihilominus gesta illius valeant propter commune bonum iuxta C. Barbarius, quia Ecclesia tunc dat iurisdictionem ne communis ignorantia populo noceat » (2).

Nec Suarez solum, verum insignis etiam iurista De Lugo, in opere *De iustitia et iure* (3), tenet rempublicam tam in iure canonico quam civili defectum iurisdictionis supplere valoremque dare omnibus quae fiunt a iudice, parocho, notario publico, officium ecclesiasticum habentibus, ad vitanda incommoda et perturbationes quae ex communi errore orirentur, ut ex lege Barbarius et capitibus prius adductis satis constat.

Ut alios omittamus (4), Sanchez, in vulgatissimo opere « *De Matrimonio* » (5), disputat utrum « ma-

(1) De Censuris Dispt. XVI. sect. V. n. 2

(2) De Paenitentia. Dispt. XXVI. sect. VI. n. 7.

(3) Lugo « De iust. et iure. Dispt. 37. sect. III. n. 20.

(4) Vide Navarrum, Schmalgrueber, Pirhing, Wiestner, quorum testimonia invenies apud Oietti op. et loco citato.

(5) Sanchez, *De Mat.* L. III Dispt. XXII.

trimonium initum coram parocho communiter ut tali existimato non tamen verum titulum habente validum sit ». Tota, ut opinatur, quaestionis difficultas ex intellectu capitis « Barbarius » et locorum Decreti et Decretalium pendet, additque *certissimum esse* sicuti *ex his locis* constat *gesta a tali parocho in foro externo validitate muniri,* dummodo titulum habeat communi errore tamquam legitimum existimatum et a legitimo superiore collatum.

Ex his consequitur parochum putativum, qui, etiam auctorum allegatorum opinione, vera, dum matrimonio praeest, iurisdictione non gaudet, *iuxta communem et certam antiquorum iuristarum opinionem,* valide nuptiis adesse, quia cum in ipsis publici muneris partes agat, Ecclesia vi c. 24. De sent. et re iudic. X (II. 27) illius acta uti valida sancit.

Atqui canon 209: « In errore communi aut in dubio positivo et probabili sive iuris sive facti iurisdictionem supplet Ecclesia pro foro tum interno tum esterno », ius vetus ex integro referre diceretur nisi celebratam multumque exagitatam de titulo colorato controversiam dirimeret. Sed istud quaestionem a nobis institutam ullo modo nec attingit nec afficit.

Nixi igitur praescripto can. 6 n. 3. 4. 5, absque errandi timore proponimus, parochum existimatum valide matrimonio adesse, quippe qui etiamsi vera ad assistendum facultate omnino careat, tamen cum eius praesentia actus sit publicus publici muneris, Ecclesia canone 209 illius validitati subvenit.

Haec adeo clara sunt ut in iis insistere supervacaneum videatur. Omnium oculis occurrit; et illud peculiare ius matrimonio assistendi quod parochis inest quodque eos testes auctoritate praeditos constituit iisdem publicum quoddam munus deferre ; et consentaneum prorsus esse ut gravissimis incommodis, praesertim spiritualibus, quae multis acciderent si ma-

trimonia coram illo contracta invalida essent, mater Ecclesia pietate sua obviam eat.

Porro quae hucusque diximus certo traducenda arbitramur ad eos qui ad Codicis normam parochis in omnibus iuribus et obligationibus, nisi aliter constet, aequiparantur, nempe: quasi-parochis et vicariis paroecialibus (c. 451 § 2), vicariis oeconomis (c. 473) et vicariis substitutis (c. 474).

B.

Quaestio nobis aliquantulum difficilis videtur ea quam in principio secundo loco posuimus, *utrum* scilicet *Ecclesia canone 209 defectum suppleat delegationis* illius qui absque ea matrimonio assistit. Quam claritatis gratia in duas subquaestiones distribuemus. 1. utrum nuptiae contractae in errore communi coram vicario cooperatore, qui delegatione vel licentia generali ad assistendum matrimoniis caruerit, ex canone 209 valida sint dicenda. 2. utrum et valida esse possint matrimonia coram sacerdote contracta qui non supponitur nisi ad casum particularem delegatus?

Minime repugnamus quin haec omnia matrimonia valida existimemus, si in omnibus, utriusque generis, error communis locum habere possit.

Nam si is possibilis erit, nulla ex Codice ratio fieri potest cur canonem 209 applicare liceat cum de supplendo iure proprio notariali (sit venia verbo) parochi agitur, nequaquam vero ubi sola delegatio huius muneris supplenda sit. Praeter enim quam quod ad errorem communem, qua error est, nihil refert quod qui in eiusdem causa est facultatem propriam habeat vel delegatam, accedit ut etiam in singulari matrimonio publicae utilitatis communisque boni ratio inveniatur, siquidem Ecclesiae interest, ut cuilibet matrimonium valide contrahere liceat.

Sed numquid error communis tam in casibus qui sub n. 1 quam in illis qui sub n. 2 continentur inveniri potest?

Solutio nostra a propria erroris communis ratione eruenda est. Qui, ni fallimur, in hoc praecipue consistit quod; (a) falsum sit iudicium ita cuiusdam vel plurium proprium ut, attentis et re circa quam versatur et mediis quae in communis fidelium condicionis potestate sunt ad illud depellendum, quilibet alius in idem morali necessitate raperetur; quodque praeterea (b) cuilibet fidelium grave (pro subiecta materia) nocumentum afferre valeat.

Ad hoc; falsum illud iudicium resultare dicendum est ex argumento vel ratiocinio cuius praemissae, tacitae vel expressae, positive cognitae, errorem communem tamquam legitimam conclusionem inducunt, quae tamen erronea est quod ignoratur nec cognosci potest factum seu praemissa quae contrariam conclusionem fundaret.

Tandem; propositio errore communi contenta etsi particularis et finita sit, indefinitae tamen et generali aequivalet.

Ita, quo res clarius exstet, in confessione communem errorem haberi tenemus quum aliquis tali modo de facultatibus sacerdotis cuiusdam se ipse decipit, ut in iisdem adiunctis quilibet alius similiter falleretur; et iniuria vel damnum, nisi Ecclesia iurisdictionem suppleret, in quemlibet sicut in priorem caderet vel cadere posset.

Si sacerdos, propter defectum occultum iurisdictione carens, in confessionali, apertis fenestellis sedere conspiciatur, quilibet (moraliter loquimur), necessario putabit eum propriam posse confessionem audire. Etenim et scit, sacerdotes absque facultatibus ad confessiones excipiendas non se praebere; et novit res ecclesiasticas ita ordinari ut neminem debita iuris-

dictione expertem confessarii munere fungi permittant. Ignorat autem, nec moraliter scire potest, occultum defectum quo de facto sacerdos iurisdictione privatur et inde iudicium suum tacitum aut expressum « sacerdos hic potest confessionem meam audire » quodque ex sibi notis verum legitimumque esset, falsum prorsus erit. Denique hoc iudicium « sacerdos hic potest confessionem meam audire », etsi in se particulare, nihilominus, quia a quolibet vel fiet vel saltem fieri potest, generali huic propositioni « sacerdos hic potest confessiones excipere » merito aequivalet.

Age vero, ex his sequitur: primo, canonem 209 applicari posse matrimoniis coram vicario cooperatore habitis qui ad normam Cod. 1095 & l. generali assistendi licentia gaudere censetur; deinde, applicari non posse illis quae coram sacerdote ad unum casum delegato celebrentur.

Prior enim casus est vel esse potest erroris communis, alter est tantum communis ignorantiae.

Profecto: in casu cooperatoris generali delegatione praediti cuius tamen matrimonio assistendi facultas occulto defectu laborat, determinati contrahentes falso existimant cooperatorem N. qui vi generalis licentiae nuptiis suis adest, id iure sancteque facere.

Cur ita? Quia sacerdotem N., cui quid oporteat quidve fieri liceat satis perspectum est, eorum nuptiis benedicendis praesto esse vident atque sciunt, id enim praesupponere debent, parochum nihil matrimonio damnosum admissurum esse. Sed hoc falsum iudicium tamquam error communis reputandus est, quippe sic se res habet ut sicut et hi determinati contrahentes ita et quilibet alii in similem errorem raperentur.

Ratio est, quia, suppositis supponendis, pro cuiuslibet alius matrimonii praeter determinatum celebratione cooperator generaliter delegatus tam prom-

ptus est ad alii matrimonio assistendum quam ad aliud conficiendum paratus; parochus quoque cuilibet similiter acquiesceret. Inde quem ad modum determinati contrahentes falsi sunt ita et quilibet alii contrahentes decipientur atque eadem iniuria, nisi Ecclesia suppleat, in quoslibet simili modo cadet. In casu de quo agimus, si occultus facultatis defectus est, merito hoc iudicium praemittimus « *cooperator generaliter delegatus nuptiis assistere valet* ». Quare ubi vicarius cooperator hac generali matrimoniis assistendi licentia donatus censetur, communis error inveniri potest, ac proinde, quia, quod ad rem nostram attinet, ius inter facultatem ordinariam et delegatam non distinguit, Canon 209 nuptiis coram illo initis applicare licet.

Iam nobis attingendum restat cur, uti modo diximus, ubi sacerdos assistens ad determinatum matrimonium fuerit delegatus, ibi error communis intervenire non possit. Ratio est quod tunc numquam *cuilibet* asserere vel existimare licebit « *sacerdos* hic, *qui determinato matrimonio adest cuilibet matrimonio valide assistet*, et inde nec damnum determinatis contrahentibus ex proprio errore-illatum, quibuslibet contrahentibus irrogabitur. Quod, si ita placet, declarabimus. Una ex parte sacerdos X. qui invalida delegatione determinato matrimonio assistet non pari ratione aut voluntate cuilibet alii matrimonio ad quod licentiam non habet, adesse paratus foret; ex altera, parochus, quem contrahentes de matrimonii celebratione convenire debuerunt, non putandus est velle ei quem ad determinatum matrimonium delegavit, etiam alterum matrimonium committere. Itaque determinati illi contrahentes iure, etsi falso concludent « Sacerdos X. potest valide nostris nuptiis adesse ». Sed quilibet alii contrahentes aut a parocho aut a sacerdote edocerentur, illum eorum matrimoniis in illis adiunctis assistere non posse. Hinc

soli determinati contrahentes falso putabunt « sacerdotem X. valide eorum nuptiis praeesse » : nec ideo rationabiliter institui licet iudicium « sacerdos X. nuptiis adesse valet » : quod quidem ad erroris communis exsistentiam plane requiritur. Adice quod damnum et iniuria quae determinatis contrahentibus fit nequaquam *quibuslibet* aliis obveniet ; atque ita commune damnum minime constituet.

Quibus, ut magis eluceant, pauca addemus.

Perspicuum est tum quando licentia matrimonio assistendi occulto defectu nulla est generalis, cum quando illa particularis est, contrahentes errare quum sacerdotem valide nuptiis assistere credunt. Attamen multum interest errorem inter altero casu ortum et illum qui altero enascitur. Fingamus sex vel septem matrimoniorum banna publicata parochumque (magnae urbis) eorum celebrationem permittere. Si humana imbecillitate acciderit ut illi qui die iovis et qui die sabbati contrahere debebant id repente facere velint die lunae, in quo et aliud matrimonium celebrandum erat, cooperator qui generali assistendi licentia gaudeat, cum vel absque quaerimoniis, tandem aliquando eorum nuptiis aderit sicut et aliorum adesset qui banna publicata habuissent; nec hoc impediet quominus postea matrimonium illorum qui die lunae contrahere statuerant benedicat.

De facto igitur hi omnes circa cooperatoris facultatem errabunt sicut et quilibet qui et banna, etc. habuisset erraret vel posset errare.

Quod si hoc sacerdoti ad determinatum casum delegato obtigerit, illi qui ad nuptias convolare ante constitutum diem properant, vel vicarium vel parochum audient eos monentem de impossibilitate matrimonii celebrationis coram eo qui nuptias die lunae habendas est delegatus. Error itaque in quem postremi contrahentes inciderent tantum peculiaris dicendus est.

In casu generalis delegationis, res sic se habet, ut quilibet, nisi Ecclesia suppleat, matrimonium invalide inire possit; in altero, solum Titius et Titia, Caius et Caia, id est determinati contrahentes. Atqui Ecclesia nec generales leges ad casus particulares indicere, neque de damno particulari, nisi quatenus in malum commune redundet, curare aut scire censetur.

Tandem, casum breviter perstringemus matrimonii qui coram sacerdote nullum delegationis genus habente celebretur.

Nostra sententia, neque hoc in casu, error communis intercedere potest: idque quia vel matrimonium in territorio ecclesiasticae ordinationi patente locum habet vel in territorio ab omni catholicae religionis vestigio maxime remoto. Si id evenerit (quod communis sensus fieri strenue repugnat), matrimonium validum erit ad normam canonis 1098. « Si haberi vel adiri nequit sine gravi incommodo parochus vel Ordinarius vel sacerdos delegatus qui matrimonio assistunt ad normam can. 1095, 1096; 1^0..... validum et licitum est matrimonium contractum coram solis testibus etiam extra mortis periculum, dummodo videatur ea rerum condicio esse per mensem duratura. Quod si primum occurreret, iuxta ea quae de sacerdote ad determinatum casum delegato exposuimus, error tantum particularis conici licet.

Quo igitur ea quae scripsimus in breve cogamus; nostra sententia, facultas de qua in c. 1094 matrimonio assistendi ad veram iurisdictionem non pertinet; publici tamen ecclesiastici muneris est; quare Ecclesia illam occulto defectu laborantem ad normam c. 209 supplet in errore communi, qui in hypothesi parochi putativi et vicarii cooperatoris licentia generali praediti contingere potest, in qualibet alia impossibilis est.

M. FÀBREGAS, S. I.

De beneficio possesso a candidato qui religionem ingreditur.

Praeter quaestiones alia occasione iam pertractatas ac resolutas (*Periodica,* 1933, 101* ss.), aliae nobis breviter et dilucide examinandae occurunt, quae respiciunt renuntiationem aut vacationem beneficii a sodali religioso possessi.

I. Utrum praescriptum can. 584 applicetur etiam sodalibus, qui peculiari promissione aut iuramento vel voto perseverantiae aut oboedientiae se obstringunt in societatibus, de quibus in can. 673 ss.

II. An beneficiarius valide et licite valeat renunciare beneficio ante elapsum tempus de quo in can. 584.

III. An vacatio beneficii effectum sortiatur, si professio religiosa invalida sit.

IV. Num beneficiarius possit beneficio renunciare sub conditione, ita ut renuntiatio valeat necne, prout in sancta vocatione religiosa perseveret vel non; an saltem sibi reservare valeat aliquam pensionem super beneficio.

V. Utrum canonicus, post ingressum in religionem et ante vacationem canonicatus, lucretur distributiones chorales; et quatenus negative, an teneatur solvere punctaturas sue mulctas pecuniarias, de quibus in can. 395, § 2.

VI. Utrum beneficiario qui religionem ingreditur, indultum pro renuntiatione facienda durante novitiatu, pro lucrandis distributionibus choralibus, pro pensione ex reditibus beneficii percipienda, concedendum sit a S. Congregatione de Religiosis, an potius a S. Congregatione Concilii.

I.

Utrum praescriptum can. 584 applicetur etiam sodalibus, qui peculiari promissione aut iuramento vel voto perseverantiae aut obedientiae se obstringunt in societatibus, de quibus in can. 673 ss.

1. Ratio dubitandi manifesta est. Eo ipso quod beneficiarius ingreditur societatem, in qua sodales vivendi rationem religiosorum imitantur in communi degentes sub regimine Superiorum secundum probatas constitutiones, eique societati perpetuo aggregatur, amplectitur statum qui impedit ex ipsa rei natura implementum onerum beneficio adnexorum, praesertim si agitur de beneficio *residentiali.* Idque eo vel magis dicendum, si beneficiarius in praedicta societate, ut revera in nonnullis societatibus ex ipsis earumdem constitutionibus fit, peculiari promissione aut iuramento vel voto perseverantiae aut obedientiae se obstringat.

2. Ad huiusmodi dubium quod attinet, nonnulli censent praescriptum can. 584, ob analogiam, applicandum esse in casu ; secus, aiunt, dicendum foret, vel iuris lacunam in Codice reperiri aut beneficium seu dioecesim in qua illud exsistit damnum pati ob vacationem non secutam ad normam can. 584, aut demum minus rationabilem et aequam videri differentiam inter religiosum proprie dictum et sodalem qui vivendi rationem religiosorum imitatur in sua societate.

Alii negant praescriptum can. 584 in casu applicari ob has praesertim rationes : 1° quia praescriptum citati canonis est quoddam privilegium religiosis proprie dictis concessum ; porro ex can. 680 sodales societatum de quibus sermo est, gaudent quidem privilegiis clericorum, non autem privilegiis religiosorum sine speciali indulto ; 2° quia, ubi agitur de religiosis qui tria vota obedientiae, castitatis et paupertatis

emittunt, peculiaris urget ratio, quae non habetur quoad sodales praefatos.

3. Haec altera sententia vera est. Nam can. 584 expresse loquitur de « *professione religiosa* ». Verba autem accipienda sunt prout sonant iuxta vulgare iuris axioma: « *Verba clara non admittunt interpretationem nec voluntatis coniecturam* ». Palam vero est, professionem religiosam emitti in *religione* dumtaxat *proprie dicta*, eamque necessario et essentialiter complecti tria vota publica, castitatis scil., oboedientiae et paupertatis (can. 487, 488, 1°, 572), ita ut professio religiosa nequaquam sit confundenda aut reducenda ad peculiarem promissionem aut iuramentum vel votum perseverantiae aut oboedientiae, quod forte emittitur in societatibus praefatis.

Constitutiones quarumdam societatum peculiaria continent praescripta de hac re: quae praescripta sancte et religiose servanda sunt, atque ex iisdem eruendum, *an, quando et quomodo* beneficiarius, sive ante sive post ingressum in societatem, renunciare valeat beneficio.

II.

An beneficiarius valide et licite valeat renunciare beneficio ante elapsum tempus de quo in can. 584.

1. Questio, ut patet, respicit sodalem religiosum proprie dictum, cum ipsi tantum, ex dictis in responsione ad I, applicetur praescriptum can. 584.

Sensus quaestionis est, an terminus unius anni vel triennii ab emissa professione religiosa sit *taxative* praefinitus in favorem sodalis, adeo ut ipse nequeat ante annum vel triennium elapsum renunciare suo beneficio.

2. Varia momenta distinguenda sunt, imprimis, ad *valorem* renuntiationis quod attinet:

1. *Ante ingressum in religionem*, ut alibi diximus (*Periodica*, 1933, 104*), procul dubio potest beneficiarius renunciare beneficio, quia nullum est iuris praescriptum quod vetet huiusmodi renuntiationem.

2. Post ingressum in religionem, *durante postulatu* — si forte clericus beneficiarius in minoribus ordinibus constitutus sive modestiae causa sive quacumque alia ratione inter conversos adscribatur ad normam can. 539, § 1 — renuntiatio valide fieri potest, ut iam dictum est (*Periodica*, l. c., ubi tamen ex mendo, loco : « durante noviciatu », legendum est : « durante postulatu »).

3. *Durante noviciatu*, renuntiatio minime fieri potest, et quidem sub poena nullitatis. Can. 568 expresse statuit : » In noviciatus decursu, si suis beneficiis... novicius renuntiaverit... renuntiatio non solum illicita, sed ipso iure irrita est ».

4. Post emissam professionem religiosam, *nondum elapso anno vel triennio*, beneficiarius potest renuntiare suo beneficio ob rationes breviter suo loco traditas (*Periodica*, 1933, 105*).

3. Quoad *liceitatem* renuntiationis, haec videntur probe animadvertenda :

1. Si renuntiatio irrita a iure declaratur, eo ipso, obiective loquendo, est etiam illicita, quia obstat legis praescriptum.

2. Si renuntiatio valida est, v. g. ante ingressum in religionem vel durante postulatu, *per se* est quoque licita, dummodo fiat servatis de iure servandis.

Dicimus *per se;* nam peculiares forte exsistere possunt circumstantiae, quae renuntiationi obstent, adeo ut *per accidens* inde illicita fiat.

III.

An vacatio beneficii effectum sortiatur, si professio religiosa invalida sit.

1. Tres sententiae habentur. Nonnulli opinantur vacationem beneficii in casu iuridicum effectum plene sortiri; tum quia vacatio contingit *ipso iure*, independenter equidem a peculiari voluntatis actu positivo sodalis religiosi eiusque Superiorum, tum quia professio religiosa, semel emissa, iure praesumitur valide emissa eaque ut valida habenda est.

Alii negant, quia ex can. 584 vacatio beneficii pendet « *ab emissa professione religiosa* », ita ut eatenus censeatur beneficium vacare, quatenus professio religiosa revera fuerit emissa. Porro professio religiosa, quae sit nulla et irrita ex iuris praescripto, non est vera professio, nec potest proinde effectus iuridicos parere.

Alii distinguunt inter casum et casum. Si, aiunt, professio religiosa nulla revera sit, deficiente v. g. aliqua ex requisitis conditionibus de quibus in can. 572, eaque a competente Superiore irrita declaretur, et adhuc beneficium vacet quatenus nulli clerico fuerit collatum, beneficiarius qui irritam professionem religiosam emisit, integrum servat ius in idem beneficium. Si e contra beneficium alicui clerico, iam collatum fuerit, sodalis eo ipso omne ius amisit. Ita patroni huius sententiae.

2. Speculative loquendo, secunda opinio verior est, principiis iuris prae oculis habitis iisque mature consideratis. Practice, nisi forte occurrat applicatio can. 1446 aut quaestio e limine dirimatur per novam professionem religiosam ad normam can. 586, res *ex bono et aequo* erit componenda.

IV.

Num beneficiarius possit renunciare sub conditione, ita ut renuntiatio valeat necne, prout in sancta voca-

tione religiosa perseveret vel non; an saltem aliquam pensionem sibi reservare valeat super beneficio.

1. Responsio *negativa* certa est, sive consideretur renuntiatio *expressa,* quae fiat ante ingressum in religionem aut durante postulatu vel post emissam professionem religiosam sed ante tempus a iure praefinitum, sive spectetur renuntiatio *tacita* ad normam can. 188, quae habetur ex praescripto can. 584.

Quod renuntiationem *expressam,* can. 1486 statuit: « Dimissionem beneficiorum *...sub aliqua conditione* quae ipsam beneficii provisionem aut redituum erogationem attingat, Ordinarius admittere nequit... ».

Igitur prohibitae sunt generatim omnes resignationes conditionatae, scil. *cum iure accessus, ingressus* aut *regressus,* nec non *cum reservatione pensionis.*

Vacatio autem beneficii *tacita* de qua in can. 584 contingit *ipso iure,* independenter ab actu positivo voluntatis sodalis religiosi, eaque proinde ex ipsa sua natura quamcumque conditionem excludit.

2. Si peculiaria forte adsint adiuncta, quae renuntiationem beneficii suadeant cum iure pensionis percipiendae ex reditibus eiusdem, indultum a Sede Apostolica impetrandum est.

V.

Utrum canonicus, post ingressum in religionem et ante vacationem canonicatus, lucretur distributiones chorales; et quatenus negative, an teneatur solvere punctaturas seu mulctas pecuniarias, de quibus in can. 395 § 2.

1. Canonicus, iste profecto non lucratur distributiones chorales, nec *quotidianas* nec eo minus *inter praesentes,* quas vocant: sed solum percipit fructus praebendae. Huc spectant quae alibi diximus (*Periodica,* 1933, 107* s.).

2. Disputant auctores, an teneatur solvere punctaturas seu mulctas pecuniarias, de quibus in can. 395, § 2. Quidam absolute negant, quia mulcta pecuniaria habet rationem poenae ; poena autem supponit necessario culpam seu delictum. Atqui iste sodalis religiosus nullam procul dubio committit culpam. Igitur videtur eximendus ab onere solvendi mulctas pecuniarias ob legitimam absentiam a choro. Praeterea, addunt, citatus can. 395, § 2 statuit praefatas mulctas pecuniarias esse ab Episcopo decernendas « in dignitates, canonicos ac benificiarios *negligentes* ». Porro canonicus, de quo agitur, nullo pacto dici potest *negligens.* Ergo, aiunt, idem videtur non teneri ad solvendas mulctas pecuniarias de quibus in can. 395, § 2.

Alii affirmant, ex ipso conceptu punctaturae seu mulctae pecuniariae. Perpendantur ipsissima verba can. 395, § 2 : « Si distributiones quavis de causa introduci nequeant, Episcopus in dignitates, canonicos ac beneficiarios negligentes pecuniarias constituat mulctas, *quae distributionibus respondeant earumque locum teneant* ».

Proinde, licet conceptu inter se differant *distributiones* et *mulctae pecuniariae*, practice tamen in idem recidunt. Nam per *distributiones* aliquid additur praebendae seu beneficio ; per *mulctas* vero aliquid subtrahitur, ita tamen ut, in utraque hypothesi tum praesens tum absens a choro eandem summam pecuniae, in fine anni, suam faciat.

Voces autem « *negligentes* » et « *diligentes* », quae occurrunt in can. 395, §§ 2 et 3, idem sonant ac *praesentes* et *absentes.* Igitur, si canonicus, de quo agitur, non lucratur distributiones chorales, et mulctae pecuniariae *respondent distributionibus earumque locum tenent,* logice ac necessario concludendum, canonicum praefatum teneri punctaturas seu mulctas pecuniarias solvere.

3. Interdum petitur et obtinetur in casu indultum a S. Sede, tum quoad lucrandas distributiones quotidianas, exceptis *inter praesentes* et fallentiis, tum quoad liberationem ab onere solvendi mulctas pecuniarias.

VI.

Utrum beneficiario, qui religionem ingreditur, indultum pro renuntiatione facienda durante noviciatu, pro lucrandis distributionibus choralibus, pro pensione ex reditibus beneficii percipienda, concedendum sit a S. Congregatione de Religiosis, an potius a S. Congregatione Concilii.

1. Variae distinctiones faciendae sunt. Si agitur de renuntiatione valide facienda durante noviciatu, indultum concedi debet a S. Congregatione de Religiosis. Ipsa sola in casu competens est.

2. Si agitur de indulto pro lucrandis distributionibus choralibus aut de renuntiatione cum iure percipiendi pensionem ex beneficio, et indultum imploretur *ante ingressum in religionem,* procul dubio competens est S. Congregatio Concilii.

3. Si agitur, contra, de eodem indulto obtinendo *post ingressum in religionem,* quidam censent competentem esse S. Congregationem de Religiosis. Sed immerito; nam *beneficium* ecclesiasticum et sodalis benificiarius *qua talis* non subsunt S. Congregationi de Religiosis sed ad normam can. 250, § 2, uni S. Congregationi Concilii, a qua proinde indultum in casu obtinendum erit.

F. M. Cappello S. I.

QUAESITA VARIA

I. - De negotiatione clericorum

Licetne Rectori sodalicii lucrum rationabile percipere ex venditis insignibus sodalicii, quae ipse magna copia a fabricatore coemerit; idque eo fine ut ex obtento lucro opera sodalicii promoveat: libellos pios edendo, compensando expensas bonorum temporalium sodalicii, solvendo stipendia pro missis in suffragium vel bonum sodalium viventium vel defunctorum?

Resp. Id ipsi licere arbitramur, maxime si aliquis Episcopi assensus accesserit. Etenim:

a) In curanda insignium confectione, in iis magna copia coemendis, operam personalem adhibuit, in aliquod periculum init: quae digna sunt mercede quam, sub forma lucri, percipiet.

b) Praeterea mos est ut coemens res magna copia, minore pretio eas sibi comparet quam quod alter, pro singulis corporibus, solvere deberet. Lucrum istud censetur coemens sibi servare posse. Emptione ista supplevit incommodum quod singuli ferre deberent si pro se quisque mercatorem adeundum haberent.

c) Accedit quoque usus, ut diximus in *Theol. mor.* III, 21, 4: « In rerum autem pretio, tum honesta laboris remuneratio, tum fenus pecuniae insumptae, tum periculum quoddam dammi computari possunt. - Ita fit ut usus satis generalis invaluerit apud clericos et religiosos vendendi cum aliquo lucro obiecta devotionalia, ad ingressum ecclesiae exposita. Lucro isto, labor, periculum damni e rebus non venditis, fenus pecuniae qua emptae sunt compensatur ».

Non decet tamen ut proprium negotiantium lucrum

percipiatur, ne honestiore praetextu palliata negotiatio quaestuosa exerceatur.

Addimus id maxime licere, si Episcopus rei assentiatur, expresse vel tacite. Negotiatio enim ista valde similis est sic dictae negotiationis politicae, qua res emuntur pro bono communitatis vel exercitus. Iam vero vigilantia Episcopi honestati modi et moderationi lucri cavebit. Cfr WERNZ, *Ius Decretalium,* II, n. 219, II ubi licentiam Episcopi pro negotiatione politica per se requirit.

A. VERMEERSCH S. I.

II. - De potestate Vicarii Generalis.

Ioannes, Vicarius generalis archiepiscopi valde amplae archidioecesis, conqueritur de multis casibus in quibus, sine speciali mandato, agere non potest licite vel etiam valide. In ampla enim dioecesi casus huiusmodi frequenter occurrunt, nec Antistes semper adiri potest, praesertim cum pars dioecesis ipsi visitanda committitur. Quare de remedio interrogat.

Resp. Re vera, praeter ea quae vi muneris peragere potest, nisi Episcopus quaedam sibi reservaverit, pauca sunt alia quae facere prorsus nequit: canonicos ad honores nominare (c. 406), Congregationes religiosas condere (c. 492); et plura pro quibus mandatum speciale ipsi opus est. In indice alphabetico Codicis, viginti huius generis casus allegantur.

Remedium tamen est in promptu. In arbitrio enim est Antistitis ut in antecessum, modo generali potestatem Vicarii generalis extendat sive ad omnia quae speciale mandatum postulant, sive ad ea quae ipsi videntur magis Vicario generali utilia fore. Ut autem haec certius committat, indicet quaedam, speciminis causa, quae ipse tribuit Vicario generali, etsi speciale mandatum requirant.

Generalis enim delegatio ad specialia nullo iure prohibetur. Et quae quis potest potestate ordinaria, alii ad universitatem causarum facienda permittere potest.

Solutio maxime confirmatur iure superiore, a quo non est, ne in dubio quidem recedendum (c. 6). Etenim iam ante Codicem nota erat distinctio inter ea quae vi iuris communis in potestate Vicarii generalis continebantur et ea quae sine mandato speciali extra ambitum suae potestatis versabantur. Ac receptum erat Episcopum talia quoque Vicario generali a se nominato mandari posse ab inito munere. Postulabant tantum ut, additis non nullis exemplis, suam mentem clare aperiret. Cfr WERNZ, *Ius Decretalium*, II, Pars II, n. 805, III, p. 631 ed. 2.

A. VERMEERSCH S. I.

III. - De titulo ordinationis in sacris.

Firminus episcopus, quo clerum suum artiore vinculo ad dioecesim alliget, nullum iam nisi titulo servitii ecclesiae ad sacrum ordinem promovere annuit. Qui enim, sic ipse, alio titulo ordinatur, oboedientiae Antistitis se facile subtrahit, officia minus sibi grata recusat, arbitrio suo studet sibi viam parare ad incardinationem in aliam dioecesim, ita ut in propria fiat minus stabilis.

Rursus autem Candidus, clericus, ex honesta familia ortus, sibi ius esse contendit constituendi sibi titulum patrimonii.

Resp. Ratio agendi, quam zelus Agathoni suadet non est legibus canonicis consentanea. Etenim ex c. 979 « pro clericis saecularibus titulus canonicus est titulus beneficii, eoque deficiente, patrimonii aut pensionis ; et c. 981 hoc habet : « Si ne unus ex titulis de quibus in can. 979 § 1 praesto sit, suppleri potest titulo servitii dioecesis ».

Codex igitur ita varios titulos allegat, ut secundus et tertius non admittantur nisi ubi primus haberi non possit. Ac potissimum ut mere suppletorius renuntiatur titulus servitii dioecesis.

Quare, satis liquet hunc titulum non esse adhibendum quando alius magis normalis praesto habetur. Nec proin Antistitis arbitrio stat ut titulum meliorem qui offertur recuset.

Ceterum titulus non est nisi cautio de sustentatione, nec debitam clericorum oboedientiam vel eorum stabilitatem ullatenus afficit: aeque omnes obligantur, sine ullo tituli respectu.

Quocirca Episcopus tam in iure quam in facto errare dicendus est. Fatendum quidem est fieri posse ut ex concesso titulo servitii ecclesiae clericus quendam affectum grati animi concipiat propter quem se putet aliqua aequitate astringi ad non quaerendam migrationem in aliam dioecesim. Verum iste non erit affectus clerici qui titulum patrimonii ultro offerebat.

Sane, nixus can. 969 § 1, Episcopus titulum servitii dioecesis obtrudere potest, arcendo ab ordinibus, ut non sibi necessarios, clericos qui alio titulo promovere velint. Ars tamen ista a sincera Codicis observatione dicenda est aliena.

A. VERMEERSCH S. I.

IV. - De iure parochi et iterata Viatici ministratione

Questionis origo. I. In ephemeride Hiberna, cui titulus « The Irish Ecclesiastical Record », mensis maii 1931, pp. 515-517, legebatur: « Administratio sancti Viatici, sive praecepta sive ex devotione suscipienda, est reservata parocho, Superiori religionis clericalis, aut Confessario ordinario monialium (can. 852) ».

Quod scriptum est contra ea quae dicenda arbitrati sumus in *Theol. mor.* III, n. 387, ubi distinximus viaticum stricte et latius acceptum, prout agatur de communione quae in gravi mortis periculo est facienda de praecepto divino vel ecclesiastico, vel de communione quam infirmus periculose decumbens facit ex devotione, praesertim non ieiunus (c. 864 et 858). De Viatico latius accepto, haec scripsimus, loco citato « Ne contra mentem Codicis difficiliorem reddamus refectionem sacramentalem eorum qui eadem magis opus habent, viaticum cuius ministratio *parocho* vel aliis reservatur intellegimus de solo viatico stricte accepto seu praecepto. Quare licebit alii sacerdoti afferre communionem infirmo non ieiuno, postquam parochus viaticum necessarium ministravit. Et quia nulla est obligatio, ut exoriente periculo viaticum statim recipiatur, idem permittemus ante istam ministrationem, dummodo, tempore opportuno, advocetur proprius pastor ad sacramenta administranda quae ultima dicuntur. Ac nisi istud concedas, fiet saepissime, propter praeiudicia et animi timores, ut periculose decumbentes diu tanto cibi caelestis subsidio in sua maiore necessitate privati maneant ».

Sententiam istam approbant GENICOT-SALSMANS (*Theol. mor.* II, 181); AERTNYS-DAMEN *Theol. mor.* II, 125); FANFANI, O. P. (*De iure parochorum,* n. 189), quatenus iteratam susceptionem Viatici omni sacerdoti qui s. communionem privatim ministrare potest licere declaramus. FANFANI etiam se valde propensum declarat ad eam sententiae nostrae partem qua permittimus ut etiam ante viaticum praeceptum infirmus periculose decumbens privata communione muniatur. Id re vera in nostris regionibus utilitate et non raro ipsa quasi-necessitate spirituali infirmorum postulatur.

Quae sententia nostra maximam confirmationem accipit ex iure ante Codicem. Etenim BALLERINI-PALMIERI, *Opus Theol. morale,* IV, n. 887; et S. ALPHONSUS, VI, n. 240, sine ulla observatione referunt iam scripta a BUSEMBAUM, Euch. Dubium 2. « Si aegrotus nondum pervenerit ad eum statum, ut ex praecepto teneatur ad communionem », licet Regularibus ei communionem dare, « etsi tunc maneat obligatio suscipere communionem ex manu parochi in articulo mortis ». — « Si aegrotus iam satisfecerit praecepto de viatico, cum intentione illud implendi », licet Regularibus ei Eucharistiam dare, « quia administratio Eucharistiae est tantum vetita Regularibus quando praeceptum communionis obligat ». Ex can. autem 6, concordia cum vetere iure praesumenda est.

Contraria autem opinio eph. Hibernae sola nititur voce Viatici, quod ius dicitur esse parochi. Verum distinctione Viatici praecepti et liberae devotionis argumentum istud enervatur. Atque addas magna damna in nostris regionibus timenda ex hac severitate, quae fortasse in Hibernia multo minus apprehendenda sunt.

II. Quod ad utendam formulam, verba « Accipe viaticum » non sunt sub gravi dicenda. Cfr S. ALPHONSUM, VI, 285, Dubium 4. — Suademus autem ut non usurpentur antequam, iuri parochi sit satisfactum, ne ius istud posthaberi videatur. Postquam autem viaticum praeceptum receptum sit, formula viatici servanda videtur, nisi obstet psychologicus infirmi status.

A. VERMEERSCH S. I.

V. - De sancto nominando in oratione « A cunctis »

In dioecesi nostra usus qui putatur immemorabilis habet ut in oratione « A cunctis », solus nominetur principalis patronus civitatis et dioecesis. Quaeritur num usus iste tolerari possit.

Resp. Ut, *omisso* Titulari Ecclesiae, nominetur patronus loci vel dioecesis, non videtur tolerari posse. Tolerari autem potest ut, considerata diuturn praxi, ut nomen patroni loci vel Dioecesis addatur ad nomen Titularis ecclesiae, vel ut suppleat nomen Titularis quod non habeatur quia ecclesia vel oratorium dicatum est mysterio aut B. Virgini, aut quia nullum habet Titularem.

Etenim rubricae cum Breviarii tum Missae perspicue iubent ut in oratione *A cunctis*, ad litteram *N* nomen Titularis propriae ecclesiae pronuntietur. Observes tantum in rubr. Missalis, titularem *propriae* ecclesiae, intellegi titularem ecclesiae ubi quis Missam celebret. Quae norma pluribus iam decretis data erat.

Ex decreto auth. n. 3758, religiosis apponere licet nomen conditoris sui (si nominari queat) dummodo Titularem ne omittant. Si Titularis oratorii vel templi nominari nequeat, quia v. g. est dicatum mysterio vel B. Virgini, praxis immemorabilis nominandi patronum principalem civitatis vel dioecesis, servari potest, dummodo nominetur quoque in officio divino in suffragio de sanctis.

F. PAUWELS, S. I.

VI. — **De postulatus diuturnitate.**

In non nullis Institutis religiosarum quae personae ad instituendas puellas praeparare debent mos inductus est ut postulantes, antequam, recepto habitu, noviciatum ingrediantur, curriculum studiorum et exercitationum quae ad scholas habendas requiruntur plene perfecerint. Inde fit ut postulatus ad quattuor vel quinque annos protrahatur.

His autem rationibus usus iste nititur.

1. Magis proficua est contentio animi de studiis, cum Noviciatui praemittitur quam si professae religiosae eam praestare debent. Magis quoque tempestive idoneitas candidatarum explorari potest, et non idoneae minore detrimento et incommodo dimitti possunt.

2. Immo quae lege praescribuntur futuris magistris aegre a personis indutis habitu religioso praestari possunt. Inter ea enim non solum gymnasticam artem in posterum docendam, discere debent, sed etiam graviori palaestrae natationis vel quae a « sky » nominatur operam dare debent.

Hinc quaeritur num mos tam diuturni postulatus servari possit.

Resp. Codex I. C. cum minimum postulatus tempus, tum maximum per quod a Superiore maiore protrahi possit definit. Nullum autem limitem assignat definitioni Constitutionum, ut bene tradunt Brandys O. F. M. (*Kirchl. Rechtsbuch für die religiose Laiengenossenschaften* etc. n. 22) et Fanfani O. P. *De iure religiosorum,* n. 189.

Silentibus Constitutionibus, mos is induci nequit sine assensu eorum qui Constitutiones mutare possunt.

Verum minus optandum est ut persona cuius vocatio comprobata est vitam religiosam tamdiu procra-

stinare cogatur. Quare auctores sumus ut potius, alia ratione, v. g. permittendo ad horam vestitum magis exercitationibus congruentem difficultas dissolvatur.

A. VERMEERSCH S. I.

Solutio casus de iustitia, propositi p. 172*

Ad I. Deficiente omni spe detegendi Dominam istam Hispanam, quae nummum aureum casu in rheda automobili amiserat, res ista ad neminem pertinere coeperat, fiebatque primi occupantis, quamvis in Domina ista nullam supponamus voluntatem ius suum abdicandi. Ancilla quae nummum invenit eundem occupare poterat. Sed hoc non fecit, cum nummum ero suo tradiderit et contenta fuerit aliquot francis ipsi ab ero datis. Fuitne tamen in ista ancilla voluntas renuntiandi alicui iuri cuius esset conscia? Nihil prodit talem voluntatem, nec praesumi potest. Dicenda igitur est eam mere ex errore nummum non formaliter occupasse et contentam fuisse francis quibus erus nummum commutavit. Errore isto vitiatur cum traditio nummi ero tum partialis donatio ab ipsa ero facta. Itaque nummus iste addicendus est ancillae quae ero suo francos ab ipso receptos restituere debebit.

Ad II. Surrepta scheda in dominio mansit eius vel eorum ad quos ipsa loteria pertinet. Nec, post factam loteriam, ac proin, desinente omni alea, eam tibi comparare possis solito pretio quo ante loteriam venalis prostabat. Etenim, ante loteriam, erat pretium aleae; post loteriam iustum eius pretium si scheda venalis esset infra praemium obtentum non haereret. Id pro certo habemus FERRERES, tamen. *Theol. mor.*, I, n. 787, benignius permittit ut soluto pretio emptionis, prae-

mium acquirat, quia damnum illatum sic plene repararetur.

Verum, sive scheda ista, si non fuisset furto sublata, loteriam participasset sive non (quod pro varia lege variare potest), fur ope furti sui praemium obtinet quod alii obtigisset; idque sine ullo titulo. Facta loteria, schedae non iam ullo titulo venales prostant. Ante loteriam emuntur, soluta pecunia aleae, post loteriam nulla iam alea habetur.

Aliter responderemus si fur, facti paenitens, ante sortitionem pretium schedae solvisset.

Ad III. Incerta alea schedam alii schedae, sine domini consensu, substituere minime permittit. Qui schedam emit, simul ius habet ad materialem *schedam* certi numeri et ad aleam eiusdem *numeri*. Quare Confessarius non potuit Titio veniam dare ut similem, idest aliam eiusdem loteriae, personae laesae restitueret. Si igitur, ut supponendum est, substitutio clam facta est, Titius nullum ius in schedam surreptam acquisivit; sed nullum ius in eam quam substituit amisit. Recte igitur existimat hanc ab ipso ut suam vindicare, cum praemio posse.

Neque obici potest fuisse in Titio voluntatem transferendi dominium istius schedae personae a qua priorem furatus erat. Hanc enim non habebat, nisi quatenus surreptam schedam suam facere poterat. Ac voluntas ista inefficax erat donec assensu personae laesae pactionem legitimam ingressa esset.

Casus de iustitia (de sic dicta dichotomia).

Gallienus medicus, cum Thoma chirurgo hanc pactionem init, ut si quempiam miserit ad virtutem eius scalpelli tentandam, Thomas ipsi dimidiam partem percepti emolumenti cessurus esset.

Cum pactio ista alii medico suspectae honestatis iudicaretur, Gallienus eandem his rationibus excusat:

a) Est usus generalis dandi et recipiendi aliquod « proxeneticum », seu pretium utilis mandati;

b) Non raro fit ut possim diuturniore cura medica infirmum sanare. Itaque, dum eum ad chirurgum mitto, renuntio pretio plurium « visitationum » quas honeste peragere mihi liceret.

c) Quid autem refert clientis ut pecuniam quam solvit uni vel duobus personis cedat?

II. Arnobius, medicamentarius, quartam partem pecuniae quam ex pharmacis venumdatis obtinuerit, medico promittit qui aegrotos mittit ad emendas in suo pharmacopolio medicinas. Sed ideo, ne ipse aliquod damnum vel minus lucrum sibi effecerit, pretium medicinarum auget vel de qualitate aut quantitate mercis aliquid detrahit. Iterum, amico obicienti sic ab ipso fraudem committi, et agere contra legem italicam quae talia vetat, respondit: plerosque haec sine scrupulo exercere; legem autem quae has pactiones prohibet esse poenalem.

Quid, pro veritate respondendum est?

PARS ALTERA

MONUMENTA

1. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Bulla « Quod nuper » 6 ian. 1933

INDICTIO ANNI SANCTI EXTRA ORDINEM AC GENERALIS MAXIMIQUE IUBILAEI UNDEVICESIMO EXEUNTE SAECULO A PERACTA HUMANI GENERIS REDEMPTIONE

(A. A. S., 30 ian. 1933, XXIV, 5)

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

UNIVERSIS CHRISTIFIDELIBUS PRAESENTES LITTERAS INSPECTURIS SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Propositum nuper omnibus nuntiatum indictione maximi iubilaei exsequitur.

Quod nuper, sub Iesu Christi nati sollemnia, non modo amplissimo Purpuratorum Patrum Conlegio iisque omnibus, qui faustorum ominum causa Nos convenerant, sed universo etiam catholico orbi nuntiavimus, id ad effectum deducere properamus, Annum Sanctum extra ordinem scilicet indicendo ac generale maximumque Iubilaeum, undevicesimo exeunte saeculo a peracta humani generis Redemptione.

Quonam anno Christus opus redemptionis perfecerit non plane constat.

Etenim, si ad historiae fidem in quemnam annum id incidat non omnino exploratum est, eventum tamen, vel hic potius mirabilium rerum gestarum ordo, tantae est gravitatis tantique momenti, ut silentio praetermitti non deceat. Hac igitur faustitate permoti, cogitationes convertant, parumper saltem, homines a terrenis fluxisque rebus, quibus in praesens tam acriter iactantur, ad caelestia perpetuoque mansura; et a trepidis afflictisque horum temporum condicionibus ad spem animum erigant sempiternae illius beatitatis, ad quam nos Christus Dominus vocavit, suo profuso sanguine immensisque editis omne

Opportunissima tamen est celebratio, ut homines a terrenis rebus ad caelestes cogitationes parumper convertant, ut a trepidis

condicionibus ad spem animum erigant; ut a cotidianae vitae strepitu se colligant et tam generose Amantem redament.

genus beneficiis. A cotidianae vitae strepitu se colligant ac secum « recogitent corde », per hoc praesertim saecularis anni spatium, quantopere nos Servator noster dilexerit et quam ardenti studio nos a peccati servitute liberaverit; ita profecto auctiore caritate fervescent et ad Amantem redamandum veluti necessitate quadam compellentur.

Seriem beneficiorum recolens, quibus etiam cultus civilis tribuendus est, S. P. memorat SS. Eucharistiam, passionem et mortem Christi, matrem Mariam sub cruce nobis datam, resurrectionem, potestatem remittendi peccata, primatum Petri et successorum, ascensionem, Spir. Sti descensum, primam triumphalem praedicationem.

Placet heic, ad omnium utilitatem, divinorum eiusmodi beneficiorum seriem vel breviter repetere, e quibus is etiam, quo fruimur, quoque gloriamur, effluxit civilis veri nominis cultus: institutam primitus in « Coena Domini » sacrosanctam Eucharistiam, ac singulis impertitam Apostolis, qui sacerdotali ordini per ea verba initiantur: « Hoc facite in meam commemorationem »; (*Luc.*, XXII, 19; I *Cor.*, XI, 24) Iesum Christum passum, cruci affixum ac pro hominum salute mortuum; Mariam Virginem, sub cruce Nati, omnium hominum matrem constitutam; ac dein admirabilem Iesu Christi resurrectionem, nostrae item resurrectionis condicionem certumque pignus; mox Apostolis ab eo tributam potestatem remittendi peccata; ac verum iurisdictionis Primatum Petro eiusque successoribus concreditum atque confirmatum; Dominicam denique Ascensionem, Spiritus Sancti Paraclyti descensum atque primam, prodigiali triumphalique modo actam, evangelicam Apostolorum praedicationem. Quidnam, dilecti filii, sanctius; quidnam saeculari celebratione dignius? Ex hisce enim mirandis rebus gestis divinisque muneribus, quibus terrena Iesu Christi vita concluditur, vita nobis emanat, quae vera vita est, ac novus universae hominum consortioni saeculorum nascitur ordo.

Inde nobis vita emanat.

Hortatio ad fervorem orationis et paenitentias.

Id igitur intento animo recolamus flagrantique caritate per piacularem annum veneremur. Ad precandi studium, ad paenitendum pro admissis cuiusque nostris excitemur, nostrae non modo sempiternae saluti precibus piaculisque prospicientes, sed totius etiam humani generis, tot erroribus devii, tot simultatibus contentionibusque discordis, tot aerumnis conflictati periculisque anxii.

Deus annum pacis et debitae libertatis Ecclesiae reducat.

Ac faxit utinam miserentissimus Deus ut sacer, quem proxime auspicaturi sumus, annus pacem animis, debitam ubique libertatem Ecclesiae, atque populis omnibus concordiam veramque prosperitatem reducat.

Episcopi gregem hortentur ad sacramentum Paenitentiae et frequentissimum usum SS. Eu-

Quoniam vero lubilaris haec celebratio adventantibus Paschatis sollemnibus incipietur, atque pariter paschali perficietur tempore, opportunum ducimus Episcopos adhortari gregem cuiusque suum, ut per Paenitentiae sacramentum rite expientur omnes et Eucharistico pabulo non modo per id temporis, ad

Ecclesiae praescriptioni obtemperandum, sed quam saepissime etiam quamque piissime, per totius praesertim Anni Sancti decursum enutriantur; atque itidem ut feria sexta maioris hebdomadis Dominicam Passionem intensiore studio meditentur. Peculiaris hoc esto, neque levioris momenti, celebritatis huius fructus.

charistiae, et Feria VI in Parasceve Dom. Passionem intensius meditentur.

Quandoquidem autem plena commissorum venia, quam modo largituri sumus, Romae dumtaxat, per piacularem hunc annum, lucri fieri potest, cupimus vehementer ut frequentissimi, dilecti filii, piae peregrinationis causa, ad Urbem confluatis; ad Urbem dicimus, quae catholicae fidei veluti centrum est et Iesu Christi Vicarii domicilium ac sedes. Heic enim perinsignes venerari licet Dominicae Passionis reliquias, quas nemo unus poterit e christifidelibus suspicere, qui divina caritate non ferveat, et ad perfectiorem vitam excitari sese non sentiat. Heic illa, ut nostis, asservatur mensa, in qua memoriae traditum est Iesum Christum D. N. Angelorum Panem consecrasse ac mirabundis discipulis semet ipsum, Eucharisticis velis delitescentem, impertiisse. Heic denique, dilecti filii, communem habetis Patrem, qui vos amanti voluntate praestolatur, vobisque exoptat, vestris rebus atque inceptis bene a Deo precari.

Frequentissimi accurrant Romae, cuius allicientes rationes Pontifex memorat.

Rei praeterea consentaneum est ut ad sacra etiam Palaestinae loca piae habeantur frequentioresque peregrinationes per huius anni decursum; ibique fideles sanctissimarum rerum, quae commemorantur, theatrum summa religione invisant atque venerentur.

Suadentur frequentiores peregrinationes in Terram Sanctam.

Optamus item ut iis locis, ubi insignes asservantur Dominicae Passionis reliquiae, Iubilaei anno vertente, peculiari eaedem pietate recolantur.

Peculiater recolantur Dominicae Passionis reliquiae.

Itaque uberum horum fructuum spe laeti, quos iam nunc mente praecipimus ac misericordiarum Patri supplici prece commendamus, de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium assensu, generale extra ordinem Iubilaeum in hac sacra Urbe a die secunda mensis Aprilis huius anni inchoandum et ad diem secundam mensis item Aprilis anno millesimo nongentesimo tricesimo quarto finiendum — idque ad normam can. 923 — auctoritate omnipotentis Dei, beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra, ad ipsius Dei gloriam, ad animarum salutem et catholicae Ecclesiae incrementum, indicimus per has Litteras et promulgamus, ac pro indicto promulgatoque haberi volumus.

Formalis indictio iubilaei a 2 april. 1933 ad 2 april. 1934.

Hoc igitur Anni Sancti decursu, omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui, rite per Sacramentum Paenitentiae expiati

Visitationes Basilicarum praescriptae.

et sacra Synaxi refecti, vel eodem die, vel diversis diebus, quovis ordine servato, Basilicas S. Ioannis ad Lateranum, Vaticanam S. Petri, S. Pauli in via Ostiensi et S. Mariae Maioris in Exquiliis ter pie inviserint et ad mentem Nostram oraverint, plenissimam totius poenae, quam pro peccatis luere debent, indulgentiam misericorditer in Domino concedimus atque impertimus, obtenta prius ab iisdem admissorum cuiusque suorum remissione ac venia. Quam ad rem animadvertendum est posse fideles, vixdum e Basilica post actam sacram visitationem egressos, iterum atque illico in eam ingredi ad alteram ac tertiam perficiendam visitationem. Quod quidem eo consilio statuimus, ut res tota expeditius fieri queat.

Quaenam autem, dilecti filii, sit in universum mens Romanorum Pontificum profecto non ignoratis; quaenam sit, peculiari hac in causa, mens Nostra diserte satis iam supra proposuimus.

Iubilaris indulgentia quoties fiunt opera cum sibi tum vita functis lucri fit.

Decernimus praeterea iubilarem hanc indulgentiam a christifidelibus cum sibi, tum vita functis toties lucri fieri posse, quoties imperata opera rite perficiantur.

Preces in visitatione fundendae.

Ut vero quae in sacris hisce visitationibus effundentur preces ad divinae Redemptionis ac praesertim ad Dominicae Passionis memoriam fidelium animos studiosius referant atque excitent, haec, quae sequuntur, statuimus atque iubemus: praeter eas supplicationes, quae ultro pro singulorum pietate ad Deum admovebuntur, quinquies ante Augusti Sacramenti aram preces « Pater, Ave et Gloria » recitari debent ac semel insuper ad mentem Nostram; omnes dein ante Iesu Christi crucifixi imaginem ter fidei professionem « Credo » pronuntient, ac semel precatiunculam « Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi, etc. » vel aliam id genus; mox Deiparae Virgini se sistant atque septies inibi, dolores eius recolendo, salutationem Angelicam « Ave Maria » recitent, preculam semel adiiciendo: « Sancta Mater, istud agas, etc. » vel aliam eiusmodi; denique ad Confessionis aram conveniant, atque iterum catholicam fidem usitata formula, quam supra memoravimus, devote profiteantur. Quae autem heic servanda ediximus ut plenissima lubilaei venia lucri fiat, pro iis qui aut morbo aliaque legitima causa in Urbe vel ipso in itinere prohibiti aut morte interim praerepti, praefinitum visitationum numerum nondum compleverint neve inchoaverint quidem, ita temperamus, ut iidem, a culpis rite absoluti ac sacra Communione refecti, indulgentiae remissionisque iubilaris participes perinde sint, ac si quattuor, quas memoravimus, Basilicas reapse invisissent.

Temperantur impeditis condiciones.

Commendatur visitatio sacelli reliquiarum in Basilica Sessoriana, et devotio Scalarum S.tarum.

Restat ut vos, dilecti filii, cum Romae incolas, tum advenas enixe in Domino adhortemur ut, opportunam hanc occasionem nacti, celeberrimum, quod in Sessoriana S. Crucis Basilica exstat, Sanctarum Reliquiarum sacellum summa religione invisatis, utque Scalas Sanctas, de more precando meditandoque, ascendatis.

Clausula.

Ut autem Litterae hae Nostrae ad fidelium omnium notitiam facilius perveniant, volumus earum exemplis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli igitur hominum liceat hanc paginam Nostrae indictionis, promulgationis, concessionis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die sexto mensis Ianuarii, in festo Epiphaniae Domini, anno millesimo nongentesimo tricesimo tertio, Pontificatus Nostri undecimo.

E. Card. PACELLI *a Secretis Status.*

Fr. A. Card. FRUEHWIRTH *Cancellarius S. R. E.*

P. Card. GASPARRI *S. R. E. Camerarius.*

Ioseph Wilpert, *Decanus Collegii Protonot. Apostolicorum.*

Dominicus Jorio, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco ✠ Plumbi.

Reg. in Canc. Ap., vol. XLVII, n. 1. — M. Riggi.

Memoratur facta divulgatio.

Anno a Nativitate Domini millesimo nongentesimo trigesimo tertio, die decimo quinto mensis Januarii, Dominica secunda post Epiphaniam, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri Pii divina Providentia Papae XI anno undecimo, praesentes Litteras apostolicas in atrio sacrosanctae Basilicae Vaticanae, adstante populo, legi et sollemniter publicavi

EGO JOSEPH WILPERT

Decanus Protonot. Apostol. de numero Participantium.

ANNOTATIONES.

I. *Iubilaei indictio.* Iubilaeum quod S. Pontifex merito extraordinarie ordinarium appellavit (1), die 15 ianuarii, sollemni quae iam a Gregorio XIII invaluit ratione indixit. I. e. Praelatorum frequenti comitatu SS. D. se contulit in aulam a throno dictam « sala del Trono », ibique e manibus Regentis Cancellariae Ap.cae recepit documentum originale quo iubilaeum undevicesimi saeculi a Redemptione generis humani indicebatur, atque ab eodem rogatus est ut illud promulgandi veniam daret. Tunc Pontifex, petitioni annuens, Bullam Decano Protonotariorum Ap.corum (Ill. D. Wilpert) tradidit promulgandam. Subinde praelati ordinatim, sollemni pompa se contulerunt in Basilicam, in cuius vestibulo Ill. D. Wilpert Bullam e pulpito legit. Post lectam Bullam, campanae Basilicae, quae iam antequam Bulla promulgaretur festive sonuerant, iterum per quadrantem festivum sonitum ediderunt. Tunc ab Ill. D. Wilpert Magister caeremoniarum Pontificiarum, Ill. D. Dante, exemplar Bullae accepit quam, statim atque illuc pervenit legit in porticu Basilicae S. Pauli *extra muros.* Eandem post meridiem, hora 15, legit in porticu Archibasilicae Lateranensis, et h. 16 in porticu Basilicae S. Mariae Maioris.

II. *Quaedam historica.* Cum anno 1924, 29 maii, Bulla *Infinita Dei* iubilaeum indixisset, cui mox varia complementa Bullarum Pontif. et Monitorum S. Paenitentiariae accesserunt, dedimus cum in *Periodica nostra*, XIII, 1924 (101)-(145) tum in separato libello

(1) « Ecco — diceva Sua Santità — la Bolla di indizione di questo Giubileo veramente straordinario fra gli straordinari; anzi voleva dire, straordinari fra gli ordinari ». Ex *Osservatore Rom.*, 16-17 ian. 1933.

Tractatus de iubilaeo, praeter ipsa monumenta (*Per.,* XIII, 97-157) commentarium in quo significationem, originem et historicas vices iubilaei memoravimus. Quare hoc loco mere non nulla supplebimus.

1. - Primum iubilaeum promulgatum est die 22 feb. 1300 a Bonifatio VIII Bulla *Antiquorum habet.* Bulla ista, postquam confirmavit indulgentias quae visitantibus Basilicam S. Petri concessae referebantur, « non solum plenam et largiorem immo plenissimam omnium suorum ... veniam peccatorum » (1) concessit ab iis lucrandam qui, a proxime celebrata nativitate Domini ad proxime futuram, peracta confessione et communione, Basilicas S. Petri et S. Pauli, si Romani, saltem trigesies, diebus continuis vel interpolatis semel in die visitaverint. Vere Peregrinis et Forensibus (2) satis erat quindecies easdem visitationes peragere.

Rationem suae largitionis dedit Bonifatius VIII, praeter spiritualem fidelium refectionem, incrementum honoris quod inde apostolis Petro et Paulo obtingeret.

De qua Bulla haec notasse iuvabit: *a*) Illa sola, ex Bullis iubilaeorum, exstat incisa in tabula marmorea quae in vestibulo Basilicae S. Petri parietis in eius parte superiore est affixa. — *b*) Mirum videri potest Bullam solummodo 22 febr. promulgatam esse, cum iam a 25 decembris anterioris anni indulgentiae decurrerent. Ut veri simile putamus, vulgata eius notitia data est antequam authentice promulgaretur. Selecta autem erat dies, quia quae nunc titulum habet « cathedra Antiochena » tunc ab antiquiore tempore erat celebratio fundati primatus Pontificii traditis S. Petro clavibus. Postea promulgatio fieri consuevit in praecedente festo Ascensionis Domini. — *c*) Bulla ista non

(1) Intellege poenas sive Deo sive Ecclesiae debitas pro peccatis quod ad culpam remissis.

(2) *Forenses* hic intelliguntur qui a foris veniunt.

eo solum anno saeculari indulgentiam concedebat, sed eam « in quolibet anno centesimo secuturo » largiebatur. — *d*) In Bulla nomen iubilaei non usurpatur. — *e*) Neque ulla mentio indulgentiam defunctis applicabilem efficit, quia usus istius applicationis nondum invaluerat. — *f*) Sub *finem* iubilaei, Papa nuntiari voluit ut peregrini in Urbe praesentes indulgentia fruerentur, quamvis requisitas visitationes non complete fecissent; quod valuit quoque de iis qui legitime impediti coeptum iter Romanum perficere non potuissent.

2. - Clemens VI Bulla *Unigenitus,* 27 ian. 1343, iubilaeum pro anno 1350 concessit, praecipiens ut in posterum 50^0 quoque anno celebraretur. Praeter basilicas Apostolorum, etiam Lateranensis visitanda fuit. Quae bulla notabilis est quia claram thesauri Ecclesiae explicationem continet.

3. - Urbanus vero VI anno 1389, die 11 aprilis statuit ut in posterum 33^0 quoque anno iubilaeum celebraretur, motus, ut ex Gobelino Persona refert Raynaldus (*Annal. ecc.* ad annum 1389 n. 1. 2. t. VII, p. 512), cum consideratione usque brevioris spatii quo vita humana concluditur, tum hac altera « quod totum tempus vitae D. N. I. C. in humanitate, postquam natus est de Virgine, per cuius mortem thesaurus Ecc.ae, unde indulgentiae peccatorum quaecumque emanant, cumulatus est (1), triginta trium annorum curriculo complebatur ».

4. - Martinus V iubilaeum anno 1423 indixit.

5. - Iam anno 1450 Nicolaus V legem quinquagesimae celebrationis instauravit.

6. - Celebratio 25^0 quoque anno facta est a Paulo II anno 1470.

---

(1) Observes explicationem indulgentiarum quas S. Thomas proposuit. Sed expresse non memorat nisi Iesu Christi merita. (Vide de hoc conceptu Paulus, II, 201). Dicunt (*Oss. Rom.*, 20 ian. 1933) iam Greg. XIII, considerata vitae brevitate, eius fuisse consilii ut in quindecim annos celebraretur.

7. - Aperitio portae sanctae initium habet ab anno 1500, regnante Alexandro VI ».

8. - Suspensio indulgentiarum et facultatum ab anno 1473, Bulla *Quemadmodum,* Sixti IV repetenda est.

9. - Sicut in *Per.*, XIII (104) scripsimus, « si doctissimus canonista cui nomen Bonifatii VIII fuit iubilaei institutor, ordinator eius exstitit alter summus iuris canonici peritus, i. e. Benedictus XIV ».

10. - Observandum istud etiam videtur, in primis Bullis censurarum, poenarum et reservationem relaxationem fuisse *directe,* sine necessaria confessariorum opera concessam. Cfr NICOLAUS PAULUS, *Geschichte des Ablasses im Mittelalter,* II, XVI, v. g. p. 108 ss.

Bonifatius etiam declaravit nullam paenitentiam esse a confessariis operibus iubilaeo lucrando praescriptis pro praeteritis culpis esse addendam, « ne indulgentia frustraretur ». Cfr PAULUS, op. cit., p. 110, nota 2.

11. - N. PAULUS, op. cit. II, p. 107 verba Bullae *Antiquorum*, quibus S. Pontifex « non solum plenam et largiorem immo *plenissimam* omnium suorum concedimus veniam peccatorum » intellegenda dicit de quadam rhetorica magnificentia verborum. Etenim ultra plenam plenior haberi nequit.

12. - Neque in Bulla *Antiquorum,* neque in Bulla *Unigenitus* vox *iubilaei* adhibetur ad designandam indulgentiam, quam Bullae posteriores usurpant.

13. - Bullae *Antiquorum* et *Unigenitus* reperiuntur in *Corp. iur. can.* Extrav. communes, L. V, t. IX, c. 1 et 2.

III. *Duo Iubilaeorum genera.* Praeter iubilaea quae statis temporibus recurrunt, atque exinde appellantur *ordinaria*, SS. Pontifices pluries, moti quadam necessitate vel etiam speciali laetandi causa, concesserunt iubilaea quae vocata sunt *extraordinaria.*

Ita Sixtus V, Bulla *Virium nostrarum,* 25 maii 1585, ad imploranda auxilia gratiae in administratione totius Ecclesiae iubilaeum indixit extraordinarium. Iam tunc his notis specialibus ab ordinario iubilaeo distinguebatur. Per aliquot tantum hebdomadas obtineri poterat. Opera praescripta, praeter confessionem et sanctam communionem, definita die faciendam, erant tria ieiunia, vel si ante Pentecosten obtinendum erat (quia tunc temporis non indicuntur ieiunia) eleemosynae in tribus diebus fundendae. Speciales facultates participantur a confessariis, qui (contra ac praescripserat Bonifatius VIII) salutarem paenitentiam iniungere debebant. Cfr Bull. Rom. Taurin. VIII, 576.

IV. *De praesenti iubilaeo.* 1. - Constitutio *Quod nuper,* qua iubilaeus annus indicitur, more solito (1), non ut aliae Bullae ad Patriarchas etc. sed immediate ad Christifideles qui eas inspecturi sunt dirigitur.

2. - Ad iubilaeum inducendum SS. D. motus est immensitate beneficii Redemptionis in cruce peractae quod silentio praeterire non decuisset. Atque in hoc beneficio quot alia contineantur ipse enucleat, sperans fore ut a trepidis afflictisque temporis condicionibus avocati, fideles ad spem beatitudinis se erigant et Amantem redament Redemptorem.

Post hortationem orationis et paenitentiae et optatum annum pacis, SS. D. Episcopos invitat ut fideles moveant ad frequentissimum et piissimum accessum ad sacramenta, et ad magis intensum studium et meditationem Passionis Domini Feria VI in Parasceve. In istis sit peculiaris celebritatis huius fructus. Subinde declarat se vehementer cupere ut frequentissimi accur-

(1) Cfr v. g. Bullam *Infinita Dei,* qua 29 maii 1924 Iubilaeum anni sancti indicitur, vel Bullam *Servatoris,* 25 dec. 1925, qua idem Iubilaeum ad universum orbem extenditur (*Per.* XIII, 97: XIV, 148). Iubilaeum in memoriam pacis Constantinianae anno 1913 a Pio Pp. X indictum est per Breve *Magni faustique,* quod simili modo missum est « Christi Fidelibus has Nostras litteras inspecturis » (*Per.,* VII, 107).

rant Romam, cuius allicientes rationes describit, ut peregrinationes in Terram Sanctam fiant hoc anno frequentiores, ut insignes Passionis reliquiae maiore pietate recolantur.

3. - Perveniens iam ad formalem indictionem, iubilaei anni largitionem suam et condiciones quibus subordinatur SS. D. explicite tradit.

4. - Demum ante clausulam, devotissimam visitationem sacelli SS. Reliquiarum in Basilica S. Crucis et « Scalae Sanctae » usum magnopere commendat.

V. *De hoc iubilaeo eiusque condicionibus potissima notanda.* 1. - Ut ex supra allegatis exemplis constat, SS. D. N. Pius Pp. XI, omnium primus, ipsam Redemptionen iubilaeo illustrare cogitavit. Namque ipse Urbanus VI, qui iubilaeum ordinarium in trigesimum tertium quoque annum indixit, omnes annos vitae mortalis Christi non autem consummationem in cruce recolere proposuerat.

Tanta tamen est huius celebrationis opportunitas, tam intima huius conexio cum crescente devotione ad SS. Cor Iesu, cuius initia ad vulnus quo cor Ipsius in cruce apertum est referre possumus, ut, procul dubio, futuri Pontifices exemplum SS. D. imitaturi sint, et annus trigesimus tertius cuiusque saeculi futurus sit annus sanctus.

2. - Primus etiam, quod sciamus, SS. D. voluit extra ordinem indicere iubilaeum *ordinarium*, ita ut condicionibus et privilegiis similis sit iubilaei quod post stata intervalla recurrit. Iubilaeus iste est ordine vicesimus tertius.

3. - Quare *porta sancta* (quod regnante Alexandro VI, anno 1500 fieri coeptum est) aperietur et annus ab ipso SS. Domino appellatur *Sanctus*.

Immo, quod in initio memoravimus, S. Pontifex

intendit ut praesens iubilaeum sit maius iubilaeis ordinariis, et maximum ex iis (1).

Plena vis istius declarationis nos adhuc fugit. Exspectandae enim sunt positivae iubilaei ordinationes. Interea iam summum praedicatur propter immensitatem beneficiorum quae recoluntur; et iam amplitudine concessionis anteriores largitiones excedit. Etenim toties quoties, cum sibi tum defunctis, acquiri potest, dum iubilaeum Constantinianae pacis, semel tantum sive sibi sive defunctis; iubilaeum anni 1925 semel sibi, toties quoties defunctis acquiri poterat. Praescribebantur in *distinctis* diebus viginti visitationes Basilicarum, dum nunc tres praescriptae eadem die et occasione fieri possunt.

4. - Quod autem fideles arcessat Romam ut ad centrum unitatis et sedem Vicarii Christi, hoc minime novum est. Iam a prima iubilaei indictione, sollicitudo de colendo Primatu Pontificis manifesta fit. Quae sollicitudo ipsa necessitate servandi unitatem Ecclesiae imperatur.

5. - Observes indictionem fieri « de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium assensu », et Cardinales, qui, quando directe, scripto vel ore, eos Pontifex appellat consueverunt nominari Filii, vocari Fratres. Eodem modo in Bulla iubilaei 1925 memoratur eorum assensus; dum in Brevi iubilaei pacis Constantinianae, ponitur: *auditis* VV. Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Inquisitoribus Generalibus.

Dum antea etiam in Bulla *Infinita Dei,* de iubilaeo 1925, Basilicae SS. Apostolorum primo loco nominabantur, qui ordo adhuc servatus est in praesentis iubilaei indictione, ecclesiae visitandae iam ordine dignitatis numerantur, ita ut prius Basilica Lateranensis numeretur. In brevi de pace Constantiniana tres tantum

(1) « Il Papa intende che questo Giubileo sia straordinario nel senso di essere il maggiore dei Giubilei ordinari, di essere anzi il massimo fra questi ». *Osserv. Rom.,* 16-17 ian. 1933.

Basilicae visitandae fuere et primo loco nominatur Lateranensis. Sed in Bullis *Infinita Dei,* 29 maii 1924, et *Prosperante ad exitum,* 11 maii 1899, honor primae mentionis est Basilicis Apostolorum servatus.

6. - Iam privilegium huic iubilaei proprium nuntiatur, quo tres faciendae visitationes una eademque die et occasione institui possunt, ita ut ipsa Bulla hunc expeditum modum expresse permittat his verbis: « posse fideles, vixdum e Basilica post actam sacram visitationem egressos, iterum atque illico in eam ingredi ad alteram ac tertiam perficiendam visitationem ».

In superiore iubilaeo anni 1925 declaratum est si ingressus fuerit impeditus, « aditus ad basilicarum fores et gradus » pro sufficienti visitatione haberi. Quare qui tum ter sic accesserat et recesserat ter censebatur basilicam visitasse.

Verum estne perinde dicendum de hoc iubilaeo? Cum non solum Basilica, sed varia definita Basilicarum loca: ara SS. Sacramenti, Iesu Crucifixi imago, Deipara Virgo, ara Confessionis, adeunda praecipiantur ut designatae preces ibi fundantur, id potius negandum est, nisi positiva temperatio id permiserit.

7. - Contra atque hactenus fiebat, preces in singulis visitationibus fundendae accurate definiuntur. Observes *Credo* de quo mentio hic fit esse *Symbolum Apostolorum*, quod solum passim a fidelibus recitatur.

8. - Denique qui morbo vel alia legitima causa vel in ipso itinere prohibiti aut morte interim praerepti fuerint, praefinitum numerum visitationum nondum compleverint, neve inchoaverint quidem, mediante Confessione ac S. Communione participes fiunt indulgentiae remissionisque iubilaris perinde ac si quattuor Basilicas re vera inviserint.

Quod temperamentum ab ipsa Sanctitate Sua sine confessarii actione concessum est.

A. VERMEERSCH S. I.

2. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Bulla « Nullo non tempore » 30 ian. 1933

INDULGENTIAE ET FACULTATES SUSPENDUNTUR VERTENTE ANNO GENERALIS MAXIMIQUE IUBILAEI A DIE II MENSIS APRILIS A. MDCCCCXXXIII AD DIEM USQUE II MENSIS A. MDCCCCXXXIV.

(A. A. S., 30 ian. 1933, XXV, 10).

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIA

Usum memorat quem, etiam in praesentibus angustiis oeconomicis servatum iri sperat, convolandi Romam per Anni Sancti decursum.

Nullo non tempore, per Anni Sancti decursum, christifidelibus cordi fuit, iis etiam qui ab Apostolica Sede longo terrae marisque intervallo disiunguntur, ad Almam hanc Urbem singillatim catervatim convolare, non modo ut lubilaei Magni beneficiis fruerentur, sed etiam ut principem catholici nominis auctoritatem praesentes observarent atque venerarentur. Quod quidem, quamvis in angustias redactae, nostra hac aetate, rei oeconomicae condiciones ab itineribus suscipiendis homines prohibere videantur, tamen per proximam etiam piacularem celebrationem effectum iri confidimus, non sine maxima animorum utilitate.

Utilitas peregrinationum istarum ad romani spiritus fervorem fovendum et fidem confirmandam.

Si enim quotquot haec de causa huc convenerint, non communi viatorum more, sed fide duce ac pietate comite, Apostolorum Principis sepulcrum inviserint, si martyrum hypogea, si tot avitae religionis monumenta adierint, procul dubio fieri non potest quin ii, Romam veluti patriam alteram cuiusque suam ingressi, ex eadem ita bene animati conformatique egrediantur, ut magis magisque romano spiritu ferveant, atque catholicam fidem confirmatam habeant christianamque caritatem adauctam.

Ut pateat Urbem esse veluti fontem spiritualium munerum, et ut quam plurimi illuc

Ut igitur omnibus vel luculentius pateat Almam hanc Urbem, ob Iesu Christi Vicarii sedem, integrum esse inviolatumque spiritualium munerum veluti fontem ac caput a Deo constitutum, utque quam plurimi peregre ed eam, copiosa pietatis expiatio-

nisque adiumenta impetraturi, confluant, duod decessor Noster Sixtus IV, anno MCCCCLXXIII, decrevit — promulgata scilicet Iubilaei indulgentia, iam ceteras omnes paenarum relaxationes, aut concessas aut concedendas, itemque facultates cuivis factas, extra Urbem, Apostolicae Sedis nomine atque auctoritate dispensandi absolvendique in utroque foro, conquiescere per annum piacularem atque suspendi — id ipsum Nos per has Litteras statuere censemus, prudenti tamen temperatione modoque adhibito, quemadmodum infra enucleaturi sumus.

confluant, Sixtum IV imitatus, indulgentias alias et facultates extra Urbem concessas temperate vult suspendi.

Itaque auctoritate Nostra apostolica, usitatas indulgentias, ut decessores Nostri simili in causa decreverunt, sic Nosmet per totum Anni Sancti decursum ubique — in Ecclesia etiam Orientali — intermitti suspendique decernimus; itemque facultates Nostro nomine extra Urbem exercendas intermittimus atque suspendimus, iis tamen in utraque re exceptis, quas mox enumeraturi sumus.

Ubique, etiam in Ecclesia Orientali, indulgentias, per totum Annum Sanctum suspendit.

Etenim ex indulgentiis, quae pro vivis concessae sunt, has, quae sequuntur, integras atque immutatas permanere volumus:

Indulgentiae exceptae.

I. Indulgentias *in articulo mortis* lucrandas.

In art. mortis lucrandae;

II. Eam, qua frui omnibus licet, quotquot, ad sacri aeris pulsum, precationem « Angelus Domini », vel, pro temporis ratione « Regina caeli », vel, si neutrum fieri potest, quinquies *Salutationem Angelicam* « Ave Maria » recitaverint.

Angelus Domini.

III. Indulgentias iis tributas qui pie templa inviserint, ubi Sacramentum augustum *quadraginta horarum* spatio adorandum proponitur.

Adoratio XL Hor.

IV. Indulgentias, quas eos lucrari decretum est, qui Sacramentum augustum, cum ad aegrotos defertur, comitentur, aut facem vel cereum per alios ferendum ea occasione mittant.

Comitantes SS. Sacr. ad aegrotos, vel cereum mittentes;

V. Indulgentiam, toties quoties lucrandam, iis concessam, qui sacellum Portiunculae in templo S. Mariae Angelorum, prope Assisium, pietatis causa, adierint.

Indulg. sacelli Portiunculae;

VI. Indulgentias in sacris Paelestinae locis iam vigentes, in eorum quidem favorem qui per iubilarem annum eadem sacra loca pie inviserint.

Palaestinenses.

Idque eo consilio libenter concedimus, ut christifideles, per saecularem hanc celebrationem, uberius spiritualibus fructibus iis in locis fruantur, quae veluti theatrum fuere divinae Redemptionis.

Cur excipiat indulgentias visitantibus Terram Sanctam concessas,

et indulgentiam a se recens concessam, semel lucrandam visitantibus Lapurdense specum.

VII. Indulgentiam plenariam a Nobis recens concessam, quam semel dumtaxat is lucrari potest, qui, quo die maluerit, Lapurdensem specum pie inviserit, a die scilicet XI mensis Februarii a. MDCCCCXXXIII ad integrum diem XI mensis Februarii a. MDCCCCXXXIV; quandoquidem per hoc temporis intervallum Immaculatae Virginis manifestationis eventum celebratur, ante annos LXXV inibi prodigialiter actum. -- Cum enim hoc anno undevicesimum exeat saeculum ab humani generis Redemptione, id etiam valde opportunum est, ut christifideles Deiparam Virginem, omnium hominum Matrem a moriente Iesu Christo constitutam, recolant atque experiantur.

Indulg. in usu Pontif. etc. concedi solitae.

VIII. Indulgentias, quas S. R. E. Cardinales, Apostolicae Sedis Nuntii, itemque Archiepiscopi, Episcopi, Abbates vel Praelati nullius, Vicarii et Praefecti Apostolici in usu Pontificalium aut impertienda benedictione aliave forma usitata largiri solent.

Ceterae indulgentiae vivis non proderunt, sed morientibus applicari poterunt.

Ceteras omnes indulgentias plenarias et partiales, aut ab Apostolica Sede directe concessas, aut ab aliis quoquo pacto concessas concedendasque ex facultate iure ipso vel peculiari indulto sibi facta, decernimus, per totum Annum Sanctum, nusquam terrarum vivis prodesse, sed tantummodo vita functis. Praesentium interea auctoritate Litterarum praecipimus ac mandamus, ut, praeter indulgentias lubilaei easque, quas superius singillatim excepimus, nullae praeterea aliae uspiam, sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae aliisque poenis arbitrio Ordinariorum infligendis, quomodocumque publicentur.

Vetitum publicandi alias indulgentias.

Facultates in casus reservatos, in vota, in irregularitates et impedimenta, extra Urbem suspenduntur.

Ad illud idem propositum, ad quod indulgentiarum intermissio spectat, facultates et indulta absolvendi etiam a casibus Nobis et Apostolicae Sedi reservatis, relaxandi censuras, dispensandi a votis eademque commutandi, dispensandi praeterea ab irregularitatibus et impedimentis, cuilibet quoquo modo concessa, extra Urbem eiusque suburbium, per lubilaei Maximi decursum, suspendimus nullique suffragari volumus.

Facultates exceptae.

Haec tamen per exceptionem decernimus:

Palaestinenses, Lapurdenses, quorumnam confessariorum.

I. Iisdem de causis, quae Nobis suaserunt ut nonnullas indulgentias integras permanere statueremus (cfr supra nn. VI, VII), decernimus immutatas pariter vigere facultates, Palaestinae Lapurdique confessariis recens concessas; Palaestinae dicimus confessariis ab Apostolico Delegato vel per se vel per Ordinarios deputatis, itemque Lapurdensibus confessariis ab Ordinario Tarbien. et Lapurden. deputatis.

Idque in eorum favorem concedimus, qui sacra Palaestinae loca vel Massabiellensem specum pie inviserint; ita tamen, ut quisquis, Anno Sancto vertente, sive Romae, sive in Palaestina, sive denique Lapurdi censurarum absolutionem obtinuerit, non possit iterum eodem beneficio frui, nisi ad tramitem iuris.

Clausula de unico usu absol. censurarum.

II. Ratae sint facultates omnes per Codicem iuris canonici quovis modo concessae.

Ratae facultates Codicis;

III. Ratae item firmaeque sunto facultates pro foro externo ab Apostolica Sede tum Nuntiis, Internuntiis et Delegatis Apostolicis factae, tum Ordinariis locorum, Antistitibus religiosorum Ordinum atque Superioribus Religiosarum Congregationum maioribus quoquo modo in subditos suos tributae.

Legatorum Ap.; Ordinariorum locorum, Superiorum maiorum in subditos.

IV. Quas denique facultates S. Paenitentiaria Nostra impertire solet Ordinariis aut confessariis pro foro interno, easdem ne extra Urbem quidem suspendimus, sed ita ut erga eos dumtaxat paenitentes exerceantur, qui, quo tempore confessionem peragunt, iudicio Ordinarii aut confessarii nequeant sine gravi incommodo Urbem adire.

Facultas S. Paenit. erga eos qui sine gravi incommodo Urbem adire nequeunt cum confitentur.

Quaecumque autem his Litteris decreta continentur, ea omnia stabilia, rata, valida esse volumus et iubemus, contrariis non obstantibus quibuslibet.

Clausulae.

Earum vero exemplis aut excerptis, etiam impressis, notarii publici cuiusvis manu subscriptis ac sigillo alicuius in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eandem volumus haberi fidem, quae haberetur praesentibus si essent exhibitae vel ostensae.

Nulli igitur liceat hanc paginam Nostrae suspensionis, declariationis, voluntatis infrigere vel ei, ausu temerario, contra ire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die tricesima mensis Ianuarii, anno Domini millesimo nongentesimo tricesimo tertio, Pontificatus Nostri undecimo.

Dies (30 ian. 1933).

Fr. ANDREAS Card. FRÜHWIRTH
Cancellarius S. R. E.

LAURENTIUS Card. LAURI
Paenitentiarius Maior.

ALFONSUS CARINCI, *Protonotarius Apostolicus.*
DOMINICUS SPOLVERINI, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco ✠ Plumbi

3. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Bulla « Indicto » 30 ian. 1933

FACULTATES MAXIMI IUBILAEI

(A. A. S., 30 ian. 1933, XXIV, 14)

Paenitentiariis aliisque in Urbe confessariis extraordinariae conceduntur facultates anno vertente generalis maximique iubilaei a die II *mensis aprilis a.* MCMXXXIII *ad diem usque* II *mensis aprilis a.* MCMXXXIV.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Rationes cur extraordinariae facultates concedantur.

Indicto a Nobis Sancto extra ordinem Anno ac generali maximoque lubilaeo ad saecularia celebranda humani generis Redemptionis sollemnia — quod non sine Numinis instinctu contigisse putamus — cupimus vehementer ut Almae huius Urbis populus iique omnes, qui romanum iter pia hac de causa susceperint, nihil omnino ex iis rebus rationibusque desiderent, quae ad eluendas conscientiae labes Deique gratiam redintegrandam pertineant.

Quapropter ut ii praesertim, quorum animi, vitiorum laqueis impliciti, graviore morbo languescunt, ad salutem adipiscendam et ad christianos spiritus refovendos facilius alliciantur atque revocentur, opportunum ducimus, ex more institutoque Decessorum Nostrorum, per piacularem hunc annum, confessariorum in Urbe amplificare atque augere muneris potestatem.

Itaque motu proprio, certa scientia ac de apostolicae plenitudine potestatis, ea quae sequuntur de confessariis in Urbe et suburbio, anno lubilaei vertente, deputandis, deque extraordinaria potestate iisdem attribuenda, praescribimus ac statuimus.

Novi a Card. Maiore Paenitentiario etiam in Basilica S. Pauli et aliis

Dilecto filio Nostro Cardinali Paenitentiario Maiori committimus ac demandamus, ut, praeter eos, qui nunc sunt, trium Basilicarum Lateranensis, Vaticanae et Liberianae paenitentiarios minores ordinarios atque extraordinarios, pro Basilica

ecclesiis deputandi et abundanter multiplicandi paenitentiarii.

etiam S. Pauli, via Ostiensi, ad totum Annum Sanctum similes paenitentiarios designet, praetereaque alios, tam in memoratis quatuor Basilicis, quam in reliquis quoque sive saecularium sive regularium ac praesertim in variarum nationum per Urbem ecclesiis, novos similiter paenitentiarios deputet et abunde multiplicet.

Paenitentiariis facultas fit absolvendi a quibusvis censuris etiam ab homine (sed tunc pro foro tantum interno) latis.

Quibus paenitentiariis minoribus, sive ordinariis sive extraordinariis, sive iam exsistentibus sive a dilecto filio Nostro Cardinali Paenitentiario Maiore, ut supra, deligendis, concedimus, ut per Annum Sanctum possint, pro foro conscientiae in actu sacramentalis confessionis et per se ipsi tantum, absolvere quoslibet paenitentes non solum a quibusvis censuris et peccatis Romano Pontifici aut Ordinario a iure reservatis, sed etiam a censura ab homine lata. Huius tamen censurae absolutio in foro externo non suffragabitur.

Normae servandae:

At hisce amplissimis facultatibus non utantur nisi normis exceptionibusque servatis, quae sequuntur:

I. Cum irretitis censura personaliter Rom. Pontifici vel specialissime S. Sedi reservata, vel absolventibus fautores Ac. franc.

I. Ne absolvant, nisi in adiunctis atque ad praescriptum can. 2254 Codicis iuris canonici, eos, qui irretiti sint aliqua censura vel Romano Pontifici personaliter, vel specialissimo modo Apostolicae Sedi reservata. Ne absolvant pariter, nisi in adiunctis can. 900, illos, qui in casum inciderint Sanctae Sedi reservatum ad normam decreti Sacrae Paenitentiariae Apostolicae, d. XVI mensis Novembris, a. MDCCCCXXVIII (cfr *Acta Apost. Sedis,* vol. XX, pag. 398); vi cuius Decreti tamen, post etiam obtentam absolutionem, obligatio adhuc viget ad Sacram Paenitentiariam recurrendi eiusque mandatis obtemperandi.

II. Cum Ordinariis loci saecularibus qui publice *in exc. specialiter S. Sedi reservatam inciderint.*

II. Similiter ne absolvant, nisi ad praescriptum can. 2254, praelatos cleri saecularis ordinaria iurisdictione in foro externo praeditos, superioresque maiores Religionis exemptae, qui in excommunicationem speciali modo Sanctae Sedi reservatam publice inciderint.

III. Cum haereticis vel schismaticis publice dogmatizantibus; de natis in haeresi qui dubie sint baptizati.

III. Haereticos vel schismaticos, qui fuerint publice dogmatizantes, ne absolvant, nisi ii, abiuratis saltem coram ipso confessario haeresi vel schismate, scandalum, ut par est, iam reparaverint, aut promiserint sese, ut par est, efficaciter reparaturos. Ad natos in haeresi quod attinet, si dubitetur de facto vel validitate baptismi in secta collati, eiusmodi acatholici, ante absolutionem, ad dilectum filium Nostrum Cardinalem in Urbe Vicarium remittantur.

IV. Cum iis qui sectis vetitis nomen dederint.

IV. Pariter ne absolvant eos, qui sectis vetitis, massonicis aliisve id genus nomen dederint, etiamsi occulti sint, nisi, abiurata saltem coram ipso confessario secta, scandalum reparaverint et a quavis activa cooperatione vel favore suae cuiusque sectae praestando cessaverint; nisi ecclesiasticos et religiosos, quos sectae adscriptos noverint, ad can. 2336 § 2, denuntiaverint; nisi libros, manu scripta et signa, quae eandem sectam respiciant, quotiescumque adhuc retinent, absolventi tradiderint, ad S. Officium quamprimum caute transmittenda, aut saltem – idque iustis gravibusque de causis – per se ipsi destruxerint; sin minus, ipsimet sincero animo spoponderint se memoratas condiciones esse, quamprimum potuerint, adimpleturos; impositis, praeterea, pro modo culparum, gravi paenitentia salutari et frequenti sacramentali confessione.

V. Cum iis qui bona vel iura ecclesiastica sine venia acquisierint.

V. Qui bona vel iura ecclesiastica sine venia acquisiverint, ne absolvantur nisi aut iis restitutis, aut compositione quam primum ab Ordinario vel ab Apostolica Sede postulata, aut saltem promissione sincere facta eandem compositionem postulandi; nisi de locis agatur, in quibus a Sede Apostolica aliter iam provisum fuerit.

VI. Facultas de votis;

VI. Possint iidem paenitentiarii omnia et singula vota *privata*, etiam Sedi Apostolicae reservata, iurata quoque, commutare in alia pia opera, ex iusta causa. Votorum autem castitatis perfectae et perpetuae, quamvis ab origine publice emissum sit in professione religiosa tam simplici quam sollemni, subinde tamen, aliis huius professionis votis dispensatis, firmum atque integrum manserit, similiter possint, gravi de causa, in alia pia opera commutare. Nullatenus tamen ab eodem illos dispensent, qui vi Ordinis sacri ad legem caelibatus tenentur, etiamsi ad statum laicalem redacti sint. A commutandis vero votis cum praeiudicio tertii, se abstineant, nisi is, cuius interest, libenter expresseque consenserit. Votum denique non peccandi, aliave poenalia vota ne commutent, nisi in opus, quod, non minus quam votum ipsum, a peccato refrenet atque arceat.

VII. de irregularitate;

VII. Dispensare possint, in foro conscientiae et sacramentali tantum, a quavis irregularitate ex delicto prorsus occulto; item ab irregularitate, de qua in can. 985, 4°; sed ad hoc unice, ut paenitens Ordines iam susceptos sine infamiae vel scandali periculo exercere queat.

VIII. De impedimentis matrimonialibus;

VIII. Dispensare item possint, pro foro conscientiae et sacramentali tantum, ab occulto impedimento consanguinitatis in

tertio vel secundo gradu collaterali, etiam attingente primum, quod ex generatione illicita proveniat, solummodo ad matrimonium convalidandum, non ad contrahendum.

IX. De criminis impedimento;

IX. Sive autem de matrimonio contracto agatur sive de contrahendo, dispensare possint ab occulto criminis impedimento, neutro tamen machinante; iniuncta, in primo casu, privata renovatione consensus, secundum can. 1135; imposita, in utroque, salutari, gravi diuturnaque paenitentia.

X. De praescriptis visitationibus.

X. Ad visitationes quod attinet quatuor Basilicarum, paenitentiarii, pro singulis qui, iusta de causa, eas praescripta ratione perficere nequeant, facultatem habent cum concedendi dispensationem visitationis alicuius Basilicae, eam commutando — si fieri potest — in visitationem alius ecclesiae, tum etiam visitationum numerum contrahendi. Cum singulis autem, qui, morbo aliove legitimo impedimento detenti, memoratas Basilicas invisere nequeant, praescriptas visitationes in alia pia opera, quae ab ipsis impleri possint, dispensando commutent. Paenitentiarii tamen sciant, se conscientiam suam oneraturos, si inconsulto et sine iusta causa christifideles ex eiusmodi visitationibus exemerint. Quos vero recte a visitationibus dispensaverint, iis ne indulgeant, ut preces ad mentem Nostram fundendas, quae a visitatione separari quidem possunt, praetermittant; in aegrotantium tantum commodum liceat eas etiam imminuere.

XI. Manet obligatio confessionis.

XI. Ab obligatione praescriptae confessionis, quam ad adimplendam nec invalida nec annua ex praecepto confessio sufficit, ullum ne exsolvant, ne eum quidem qui materiam necessariam non habeat.

XII. Solis aegrotis incapacibus commutari potest communio. Satisfit per viaticum.

XII. Ad S. Communionem quod attinet, nefas esto eiusmodi praescriptum in alia pia opera commutare, nisi de aegrotis agatur qui ab ea suscipienda prorsus impediantur. Volumus autem, Iubilaei causa, eam sufficere, quae per modum viatici ministratur; minime vero eam, quae in Paschate peragenda praecipitur.

XIII. Quinam his facultatibus uti possint.

XIII. Hisce omnibus, quas memoravimus, facultatibus volumus uti non modo paenitentiarios, de quibus in harum Litterarum exordio diximus, sed etiam S. Paenitentiariae Praelatos: itemque eiusdem S. Paenitentiariae Officiales omnes qui sint in Urbe ad audiendas fidelium confessiones habitualiter adprobati; singulos Urbis suburbiique parochos; rectores et confessarios, a Vicariatu adprobatos, ecclesiarum nationalium,

praetereaque nonnullos confessarios pro praecipuis celebrioribusque Urbis templis designandos, quorum omnium sedi confessionali tabella affigatur in qua verba inscripta sint PAENITENTIARIUS SANCTI IUBILAEI. Praeterea ut religiosorum virorum utilitati uberius consulamus, easdem facultates tribuimus, pro Ordinibus Congregationibusque exemptis, aliquibus ex iis confessariis, quos Superiores pro subditis tantum adprobaverint ad formam can. 518 et secundum extensionem in can. 514 § 1 descriptam; Superioris quidem erit, in unaquaque domo unum alterumve in individuo deputare: qui tamen ex hac sola deputatione non poterunt facultatibus, de quibus supra, uti erga fideles domui ac Religioni extraneos.

XIV. Paenitentes quibuscum uti possint acultatibus.

XIV. Paenitentiarii, ut supra deputati, sciant posse se descriptis facultatibus uti cum omnibus fidelibus Ecclesiae tam Occidentalis quam Orientalis, qui ad confitendum apud ipsos accedant ea mente et voluntate, sincera quidem et firma, ut Iubilaei veniam lucrentur.

Quotiens?

Facultatibus tamen absolvendi a peccatis et ab ecclesiasticis censuris itemque dispensandi ab irregularitate cum eodem paenitente uti nequeant nisi semel tantum, cum ipse Iubilaei veniam primum lucretur.

Ceteras vero facultates — eam etiam visitationes contrahendi aut commutandi ad datam normam sub n. X — in favorem etiam eiusdem paenitentis semper exercere poterunt.

XV. Ubinam?

XV. Uti iisdem facultatibus poterunt etiam extra ecclesiam cui addicti sunt, si quando contingat eos alibi confessiones excipere, servatis can. 908-910 et de consensu rectorum ecclesiarum. Caveant tamen — in quo graviter eorum conscientiam oneramus — ne ecclesiam propriam neglegant, ut aliis inserviant.

Facultates quae conceduntur confessariis ad annum approbatis.

Cum autem, ad maiora animarum lucra anno isto salutaris expiationis comparanda, intersit operarios multiplicari, omnibus quoque confessariis adprobatis ad annum a dilecto filio Nostro Cardinali Vicario in spiritualibus generali, itemque reliquis omnibus confessariis regularibus exemptis, quos Superior tantummodo suus pro sodalibus Religionis omnibusque extraneis in religiosa domo diem noctemque commorantibus adprobaverit -- intra fines tamen temporis, loci ac personarum in concessione adprobationis designatos — has, quae sequuntur, tribuimus extraordinarias facultates:

Circa censuras;

1. Absolvere possint, per se ipsi tantum et in foro dumtaxat conscientiae et sacramentali, eos, qui apud ipsos confi-

teantur, a quibusvis peccatis et censuris, etiam speciali modo a iure Sanctae Sedi reservatis, aut Ordinario reservatis, dummodo censurae publicae non sint, iniunctis tamen salutaribus paenitentiis aliisque de iure iniungendis, servatisque potissimum in hac absolutione impertienda normis atque exceptionibus, quae supra, sub nn. I-V, pro paenitentiariis minoribus praescriptae sunt.

Circa vota;

2. Omnia et singula vota privata, etiam iurata, dispensare possint, in foro conscientiae et sacramentali tantum, commutando in alia pia opera, ex iusta causa, exceptis iis privatis votis quae can. 1309 Apostolicae Sedi reservantur, itemque exceptis votis publice emissis in susceptione Ordinis sacri aut in professione religiosa tam sollemni quam simplici, et iis, quorum aut dispensatio vergeret in detrimentum tertii aut commutatio minus arceret a peccato quam ipsum votum.

Circa irregularitates;

3. Dispensare possint ab irregularitate eodem modo ac paenitentiariis conceditur sub n. VII.

Circa visitationes.

4. Dispensare possint, in foro conscientiae et sacramentali tantum, circa visitationes quatuor Basilicarum easque item commutare eodem modo ac paenitentiariis conceditur sub n. X.

Obtentas facultates servant.

5. Si quas autem facultates ab Apostolica Sede per S. Paenitentiariam aut alio legitimo modo impetraverint aut per Annum Sanctum impetrabunt, eae firmae atque immutatae sunto.

De recto facultatum usu.

6. De usu facultatum, quas supra sub nn. 1-4 concessimus, ea valeant ac serventur, quae pro paenitentiariis minoribus sub n. XIV constituimus.

Monitio facta confessariis.

Nihil reliquum est, nisi ut paenitentiarios et confessarios, quibus extraordinarias facultates istas de Apostolica benignitate largiti sumus, vehementer moneamus, patienti animo caritatisque pleno eos omnes excipiant, qui Domino reconciliari cupient et caelestibus frui thesauris, quos Sancta Mater Ecclesia per totum lubilaei annum cuivis reserat.

Clausulae.

Praesentes autem Litteras volumus firmas exsistere et fore, earumque exemplis atque excerptis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eandem adhiberi fidem, quae hisce Litteris adhiberetur, si exhibitae forent vel ostensae. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Nulli igitur liceat paginam hanc Nostrae concessionis, declarationis et voluntatis infringere vel ei, ausu temerario, contra ire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Dies (30 ian. (1933).

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die tricesimo mensis Ianuarii, anno Domini millesimo nongentesimo tricesimo tertio, Pontificatus Nostri undecimo.

Fr. ANDREAS Card. FRÜHWIRTH
Cancellarius S. R. E.

LAURENTIUS Card. LAURI
Paenitentiarius Maior.

ALFONSUS CARINCI, *Protonotarius Apostolicus.*
DOMINICUS SPOLVERINI, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco ✠ Plumbi

---

4. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Bulla « Qui umbratilem » 30 ian. 1933

MONIALIBUS ET IMPEDITIS PROSPICIENS

(A. A. S., 30 ian. 1933, XXIV, 19)

Indulgentiae Anni Sancti MDCCCCXXXIII-MDCCCCXXXIV *conceduntur monialibus aliisque stabili impedimento detentis cum opportunis facultatibus circa absolutiones et votorum commutationes.*

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Stabiliter impeditos.

Qui umbratilem vitam, divino servitio mancipati, in claustralibus saeptis traducunt, qui corporis infirmitate laborant, quique in hostili potestate aut in publica custodia detinentur, eos novimus, aliosque non paucos, ex sua ipsorum condicione prohiberi, quominus, per proximi Anni Sancti decursum, Romanam peregrinationem suscipiant.

S. Pontifex vult etiam iubilaei participes.

Pro Nostra autem in omnium ordinum homines paterna voluntate cupimus ut hi etiam reserandis saeculari hac faustitate Ecclesiae thesauris frui queant, atque adeo Iubilaei veniam lucrari. Quod quidem eo vel magis optamus, quod futurum confidimus ut tot preces totque piacula, undique gentium, ab iis praesertim qui aut innocentem vitam aut angoribus expiatam degunt, laudabili quadam contentione ad Deum admota, uberiora humano generi impetrent caelestia munera, felicioraque tempora concilient.

Quinam sint.

Huius vero concessionis Nostrae hi dumtaxat, qui sequuntur, participes sunto:

I. Moniales, Postulantes et contubernales.

I. In primis Moniales omnes, quae in coenobiis degunt sub claustri perpetui disciplina; item quae in iisdem monasteriis aut probandae et postulantes sunt aut tirocinium exercent aut educationis aliave legitima de causa, etsi per maiorem tantummodo anni partem, commorantur. Neque excipi volumus mulieres earum contubernales, quae, famulatus vel stipis colligendae gratia, saepta religiosa egrediuntur.

II. Religiosae Sorores, Postulantes et educandae saltem semi-convictrices.

II. Omnes religiosae Sorores, scilicet votorum simplicium, quae ad Congregationem pertineant iuris sive pontificii sive dioecesani, quamquam severiore claustri lege non adstringuntur, una cum suis novitiis, probandis, atque educandis puellis — semi-convictricibus quoque, ut aiunt, non tamen externis, — aliisque communi cum ipsis mensa utentibus, domicilio vel quasi domicilio.

III. Oblatae, cum postulantibus, educandis ut supra.

III. Pariter Oblatae, seu piae feminae, vitae societate coniunctae, etiamsi vota non emittant, quarum tamen Instituta ab ecclesiastica auctoritate vel ratione stabili vel ad experimentum probata sint, una cum suis novitiis, probandis, puellis educandis aliisque communi cum ipsis contubernio utentibus, ut de Congregationibus religiosis n. II diximus.

IV. Feminae Tertii Ordinis Regularis et contubernales.

IV. Omnes feminae ad quemvis Tertium Ordinem Regularem pertinentes, quae sub uno eodemque tecto, cum approbatione ecclesiastica, communiter vivunt, itemque, ut supra, omnes earum contubernales.

V. Mulieres in Conservatoriis degentes.

V. Puellae et mulieres in gynaeceis seu Conservatoriis degentes, quamvis non sint Monialibus, Sororibus religiosis, Oblatis Tertiariisve concreditae.

VI. Anachoretae et Eremitae non solitarii.

VI. Anachoretae et Eremitae, non ii quidem, qui nullis adstricti clausurae legibus vel communiter vel solitarii sub Ordinariorum regimine certisque legibus obtemperantes vivunt; sed ii, qui in continua — licet non omnino perpetua — clausura et solitudine deditam contemplationi vitam agunt et monasticum aut regularem Ordinem profitentur, ut Cistercienses Reformati B. M. V. de Trappa, Eremitae Camaldulenses et Carthusiani.

VII. Detenti carcere vel simili domo.

VII. Christifideles utriusque sexus, qui captivi in hostium potestate versantur, aut in carcere custodiuntur, aut exsilii poenas deportationisve luunt, aut apud poenales domos ad opus damnati reperiuntur, aut denique in correctionis domibus versantur; itemque ecclesiastici vel religiosi viri, qui in coenobiis aliisve domibus, emendationis gratia, detinentur.

VIII. Impediti morbo vel infirma valetudine; qui opera adsunt in nosocomiis vel praeponuntur corrigendis; operarii; septuagenarii.

VIII. Christifideles utriusque sexus, qui morbo vel imbecilla valetudine prohibentur, quominus, intra Iubilaei annum, aut Urbem adeant aut in Urbe praescriptas Patriarchalium Basilicarum visitationes instituant; qui in nosocomiis, conducti vel sponte ipsi sua, aegrotantibus, continuatâ operâ, adsunt; qui corrigendorum emendationi ac regimini praeponuntur; itemque operarii, qui, cotidiano sibi victum labore comparantes, nequeunt se ab eo per tot horas abstinere; senes denique, qui septuagesimum aetatis suae annum excesserint.

Quibusnam legibus iubilaeum lucrari possint.

Hos omnes et singulos monemus hortamurque ut admissa cuiusque sua dolenti animo perscrutantes, eadem per Paenitentiae Sacramentum eluant ac renovato spiritu ad perfectioris vitae institutum citatiore gradu contendant; mox Angelorum Pane ea, qua decet, pietate reficiantur, indeque vires sumant ad proposita sancte suscepta religiosissime exsequenda; denique ad mentem Nostram — hoc est pro Ecclesiae Catholicae incremento, pro extirpandis erroribus, pro Principum concordia totiusque humanae consortionis tranquillitate et pace — orare ne praetermittant.

Visitationi autem quatuor Urbis Basilicarum alia religionis, pietatis caritatisque opera iidem sufficiant, quae Ordinarius per se ipse vel per prudentes confessarios, pro condicione et valetudine singulorum ac pro loci temporisque rationibus, iniunxerit.

Formalis largitio iubilaei.

Itaque omnipotentis Dei misericordia et beatorum Apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, iis omnibus et singulis, quos supra memoravimus, vere paenitentibus et intra Annum Sanctum rite confessis ac sacra synaxi refectis, Deumque, ut supra diximus, ad mentem Nostram orantibus, omnia denique implentibus alia iniungenda opera in locum visitationum, ac, vel inchoatis tantum iisdem operibus si morbus periculosus oppresserit, plenissimam totius poenae, quam pro peccatis luere debent, indulgentiam, rite tamen obtenta per Paenitentiae Sacramentum remissione ac venia, haud secus ac si praescripta communiter ceteris omnibus explevissent, de Apostolicae liberalitatis amplitudine largimur atque concedimus; quam quidem indulgentiam toties intra Anni Sancti decursum lucrari possunt, quoties iniuncta opera iteraverint.

Electio Confessarii.

Confessariorum facultates.

Porro liceat unicuique eorum, quos supra memoravimus, sibi confessarium eligere a suo Ordinario ad praescripta Codicis approbatum, cui, vi praesentis Constitutionis, pro confessione dumtaxat ad lucrandum Iubilaeum instituta, concedimus, ut, sine detrimento earum facultatum, quas forte alio titulo

exercere possit, personas supra dictas in foro sacramentali tantum absolvere queat a quibusvis censuris et peccatis etiam speciali modo a iure Apostolicae Sedi reservatis, aut Ordinario reservatis, excepto casu haeresis formalis et externae, impositis salutari paenitentia aliisque secundum canonicas sanctiones rectaeque disciplinae regulas iniungendis. Praeterea confessario, quem monialis sibi elegerit, potestatem facimus dispensandi a votis privatis quibuslibet, quae ea ipsa post professionem sollemnem nuncupaverit quaeque regulari observantiae minime adversentur. Confessarios autem supra memoratos volumus quoque commutare posse omnia vota privata, etiam iurata, quibus Sorores in Congregatione votorum simplicium, Oblatae, Tertiariae regulares, puellae et mulieres communibus domibus vitam agentes, sese obstrinxerint, iis votis exceptis quae Apostolicae Sedi reservata sint, et iis, quorum aut dispensatio vergeret in detrimentum tertii aut commutatio minus arceret a peccato quam ipsum votum.

Locorum Ordinarii iisdem concedant facultatem in ipsis a se reservata.

Hortamur autem venerabiles fratres Episcopos aliosque locorum Ordinarios, ut, ad apostolicae Nostrae benignitatis exemplum, eligendis ad praesentium effectum confessarii impertiri ne recusent facultatem absolvendi a casibus qui ab ipsis Ordinariis reservati sint.

Clausulae

Harum interea decreta et iussa Litterarum rata, valida, firma in omnes partes esse et fore decernimus, contrariis non obstantibus quibuslibet. Volumus denique ut harum Litterarum exemplis vel excerptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eadem prorsus adiungatur fides, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli igitur hominum liceat paginam hanc Nostrae declarationis, concessionis, derogationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contra ire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Dies (30 ian. 1933).

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die tricesima mensis Ianuarii, anno Domini millesimo nongentesimo tricesimo tertio, Pontificatus Nostri undecimo.

Fr. ANDREAS Card. FRÜHWIRTH
Cancellarius S. R. E.

LAURENTIUS Card. LAURI
Paenitentiarius Maior.

ALFONSUS CARINCI, *Protonotarius Apostolicus.*
DOMINICUS SPOLVERINI, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco ✠ Plumbi

N. B. Annotationes in proximum fasciculum differuntur.

[4]

5. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Epistola 18 oct. 1932, ad R. P. Murray C. SS. R. Moderatorem Generalem

ALTERO PLENO SAECULO A CONDITA CONGREGATIONE

(A. A. S., 5 dec. 1932, XXIV, 402)

PIUS PP. XI

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Promerita religiosarum familiarum Pontifici gratam efficiunt publicam benevolentiae testificationem.

Quare occasionem arripit instantium saecularium sollemnium Cong. a SS. Redemptore.

Cuius laudat diffusionem,

Opera missionalia eorumque fructus.

In comperto omnino est religiosas familias, quae evangelica consilia persequuntur, magno usui esse et ornamento tum catholicae Ecclesiae, tum civili etiam societati, atque omni tempore de religione humanoque cultu optime meritas esse. Propterea Nobis gratissimum est, oblata occasione, laudem, quae ipsis debetur, tribuere et benevolentiam, qua singulariter eas diligimus, publice et palam testari. Iamvero, quum nuper noverimus istam praeclaram a SS.mo Redemptore Congregationem, ducentos ante annos a sancto Alphonso de Ligorio institutam, saecularia sollemnia proxime celebraturam, hanc arripiendam censuimus occasionem exhibendi peculiare Nostrae erga eam gratulationis laudisque testimonium. Neque enim ignoramus quot pia ista sodalitas ab exordio suo usque adhuc religiosorum agminibus aucta sit, quamque late per orbem terrarum diffusa, ita ut omnes fere et Europae et Americae regiones, nonnullaeque etiam Asiae et Africae partes, nec non dissitae quaedam Australasiae orae eximiam pietatem dulcissimamque caritatem Alphonsianam persenserint. Constat autem inter omnes id sollemne habere sodales Ligorianos, sibique veluti proprium, per missiones, quas vocant, paroeciales atque exercitiorum spiritualium ope studium omne in plebem christianam intendere, bonis moribus ac ferventi pietate excolendam. Quanto vero animarum fructu ac proventu id quidem obveniat, vel ex eo coniici licet, quod pro certo habemus, ut alias quoque ediximus, in sacris commentationibus et praesertim « in spiritualibus exrcitationibus, singulare aeternae salutis praesidium positum esse atque constitutum ». Quis igitur enumerare potest quot peccatores amissam fidem opera vestra receperint? quot fideles ad altiorem pietatem per-

fectionemque christianam adducti fuerint? Inter quos profecto ex ordine laicali non defuerunt, qui ad Actionem Catholicam provehendam alacres facti sint et fortissimi clericorum adiutores. Quare iure ac merito hodie cuncta Congregatio, cui tam diu moderaris, bis saecularem vitae suae cursum respiciens, quam maxime laetatur, atque ex praeteritis feliciter gestis ad ampliora prosequenda optima sumit auspicia. Nos autem, qui curas laboresque vestros plane cognitos habemus, cumulum laetitiae vestrae adiicere cupientes, et vobis de huiusmodi eventi faustitate libentissime gratulamur, et Christi fideles, parochos praesertim et consociationum catholicarum moderatores valde exhortamur, ut ipsi opera vestra ad fidem in suis subditis redintegrandam aut roborandam quam latissime utantur. Deum interea omnipotentem instanti precatione exoramus, ut lectissima sua dona vobis largiatur, laborumque vestrorum fructus in omnibus christianae societatis ordinibus magis magisque reddat ampliores. Quorum quidem in auspicium inque pignus Nostrae peculiaris in vos existimationis et amoris, apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, cunctisque Congregationis sodalibus peramanter in Domino impertimus.

Iure ac merito cuncta Congregatio laetatur.

Gratulans Pontifex parochos et consociationum moderatores hortatur ut eius filiorum opera utantur.

Pontificis vota et benedictio.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XVIII mensis Octobris, in festo Sancti Lucae evangelistae, anno MDCCCCXXXII, Pontificatus Nostri undecimo.

Dies (18 oct. 1932).

PIUS PP. XI

---

6. — S. Poenitentariae Ap. *(Officium de indulgentiis)*

Decretum 7 nov. 1932

EXTENSIO INDUL. RECITANTIUM OFFICIUM CORAM SS. SACRAMENTO

(A. A. S., 5 dec. 1932, XXIV, 411).

DECRETUM

Quo magis, praesertim in clero, numerus et pietas augeatur adoratorum Sacramenti mirabilis quod Christus Dominus, transiturus de hoc mundo ad Patrem, tamquam Passionis suae memoriale perpetuum et de sua contristatis absentia solatium singulare reliquit, Ss.mus Dominus Noster Pius divina Provi-

Finis amplioris gratiae largiendae.

Dies audientiae.

dentia Pp. XI, in Audientia die 21 mensis Octobris anni currentis infrascripto Cardinali Poenitentiario Maiori impertita, peculiarem gratiam iam in alia simili Audientia diei 17 Octobris 1930 benigne concessam (cfr *Acta Apostolicae Sedis*, vol. XXII, p. 493) (1) ita extendere dignatus est ut qui in Sacris constituti divinum Officium in alias preces commutatum rite obtinuerint, indulgentiam plenariam, si preces eiusmodi coram Ss.mo Sacramento sive publicae adorationi exposito sive in tabernaculo adservato devote recitaverint, suetis conditionibus, et ipsi lucrari valeant. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione et contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Gratia.

Dies (7 nov. 1932).

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Poenitentiariae, die 7 Novembris 1932.

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S. I. TEODORI, *Secretarius.*

(1) Cfr *Per.*, XX, 145.

ERRATUM CORRIGE

Contra ac p. 242 scriptum est, decretum Pii IX, 15 sept. 1876, memoratur in opere classico de indulgentiis germanice scripto a PP. BERINGER-STEINEN et gallice converso. Reperitur autem tom. I, n. 327. Occatio erroris fuit, quod in laudato opere indulgentiae non visitationi Sanctissimae Eucharistiae ut operi principali, sed recitantibus Pater, Ave, Gloria, sexies coram Sanctissimo concessae videantur.

Decretum quoque reperitur in opere italico *Raccolta di orazioni e pie opere per ... le SS. Indulgenze.*

ACTA SUMMATIM RELATA

7. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Sermo quo SS. D. cuiusdam novae artis « sacrae » opera magna vi carpit, ecclesiis arcet, dum vero progressui magnopere favet.

A. *Sermo de arte sacra.* Cum SS. D. N. Pius Pp. XI, die 27 oct. 1932 novam Pinacothecam Vaticanam dedicaret, praeclarum de arte sacra sermonem habuit, in quo antiquae arti sacrae cuius monumenta, ingenuas et fervidas dixeris invocationes et orationes, opposuit alia quaedam opera, quae etsi artis sacrae nomen usurpant, imagines depravatas, ridiculas, saepe vere sacrilegas exhibent.

Observabat S. Pontifex non omni novitate contineri progressum; sic dictis autem novis operibus prodi auctores inhabiles vel impatientes lentae et studiosae praeparationis, qui ea pariunt quae similia sunt informibus maxime tenebrosae aetatis monumentis.

Nec minus improbabat ab ista schola aedificata vel ornata ecclesias vel oratoria, quae non iam Deo hospitando, non orationibus fundendis destinata videntur.

Quocirca S. Pontifex sperat, magnopere optat, vult ut lex canonica, quae clare etiam Codice canonico expressa et sancita est: ars huiusmodi ne admittatur in nostris ecclesiis, nedum ipsi committatur cura ecclesias exstruendi, mutandi, ornandi, (cfr can. 1164 § 1; 1279 § 2; 1296 § 3).

Contra autem, late pateant ianuae excipiendo omni incremento et progressione bonarum et venerabilium traditionum quae in tot saeculorum decursu probatae sunt idoneae novis et pulchris formis inspirandis, quoties, praelucente ingenio et fide interrogatae, penetratae et excultae fuerunt.

Ad Episcopos, pro sua quisque dioecesi, ad Papam pro tota Ecclesia attendere spectat ut leges Codicis observentur, nec quidquam ementito artis nomine sanctitatem ecclesiarum et altarium offendat et pietatem fidelium conturbet.

In fine SS. D. laetus memorat plures, inter quos speciali gaudio, numerat sacerdotes, Antistites, Cardinales, adversus istos nimis manifestos errores et ad genuinas traditiones tuendas, vocem a locis propinquis et remotis vocem misisse (*A. A. S.*, XXIV, 402).

Nova Praefectura Apostolica Tumacensis in Columbia.

B. Bulla *Quae ad aeternam*, 1 mai. 1927, territorium a Pastopolitana et Caliensi in Columbiana Republica dioecesibus seiungitur ac separatur et pro animarum bono et catholicae fidei incremento in apostolicam praefecturam erigitur et constituitur ipsaque e civitate principe *Tumaco* « Tumacensis » denominanda decernitur curis Patrum Ord. Erem. Recollectorum S. Augustini B. M. Virginis, Vulgo *de la Candelaria* concredenda, sub dependentia ac iurisdictione S. C. *de Prop. Fide* (*A. A. S.*, XXIV, 357).

Novae dioeceses laboticaballensis et Riopretensis, in Brasilia.

C. Bulla *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*, 25 ian. 1929, territorium ad S. Caroli de Pinhal dioecesim spectans in Brasiliana Republica pro vastitate sua in tres distinctas partes dividitur in quarum una dioecesis ipsa S. Caroli de Pinhal coartatur et circumscribitur, in ceteris vero duabus partibus ex novo eriguntur dioeceses, videlicet laboticaballensis ab urbe laboticabal et Riopretensis ab urbe Rio Preto nuncupandae. Novarum istarum dioecesium laboticaballensis et Riopretensis sedes et cathedrae episcopales respective in urbibus labotical et Rio Preto, e quibus illae nomen mutuantur perpetuo constituuntur, et ad civitatum episcopalium fastigium evehuntur. Ecclesiae autem paroeciales SS. Virgini de M. Carmelo in urbe laboticabal et S. Ioseph in Rio Preto dicatae, respective ad cathedralium dignitatem extolluntur, atque Metropolitanae ecclesiae S. Pauli in Brasilia suffraganeae cathedrales constituuntur (*A. A. S.*, XXIV, 359).

Nova Praef. Apostolica de Bohama in Foed. Stat. Americ. Sept.

D. Bulla *Constans Apostolicae Sedis*, 21 mart. 1932, ab archidioecesi Neo-Eboracensi insulae Bohama separantur atque in distinctam praefecturam apostolicam, S. C. *de Prop. Fide* subiectam et de Bohama nuncupatam, eriguntur (*A. A. S.*, XXIV, 257).

Nova Provincia ecclesiastica ritus Antiocheni constans archidioecesi Trivandrensi, et dioecesi Tiruvalensi (Malabarica regio).

E. Bulla *Christo pastorum Principi*, 21 iun. 1932, duo Ordinariatus ritus Antiocheni intra fines Malabaricae regionis, Apostolicis Litteris *Magnum Nobis*, 30 febr. 1932, constituti, supprimuntur et in novam ac distinctam provinciam ecclesiasticam constituuntur. Haec, duabus constabit sedibus: archiepiscopali alia, episcopali altera, quibus certi designantur limites et territorium. Sedes et cathedra archiepiscopi Trivandrensis in urbe Trivandrum; cathedra vero et sedes antistitis Tiruvalensis in Tiruvalla oppido figitur. Denique: cum Metropolitana tum episcopalis Ecclesia eorumque pro tempore Rectores omnibus iuribus, privilegiis, honoribus, praerogativis, oneribus et obligationibus donantur et stringuntur quae de iure communi tum

coeteris Metropolitanis et suffraganeis tum eorum Antistibus competere solent (*A. A. S.*, XXIV, 289).

Magnus Cancellarius Pont. Univ. Gregorianae.

F. Brevi *Gregorianam Studiorum*, 21 iun. 1932, decernitur ut Em. Cardinalis S. Congr. de Seminariis et Studiorum Universitatibus pro tempore Praefectus, Pontificiae Universitati Gregorianae ac Pontificiis Biblico atque Orientali Institutis cum eadem consociatis iam nunc atque in posterum Magnus Cancellarius sit (*A. A. S.*, XXIV, 267).

Templum S. Antonii Eremitae catholicis ritus slavici addicitur.

G. Motu Proprio *Nostra animarum*, 28 oct. 1932, templum S. Antonio Eremitae in Exquiliis dicatum, catholicis slavici ritus addicitur (*A. A. S.* XXIV, 353).

H. *Litterae de Dioecesibus, Vicariatibus, Abbatiis nullius, Praefecturis Apostolicis et Missionibus.*

Novus Vicariatus Ap.cus Sinus de Hudson (Amer. sept.).

1. Brevi *Supremum officium*, 21 dec. 1931, praefectura apostolica Sinus de Hudson in America septemtrionali ad potiorem vicariatus apostolici dignitatem evehitur statuiturque ut novus vicariatus ab Ordinario episcopali aucto charactere regatur (*A. A. S.*, XXIV, 259).

Nova Abbatia nullius de Ndanda (Africa centralis).

2. Brevi *In Tanganikensi*, 22 dec. 1931, ab Abbatia *nullius* de Lindi, Patribus Congregationis Ottiliensis ex Ordine S. Benedicti pro missionibus exteris concredita, districtus civilis de Lindi qui ad Orientem vertit, distrahitur atque ex eodem nova constituitur abbatia nullius, cui nomen fit de Ndanda, quae eorundem Patrum curis committitur (*A. A. S.*, XXIV, 260).

Duae regiones annexae Vicariatui Ap.co de Dar-es-Salaam (Africa centr.).

3. Brevi *Ex sollicitudinis debito*, 22 dec. 1931, regiones de Lulanga ac de Masagati ab apostolica praefectura de Iringa separantur et apostolico vicariatui de Dar-es-Salaam annectuntur (*A. A. S.*, XXIV, 261).

Abbatiae iam de Lindi nomen fit de Peramiho (Africa centralis).

4. Brevi *Ex Orientali*, 22 dec. 1931, statuitur ut abbatia *nullius* de Lindi, de Peramiho appelletur (*A. A. S.*, XXIV, 262).

Novus Vicariatus Ap.cus de Chaoshien (in Sinis).

5. Brevi *Ex apostolico munere*, 11 ian. 1932, praefectura apostolica de Chaoshien in Sinis ad dignitatem vicariatus apostolici attolitur, cuius regimen clero saeculari indigenae commissum manebit (*A. A. S.*, XXIV, 263).

Novus Vicariatus Ap.cus de Kontum (in Sinis).

6. Brevi *Decessores Nostros*, 18 ian. 1932, certum territorium seiungitur a vicariatu apostolico de Quinhon quod in novum erigitur vicariatum ex integris provinciis Attopen, Banmetuot, Kontum et ex parte montana et barbara provinciae Quangnam constitutum. Novus vicariatus cui nomen erit de

Kontum curis sodalium Soc. Parisiensis Missionum ad exteras gentes demandatur (*A. A. S.*, XXIV, 264).

Nova Praefectura Ap.ca de Chihfeng (in Sinis) clero Sinensi commissa.

7. Brevi *Romani Pontifices*, 21 ian. 1932, ab apostolico vicariatu de Iehol in Sinis praefecturae de Chihfèng, Kienping, Outan, Ningcheng, Weichang et Kingpeng distrahuntur et in novam praefecturam apostolicam de Chihfeng nuncupandam praesbyteris saecularibus e clero Sinensi adsignatam constituuntur (*A. A. S.*, XXIV, 266).

Novis limitibus constituitur Praefectura Ap.ca Mayottae, Nossibae et Comorae.

8. Brevi *Supremi apostolatus munus*, 2 febr. 1932, a vicariatu apostolico de Diego Suarez duo districtus civiles de Sambirano ac de Moramandia disiunguntur et praefecturae apostolicae insularum Mayottae, Nossibae et Comorae canonice adnectuntur. Praefectura vero insularum supradictarum, novis limitibus constituta, regimini Patrum Ord. Min. Capp. ex Provinciae Alsaciae, committitur (*A. A. S.*, XXIV, 293).

Fines mutantur inter Vicar. de Khartum et Ap.cam Praef. de Foumbam (Africa).

9. Brevi *Quae rei sacrae*, 3 febr. 1932, e vicariatu apostolico de Khartum territorium situm ad septentrionem praefecturae de Foumbam disiungitur (*A. A. S.*, XXIV, 295).

Patroni Vicariatus Ap.ci de Kirin in Manciuria.

10. Brevi *Plane compertum*, 2 febr. 1932, vicariatus apostolici de Kirin in Manciuria Beata Virgo Maria patrona principalis et Sanctus Petrus Apostolus sanctique Angeli custodes secundarii statuuntur et confirmantur (*A. A. S.*, XXIV, 266).

Nova Praefectura Ap.ca de Fushun (in Sinis).

11. Brevi *Admonet Nos*, 4 febr. 1932, ab apostolico vicariatu de Mukden totus districtus civilis orientalis de Tung-Pien-Tao dismembratur et in eodem nova praefectura apostolica de Fushun appellanda erigitur quae sodalibus Societatis de Maryknoll pro missionibus exteris committitur (*A. A. S.*, XXIV, 296).

Novus Vicariatus Ap.cus de Kumasi (Africa Occident.).

12. Brevi *Cum diffusis*, 11 febr. 1932, ab Apostolico vicariatu de Littore Aureo in Africa Occidentali, regio de Ashanti separatur atque in novum apostolicum vicariatum de Kumasi in posterum appellandum, erigitur. Novi vicariatus regimen et cura traditur Patribus Soc. Lugdunensis Missionum ad Afros (*A. A. S.*, XXIV, 294).

Novus Vicariatus Ap.cus de Coquilhatville (Congo Belgic.).

13. Brevi *Iam Litteris*, 22 mart. 1932, praefectura apostolica de Coquilhatville in Congo Belgico ad ampliorem dignitatem vicariatus apostolici, iisdem servatis limitibus ac titulo, evehitur, et iubetur ut Patrum missionariorum a SS.mo Corde Iesu curis concreditum maneat (*A. A. S.*, XXIV, 300).

14. Brevi *Magna cum delectatione*, 22 mart. 1932, praefectura de Katanga in Congo Belgico in vicariatum apostolicum eodem nomine retento eisdemque limitibus servatis constituitur eiusdemque cura Patribus abbatiae S. Andreae de Brugis ex Ordine S. Benedicti committitur (*A. A. S.*, XXIV, 301).

Novus Vicar. Ap.cus de Katanga (Congo Belgic.).

15. Brevi *Vicariatus apostolici*, 23 mart. 1932, ex vicariatus apostolici de Kweiyang dismembratione erigitur missio independens de Shitsien in Sinis, religiosis missionariis a SS.mo Corde Iesu concredita (*A. A. S.*, XXIV, 387).

Nova Missio independens de Shitsien (in Sinis).

16. Brevi *Romanorum Pontificum*, 20 apr. 1932, dismembrato territorio e vicariatu apostolico de Batavia, erigitur, propter ordinationem administrativam a Gubernio Neerlandico introductam, Apostolica praefectura, quae a regionis principe civitate de Bandoeng nuncupanda decernitur (*A. A. S.*, XXIV, 388).

Nova Ap.ca Praefectura de Bandoeng (in Indiis Neerland.).

17. Brevi *Magna animi Nostri*, 25 apr. 1932, a vicariatu apostolico de Batavia territorium residentiarium de Pekalongan, Banjoemas et Kedoe, exceptis subdivisionibus civilibus de Tennangseng et de Magalang, seiungitur, ipsumque territorium sic separatum sive seiunctum, erigitur in novam apostolicam praefecturam quae a civitate principe regionis de Poerwokerto ex nunc vocatur (*A. A. S.*, XXIV, 389).

Nova Ap.ca Praefectura de Poerwokerto (in Indiis Neerlandicis).

18. Brevi *Ut clero indigenae*, 7 mai. 1932, e vicariatu de Phat-Diem seiungitur territorium quod pertinet ad provinciam Annamiticam de Thanh-Hoa et ad provinciam Laosianam de San-Nua; idemque territorium omne a vicariatu apostolico praedicto separatum, in novum erigitur vicariatum apostolicum cui nomen de Thanh-Hoa datur, curisque sacerdotum e Sem. Parisiensi missionum ad exteras gentes committitur (*A. A. S.*, XXIV, 363).

Novus Ap.cus Vicariatus de Thank Hoa (Annam).

19. Brevi *Ut praefecturae apostolicae*, 27 mai. 1932, praefectura apostolica de Douala, in Africa centrali, erigitur in vicariatum apostolicum curis commissum Instituti a Spiritu Sancto, quod huc usque praefecturam nunc abolitam sollerter moderatum est (*A. A. S.*, XXIV, 365).

Novus Vicariatus Ap.cus de Douala (Africa centralis).

20. Brevi *Cum non sine*, 27 mai. 1932, praefectura apostolica de Kavirondo, in Africa centrali, erigitur in vicariatum apostolicum, iisdem finibus praefecturae retentis; ipsique novo vicariatui apostolico erecto, nomen de Kisumu additur, et curis Soc. S. Ioseph de Mill-Hill commissum relinquitur (*A. A. S.*, XXIV, 366).

Novus Vicariatus Ap.cus de Kavirondo et Kisumu (Africa centralis).

Quaedam accessio territorii Praefecturae Ap.cae de Navrongo (Africa centralis).

21. Brevi *Cum ea, quae rei,* 28 mai. 1932, e vicariatu apostolico de Littore Aureo ea territorii plaga, inter vicariatum apostolicum de Kumasi et praefecturam apostolicam de Navrongo sita, dismembratur seu separatur, eademque ex nunc et in posterum finitimae de Navrongo praefecturae apostolicae tribuitur (*A. A. S.*, XXIV, 367).

Nova Praefectura Ap.ca de Hwangchow (in Sinis).

22. Brevi *Cum non sine,* 1 iun. 1932, missio sui iuris de Hwangchow in Sinis erigitur in praefecturam apostolicam iisdem ac missionis finibus ac nomine retentis, Ordinisque Fratrum Minorum sodalibus, qui ad hunc usque diem missionem praefatam moderati sunt, committitur (*A. A. S.*, XXIV, 368).

Nova Praefectura Ap ca de Changtien (in Sinis).

23. Brevi *Ut christiani nominis,* 1 iun. 1932, missio independens de Changtien in Sinis in praefecturam apostolicam erigitur finibus iisdem ac nomine missionis retentis, sodalibus concreditam Ordinis Fratrum Minorum qui ad hunc usque diem missionem praefatam moderati sunt (*A. A. S.*, XXIV, 369).

Novus Vicariatus Ap.cus de Szepingkai (in Manciuria).

24. Brevi *Litteris Apostolicis,* 1 iun. 1932, apostolica praefectura de Szepingkai in Manciuria erigitur in vicariatum apostolicum, iisdem ac praefecturae finibus hodiernis et nomine retentis, curis Sacerdotum Soc. missionum ad exteras gentes provinciae Quebecensis, commissum (*A. A. S.*, XXIV, 370).

Nova Praefectura Ap.ca de Hungtung, clero Sinensi commissa (in Sinis).

25. Brevi *Cum vicariatus apostolicus,* 17 iun. 1932, e vicariatu apostolico de Luanfu territorium tredecim sub-praefecturas civiles efformans separatur sive dismembratur, atque inde ex eodem territorio nova apostolica praefectura de Hungtung nuncupanda erigitur, Sacerdotibus vero saecularibus e clero Sinensi commissa (*A. A. S.*, XXIV, 371).

Nova Praefectura Ap.ca de Chouchih, clero indigenae commissa (in Sinis).

26. Brevi *Cum Vicarius Apostolicus,* 17 iun. 1932, ex apostolico vicariatu de Sianfu sex civiles sub-praefecturae distrahuntur seu separantur, atque inde ex eodem territorio nova praefectura apostolica de Chouchih appellata erigitur et sacerdotibus saecularibus e clero Sinensi committitur (*A. A. S.*, XXIV, 372).

Novus Vicariatus Ap.cus de Tatungfu (in Sinis).

27. Brevi *Ut prosperitati,* 17 iun. 1932, praefectura apostolica de Tatungfu in Sinis ad ampliorem vicariatus apostolici dignitatem evehitur, finibus iisdem ac nomine retentis. Novus apostolicus vicariatus curis relinquitur Congregationis Immaculatae Cordis Mariae commissus (*A. A. S.*, XXIV, 373).

Novus Vicariatus Ap.cus de Shohchow (in Sinis).

28. Brevi *Cum Minister generalis,* 17 iun. 1932, praefectura apostolica de Shohchow in Sinis ad ampliorem apostolici vicariatus dignitatem evehitur, iisdem ac praefecturae finibus ac

nomine retentis, et curis Ordinis commissus Fratrum Minorum novus vicariatus relinquitur (*A. A. S.*, XXIV, 374).

29. Brevi *Cum apostolicus*, 4 iul. 1932, plenius delineantur fines universi vicariatus apostolici de Caqueta in Columbiana Republica (*A. A. S.*, XXIV, 392).

Fines Vicariatus Ap.ci de Caquetà (Columbia).

30. Brevi *Cum Nuntius*, 7 iul. 1932, plenius delineantur universi vicariatus fines Planorum S. Martini in Columbia (*A. A. S.*, XXIV, 393).

Fines Vicariatus Ap.ci Planorum S. Martini (Columbia).

31. Brevi *Admonet Nos*, 18 iul. 1932, fines reguntur inter vicariatus apostolicos de Tanganika et Tabora in Africa centrali (*A. A. S.*, XXIV, 394).

Fines reguntur Vicariatus Ap.ci de Tanganika et de Tabora (Africa centr.).

32. Brevi *Cum munus apostolicum*, 18 iul. 1932, a vicariatu apostolico de Tanganika in Africa centrali, pars orientalis territorii seiungitur ac dismembratur, eademque in novam constituitur sui iuris missio cui nomen est de Tukuyu, Patribus e Soc. missionariorum Africae commissa (*A. A. S.*, XXIV, 395).

Nova Missio independens de Tukuyu (Africa centralis).

33. Brevi *Cum Nos instanter*, 18 iul. 1932, a vicariatu apostolico de Sapporo separatur totum territorium quod in insula Karafuto seu Sakhalin Imperio Iaponensi subiectum est, illudque territorium a vicariatu de Supporo distractum in missionem sui iuris appellandam de Karafuto erigitur, Fratrum Ordinis Minoris curis concreditam (*A. A. S.*, XXIV, 397).

Nova Missio independens de Karafuto (Japonia).

34. Brevi *Ut, aucto Pastorum*, 18 iul. 1932, praefectura apostolica de Padang in vicariatum apostolicum, iisdem finibus ac nomine servatis, erigitur (*A. A. S.*, XXIV, 398).

Novus Vicariatus Ap.cus de Padang (Sumatra).

35. Brevi *Cum vicariatuum*, 18 iul. 1932, a vicariatibus de Tabora et de Bukoba districtus de Kibondo distrahitur, illeque integre tribuitur apostolico vicariatui de Tanganika quem Patres e Soc. Missionariorum Africae moderantur (*A. A. S.*, XXIV, 399).

Territorium tributum Vicariatui Ap.co de Tanganika (Africa centralis).

36. Brevi *Admonet Nos*, 18 iul. 1932, missio sui iuris de Bulawayo in Rhodesia, iisdem hodiernis finibus ac nomine retentis, in novam erigitur praefecturam apostolicam, curisque commissam Patrum ex Instituto de Mariannhil relinquitur (*A. A. S.*, XXIV, 400).

Nova Praefectura Ap.ca de Bulawayo (Rhodesia in Africa merid.).

37. Brevi *Romanorum Pontificum*, 18 iul. 1932, seiuncto territorio ex dioecesibus Allahabadensi et Nagporensi apostolica erigitur praefectura de Iubbulpore in India et Madraspolitanae provinciae adscribitur, curis Patrum Abbatiae Benensi in Hollandia ex Ord. Praemonstr. commissa (*A. A. S.*, XXIV, 401).

Nova Praefectura Ap.ca de Iubbulpore (in India).

I. *Litterae de ecclesiis.* In Basilicam minorem eriguntur:

Templum B. Virg. in monte Varallo.

1. Brevi *Novariensis dioecesis*, 4 febr. 1932, templum B. M. Virginis in coelum assumptae, in summitate Montis Varalli exstructum, intra Novariensis dioecesis fines (*A. A. S.*, XXIV, 297).

Templum S. Antonii Constantinopoli.

2. Brevi *Constantinopolitanae*, 22 febr. 1932, templum Constantinopolitanum paroeciale Sancti Antonii Patavini curis Ord. Fratrum Minorum Conventualium concreditum (*A. A. S.*, XXIV, 298).

Templum Friburgense Nostrae Dominae (in Helvetia).

3. Brevi *A Venerabili fratre*, 18 mai. 1932, antiquum et celebre titulo Nostrae Dominae collegiale templum Friburgense dioecesis Lausannensis, Genevensis ac Friburgensis intra fines positum (*A. A. S.*, XXIV, 364).

Templum S. Mauritii Altahense (in Bavaria).

4. Brevi *Passaviensis dioecesis*, 29 iun. 1932, templum coenobii ex Ord. S. Benedicti Altahensis Deo in honorem S. Mauritii Martyris dicatum intra fines Passaviensis dioecesis positum (*A. A. S.*, XXIV, 391).

8. — Suprema S. Congr. S. Officii

Proscribitur opus Ben. Croce.

1. Decreto 15 iul. 1932, damnatur atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandatur opus BENEDETTO CROCE, *Storia d'Europa* nel secolo decimonono. Bari. Laterza, 1932 (*A. A. S.*, XXIV, 269).

Dissolvitur religiosa communitas « delle Piccole Ostie ».

2. Decreto 29 oct. 1932, communitas religiosa vulgo « delle Piccole Ostie » Crispiani, in archidioecesi Tarentina supprimitur. Piis mulieribus quae ei nomen dederant, relaxata omni obligatione integrum fit ad suos regredi, aut, servatis servandis, in aliam religiosam Communitatem diverti. Fundatrix Margarita Spezzaferri prohibetur usu habitus religiosi cuiusque nominis aut formae. Oratorium domus interdicto subicitur, cum vetito absoluto quempiam cultus actum in eodem exercendi (*A. A. S.*, XXIV, 378).

9. — S. Congregatio pro Ecclesia Orientali

Praefectus Ordinariatui pro fidelibus ritus Orient. in Turcica Europa.

1. Decreto 11 iun. 1932, R. D. Dionysius Varrouhas Ordinariatui pro fidelibus ritus Byzantini intra fines dicionis Turcicae Europae praefectus est (*A. A. S.*, XXIV, 270).

Approbatio Congregationis.

2. Decreto 27 iul. 1932, Congregatio Sororum Servularum Beatissimae Virginis Mariae Immaculatae, ritus graeco-rutheni, cuius domus princeps sita est Leopoli adprobatur, Constitutiones vero ad septennium experimenti gratia (*A. A. S.*, XXIV, 303).

10. — S. C. Consistorialis

Fines dioeces Presmiliensis Latinorum et Lepoliensis Latinorum mutantur.

1. Decreto 7 aug. 1931, pagus *Henrykówka* a paroecia *Milatyn* et a dioecesi Premisliensi Latinorum separatur atque paroeciae Wolczuchy archidioecesis Leopoliensis Latinorum perpetuo adiungatur, mutatis hac ratione finibus earundem dioecesium (*A. A. S.*, XXIV, 379).

Vicus quidam archidioecesi Paderbornensi aggregatur.

2. Decreto 22 apr. 1932, a territorio archidioecesis Coloniensis seiungitur pars vici *Eiberg*, in paroecia S. Ioseph urbis *Essen-Stecle-Horst*, et vicariae paroeciali *Wattenscheid-Sevinghausen*, archidioecesis Paderbonensis, aggregatur (*A. A. S.*, XXIV, 404).

Territorium separatum ab archidioecesi Monacensi tribuitur paroeciae dioecesis Aug. Vindelicorum.

3. Decreto 11 nov. 1932, territorium *Bruckerwoerth* a paroecia *Boebing* et ab archidioecesi Monacensi et Frisingensi separatur ac dismembratur, atque paroeciae *Peissenberg* dioecesis Augustanae Vindelicorum aggregatur (*A. A. S.*, XXIV, 405).

11. — Pontificia Commissio pro Russia

Approbatio Instituti.

Decreto 5 iun. 1931, Const. Cong. byzantino-slavicae Sororum Missionariarium Sacr. Cordis Iesu ad septennium approbantur (*A. A. S.*, XXIV, 285).

12. — Sacra Congregatio Rituum

Festum S. Gabrielis a Virgine perdolente.

A. 1. Decretum de Officio, Missa et in Calendario universali insertione festi S. Gabrielis a Virgine perdolente (*A. A. S.*, XXIV, 275).

B. *Causae Beatificationis et Canonizationis.*

S. D. Paula Delpuig.

1. *Vicen.* Decretum 13 april. 1932, introductionis causae beatificationis et canonizationis Servae Dei Paulae Delpuig a S. Aloisio antistitae generalis Instituti Sororum Carmelitidum a Caritate (*A. A. S.*, XXIV, 281).

Maria Crucifixa de Rosa.

2. *Brixiensis.* Decretum 10 iul. 1932, super virtutibus in causa beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Crucifixae de Rosa fundatricis Congregationis Ancillarum a Caritate (*A. A. S.*, XXIV, 307).

B. Xaverius Maria Bianchi.

3. *Neapolitana.* Decretum 12 iul. 1932, reassumptionis causae canonizationis Beati Xaverii Mariae Bianchi sacerdos professus Congregationis Clericorum Regularium Sancti Pauli Barnabitarum (*A. A. S.*, XXIV, 311).

Martyres S. I. Bonaerenses.

4. *Bonaeren.* Decretum 13 iul. 1932, introductionis causae beatificationis seu declarationis martyrii Servorum Dei Rochi Gonzalez de Santa Cruz, Alphonso Rodriguez et Ioannis del Castillo e Societate Iesu (*A. A. S.*, XXIV, 346).

B. Andreas Fournet.

5. *Pictavien.* Decretum 20 nov. 1932, super miraculis in causa canonizationis B. Andreae Huberti Fournet conf. sacerdotis, fundatoris Congregationis Filiarum Crucis vulgo Sororum S. Andreae (*A. A. S.*, XXIV, 408).

13. — S. C. de Propaganda Fide

A. *Approbatio Constitutionum:*

Societas S. Columbani pro Miss. Sinensibus.

Decreto 14 mart. 1932, Constitutiones Societatis Hibernicae a S. Columbano pro Missionibus ad Sinas definitive approbantur (*A. A. S.*, XXIV, 380).

Designatio curiae appellationis in Vicariatu Sinensi.

B. *Designatio pro appellationibus:* Vicarius Apostolicus de Than - Hoa designavit pro appellationibus a suo tribunali Vicarium Apostolicum de Vinh (*A. A. S.*, XXIV, 407).

14. — Provisio Ecclesiarum

Decretis S. C. Consistorialis nominati sunt:

Susa (Italia).

24. iun. 1932, R. D. Humbertus Ugliengo, episcopus Segusiensis.

San Marco e Bisignano (Italia).

24. iun. 1932, R. D. Demetrius Moscado, episcopus S. Marci et Bisianensis.

Sovana-Pitigliano (Italia).

24 iun. 1932, R. P. Stanislaus Hamilcar Battistelli e Cong. Cler. excalc. Ss.mae Crucis et Passionis D. N. I. C., episcopus Soanensi-Pitilianensis.

Salt Lake (U. S. A.)

1 iul. 1932, R. D. Iacobus Kearney, episcopus Lacus Salsi.

Segna (Iugoslavia).

1 iul. 1932, R. P. Ioannes Starcevic, episcopus Seniensis cum perpetua admistratione Ecclesiae Modrussensis.

Medellin (Colombia).

7 iul. 1932, R. P. D. Tiberius Salazar, ex episc. Manizalensi, Coadiutor cum iure futurae successionis R. P. D. Emmanuelis Iosephi Cayzedo y Cuero archiepiscopi Medellensis.

Pinsk (Polonia).

10 iul. 1932, R. D. Casimirus Bukraba, episcopus Pinskensis.

Braga Portogallo)

14 iul. 1932, R. P. D. Antonius Benedictus Martins Iunior, ex. ep. Brigantiensi, Coadiutor cum iure futurae successionis R. P. D. Emmanuelis Vieira de Mattos archiepiscopi Bracharensis.

Augusta (Baviera).

23 iul. 1932, R. D. Franciscus Imberti, episcopus Augustanus.

Nome di Gesù, Cebù (Filippine).

29 iul. 1932, R. D. Gabriel Reyes, episcopus Ecclesiae Nominis Iesu seu Caebuanae.

Iaca (Spagna).

11 aug. 1932, R. D. Salvator Russo, episcopus Iacensis.

Valence (Francia).

16 aug. 1932, R. P. D. Camillus Pic, ex. ep. Vapincensi, episcopus Valentinensis.

16 aug. 1932, R. P. D. Mauritius Felten, ex. ep. Trecensi, archiepiscopus Senonensis. *Sens (Francia).*

16 aug. 1932, R. D. Fridericus Lamy, episcopus Ambianensis. *Amiens (Francia).*

16 aug. 1932, R. D. Augustus Bonnabel, episcopus Vapincensis. *Gap (Francia).*

16 aug. 1932, R. D. Patricius Flynn, episcopus Nivernensis. *Nevers (Francia).*

16 aug. 1932, R. D. Georgius Louis, episcopus Petrocoricensis. *Perigueux (Francia),*

16 aug. 1932, R. D. Iohannes Pays, episcopus Carcassonensis. *Carcassone (Francia).*

9 sept. 1932, R. D. Conradus von Preysing, episcopus Eistettensis. *Eichstätt (Baviera).*

12 sept. 1932, R. D. Ferdinandus Ricca, episcopus Drepanensis. *Trapani (Sicilia).*

12 sept. 1932, R. D. Petrus Legge, episcopus Misnensis. *Misnia (Sassonia).*

16 sept. 1932, R. D. Iacobus Zaffrani, episcopus Guastallensis. *Guastalla (Italia).*

16 sept. 1932, R. D. Paulus Galeazzi, episcopus Grossetanus. *Grosseto (Italia).*

16 sept. 1932, R. D. Petrus Capizzi, episcopus Campaniensis. *Campagna (Italia).*

16 sept. 1932, R. D. Idilius Soares, episcopus Petrolinensis. *Petrolina (Brasile).*

19 sept. 1932, R. D. Theodorus Innitzer, archiepiscopus Vindobonensis. *Vienna (Austria).*

5 oct. 1932, R. D. Sebastianus Briacca, episcopus Montis Regalis in Pedemonte. *Mondovi (Italia).*

7 oct. 1932, R. D. Aloisius Antonius de Almeide, episcopus Brigantiensis. *Braganza (Portogallo).*

20 oct. 1932, R. P. D. Iacobus Aloisius Copello, ex ep. tit. Aulonitanus, episcopus Bonaërensis. *Buenos Aires (Argentina).*

20 oct. 1932, R. D. Nicolaus Fasolino, episcopus S. Fidei in America Meridionali. *Santa Fè (Amer. merid.).*

20 oct. 1932, R. D. Vincentius Peira, episcopus Catamarcensis. *Catamarca (Argentina).*

25 nov. 1932, R. D. Ioseph Rolla, episcopus Foroliviensis. *Forlì (Italia).*

25 nov. 1932, R. D. Arthurus Melanson, episcopus Gravelburgensis. *Gravelbourg. (Canadà).*

15. — Nominationes

Brevibus Apostolicis nominati sunt:

21 iul. 1932, R. P. Jacobus Mangers, e Soc. Mar., Vicarius Ap. de Oslo. *Oslo (Norvegia).*

21 iul. 1932, R. P. Mathias a Strijp, O. M. C., Vicarius Apost. de Padang. *Padang (Sumatra) Malesia.*

Decretis S. Cong. de Prop. Fide nominati sunt:

Bulawayo (Rhodesia). 11 nov. 1932, R. P. Ignatius Arnoz, e Congr. Miss. de Mariannhill, Praefectus apostolicus de Bulawayo.

Cuttack 11 nov. 1932, R. D. Florentius Sanz Esparza, e Congr. Miss., Superior ecclesiasticus Missionis de Cuttack.

Shihtsien (in Sinis). 11 nov. 1932, R. P. Aloisius Baumeister, e Mission. SS. Cordis, Superior ecclesiasticus Missionis de Shihtsien.

Tukuyu (Africa centr. 11 nov. 1932, R. P. Maximilianus Donders, e Congr. Mission. Africae, Superior ecclesiasticus nuper erectae Missionis de Tukuyu.

Orinoco Superiore (Venezuela). 14 nov. 1932, R. P. Henricus de Ferrari, e P. Soc. Salesiana B. Ioan. Bosco, Praefectus apostolicus novae praefecturae de Orinoco Superiore in Venezuela.

Opus a Prop. Fide in Lituania. 17 nov. 1932, R. D. Stanislaus Iokubanskis, Praeses Pont. Operis a Prop. Fidei et Piae Union. Cleri a missionibus pro Lithuania.

16. — Necrologium

Calicut. (Indie inglesi). 28 iun. 1932, D. Paulus Perini, episcopus Calicutensis.

Città di Castello (Italia). 7 iul. 1932, D. Carolus Liviero, episcopus Civitatis Castelli.

Armidale (Australia). 15 iul. 1932, D. Patricius Iosephus O' Connor, episcopus Armidalensis.

Siracusa (Italia). 16 iul. 1932, D. Iacobus Carabelli, archiepiscopus Syracusanus.

Ventimiglia (Italia). 3 aug. 1932, D. Ambrosius Daffra, episcopus Ventimiliensis.

Syracux (U. S. A.). 3 aug. 1932, D. Daniel Curley, episcopus Syracusensis.

Helena (U. S. A.). 14 aug. 1932, D. Georgius F. Finnigan, episcopus Helenensis.

Forlì (Italia). 22 aug. 1932, D. Raimundus Iaffei, episcopus Foroliviensis.

Roma 30 aug. 1932, Em. Card. Gulielmus Van Rossum, Praefectus S. C. de Propaganda Fide.

Gerona (Spagna). 1 sept. 1932, D. Iosephus Vila y Martinez, episcopus Gerundensis.

Presor (Cecoslovachia) 5 sept. 1932, D. Stephanus Nowak, episcopus Eperiensis Ruthenorum.

Braga (Portogallo). 28 sept. 1932, D. Emmanuel Vieira de Mattos, archiepiscopus Bracarensis.

Siena (Italia). 29 sept. 1932, D. Prosper Scaccia, archiepiscopus Senensis.

Clermont-Ferrand (Francia). 13 oct. 1932, D. Franciscus Marnas, episcopus Claramontanus.

Quito (Equatore). 30 oct. 1932, D. Emmanuel Maria Polit, archiepiscopus Quitensis.

Quaretaro (Messina). 14 nov. 1932, D. Franciscus Banegas, episcopus de Queretaro.

Pesqueira (Brasile). 24 nov. 1932, D. Iosephus de Oliveira Lopes, episcopus Pesqueirensis.

BIBLIOGRAPHIA

I. Ex Libris

Mgr. Ruch. *La Piété envers la Patrie.* Vol. (14,5 × 23), 75 pag. Paris, Letouzey et Ané, 1933.

I. La piété envers la Patrie, d'après Saint Thomas d'Aquin. II. Devoirs envers la Patrie, d'après les quatre derniers papes.

Angelo Brucculeri (S. I.). *Il Pensiero Sociale di S. Agostino.* Vol. (16 × 24), 338 pag. Roma, La Civiltà Cattolica, 1932. Lit. 20.

La proprietà — Il lavoro – La famiglia — La religione.

C. Barthas. *Évangile et Nationalisme.* Essai d'Exégèse et d'Histoire. Vol. (16,5 × 25), 462 pag. Paris, Éditions Spes, 1933. 50 frs.

Préliminaires: Nationalisme et nationalités avant le Christ. I. Le nationalisme païen; II. Le nationalisme hébreu; III. Rome et Israël. — I Partie: Jésus et le nationalisme des sentiments. — II Partie: Iésus et le nationalisme des ambitions. — III Partie: Iésus et le nationalisme des partis. — IV Partie: Le patriotisme de Iésus. Conclusion: I. Principes généraux de solution; II. Le nationalisme psychologique devant l'Évangile; III. Le nationalisme juridique devant l'Évangile; IV. « Nationalisme » ou « patriotisme » ?

Matthaeus Conte a Coronata (O. M. C.). *Institutiones Iuris Canonici ad usum utriusque cleri et scholarum. Volumen III.* De Processibus. Vol. (15 × 22,5), 669 pag. Taurini, Marietti, 1933. Lit. 30.

Liber quartus: De processibus — *Pars I. De Iudiciis* — Sectio Prima: De Iudiciis in genere. (Tituli XVII) — Sectio Secunda: De peculiaribus normis in certis quibusdam iudiciis servandis. (Tituli XVIII-XXI) — *Pars II. De causis Beatificationis Servorum Dei et Canonizationis Beatorum.* (Tituli XXII-XXVI) — *Pars III. De modo procedendi in nonnullis expediendis negotiis vel sanctionibus poenalibus applicandis.* (Tituli XXVII-XXXIII) — Appendices.

E. Duplessy (Ch.). *Cours de Religion en forme de petits prônes.* Troisième série: Les Sacrements à recevoir. Vol. (12×18,5), VIII-321, 485 pag. Paris, P. Téqui, 1932. 6 Fr.

La grâce. - La prière. - Les sacrements: A. Notions générales; - B. Le baptême et la confirmation; - C. La pénitence ; - D. L'eucharistie; - E. L'extrême-onction ; - F. L'ordre. - G. La vie religieuse. - H. Le mariage.

Marius Pistocchi (Can. Dr.). *De Suspensione ex informata conscientia,* C. I. C. L. IV. - P. III. - Tit. XXXIII. Vol. (13 × 20), VIII - 128 pag. Torino, Marietti, 1932. Lit. 5.

Natura et historia instituti - Procedura sequenda - Sollemnitates - Substitutio suspenso - Probationes requisitae - Iustae causae et cum his adiuncta - Sufficiens causa - Facultates Ordinario tributae et munera - De recursu ad Sedem Apostolicam.

Georges Legrand (Prof.) *Précis de Sociologie.* Quatrième édition: revue et mise à jour. Vol. (12 × 19), 336 pag. Louvain, Soc. d'Études morales, sociales et juridiques, 1933. 15 Fr.

Le sens Social - L'Individu et la Société - La notion générale de Société - La Société religieuse - La Société familiale - La Société civile - Nationalisme et internationalisme - L'idéal spirituel collectif et la mission sociale de l'art - La population - Le travail - La propriété - L'Hérédité - Le groupement économique et son développement historique - L'organisation économique moderne: 1. La production: 2. L'échange: 3. Le crédit.

— *La Cité de Dieu et la Prière Liturgique* (études religieuses n. 303). Broch. (13 × 17.5), 18 pag. Liège, La Pensée Catholique, 1932. — *La Profession* (études sociales n. 44). Broch. (13 × 17.5), 22 pag. Liège, La Pensée Catholique, 1932.

Rev. Fr. Juan Ylla (O. P.). *The part of the State in regard to subsidiary compensation.* Vol. (15 × 23), 73 pag. Manila, S. Tomas University Press, 1930.

— *Studies in Canon Law.* - Synthesis of Legislation concerning The Mass pro populo. (Vol. 15.5 × 23), 37 pag. Manila, U. S. T. Press, 1932.

Lusseau (Abbé) - **Collomb** (Abbé). *Manuel d'Études Bibliques. Tome IV. Les Évangiles.* Vol. (14 × 23), VII-907 pag. Paris, P. Téqui, 1932. 45 Fr.

Préliminaires: Notions générales sur les Évangiles. 1. Introduction aux Évangiles. - 2. Analyse commentée des quatre Évangiles. - Livre I. L'Enfance et la vie cachée de Notre-Seigneur Jésus-Christ. - Livre II. Le vie publique de Notre-Seigneur Jésus Christ. - 1. Préliminaires de la vie publique. - 2. Le ministère du Sauveur en Judée. - 3. Ministère de Jésus en Galilée. - 4. Ministère dans la Décapole et la Tétrarchie de Philippe. - 5. Ministère en Pérée. - Livre III. La cène du Seigneur. La Passion. La vie glorieuse.

Moënner (Ch.). *Autour du Clocher. Entretiens dominicaux sur la Paroisse, l'Eglise, le Clergé et les Fideles.* Vol. (12 × 19), IX-278 pag. Paris, P. Téqui, 1932. 12 Fr.

Introduction. - L'Église. - Le Clergé. - Les Fidèles. - Conclusion.

(*Continuabitur*).

PARS ALTERA

MONUMENTA

17. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Sacrum Consistorium habitum die 13 martii

DE VARIIS NEGOTIIS (1)

In Consistorio secreto quod SS. Dominus N. Pius Pp. XI die 13 martii in palatio Vaticano habuit, exquisita sunt vota Em. Cardinalium de canonizatione Beati Huberti Fournet; Em. Card. Cerretti insigne recepit quo hoc anno designatus est S. R. E. Camerarius, et, habita allocutione, electionem Ven. D. Avedis Petri Arpiarian in Patriarcham Ciliciae Armenorum, et Ven. D. Antonii Arida in Patriarcham universae Maronitarum Ecclesiae confirmavit. Subinde sex novos Cardinales creavit, praeter duos quos SS. Dominus in pectore reservavit; Cancellarium S. R. E. indicavit Em. Card. Boggiani; suburbicariam Sedem Praenestrinam commisit Card. Sincero; Veliternam, Card. Cerretti; simulque admisit optionem Card. Diaconi Mori pro ordine presbyterali. Denique non paucis Ecclesiis pastorem providit.

Cardinales autem creati sunt:

ANGELUS MARIA DOLCI, in Romania Nuncius Apostolicus,

PETRUS FUMASONI BIONDI, in Foederatis Americae Civitatibus Delegatus Apostolicus,

MAURILIUS FOSSATI, Archiepiscopus Taurinensis,

RODRIGUUS VILLENEUVE, Archiepiscopus Quebecensis,

(1) Ex *Osservatore Romano*, 13-14 martii 1933.

ELIAS DALLA COSTA, Archiepiscopus Florentinus,
THEODORUS INNITZER, Archiepiscopus Vindobonensis.

Allocutio autem Consistorialis haec fuit.

I. Laeta eventa.

Venerabiles Fratres,

Propositum Pontificis in hac oratione.

Iterum vos, post temporis intervallum, non una de causa praeter communem consuetudinem diuturnum, in hunc sacri Consistorii consessum convocatos habemus: atque adeo acta, celebrationes, laeti tristesque eventus, quae, post Consistorium die XXX mensis Iunii, anno MDCCCCXXX habitum, inciderunt, frequentiora profecto sunt, neque ea possumus nisi presse breviterque attingere.

Memorat enc. litteras Casti connubii *et* Quadragesimo anno.

Quodsi in hisce rebus Encyclicas Litteras Constitutionesque « Casti connubii », « Quadragesimo anno », « Deus scientiarum Dominus » primum obtinere locum putamus, id ea ratione facimus, ut summae harum rerum gravitati debitum tribuamus honorem, utque denuo ex animo Nostro actuosam voluntatem sollicitudinemque expromere liceat, qua incensi impulsique sumus ad domestici convictus sanctitudinem tutandam, ad aequam operariae plebis condicionem inducendam, ac denique ad amplius vigentiusque sacrarum disciplinarum incrementum, pro facultate, provehendum.

Concordatum cum Badensi civitate.

Ac suapte natura in gravioribus Apostolicae Sedis actis eae Conventiones annumerantur, quae idcirco initae sunt, ut Religionis atque Ecclesiae condiciones in Civitatibus ordinentur: prout pactum, quod *concordatum* vocant, nuperrime cum Badensi Civitate conventum, tertium quidem recentiore hac aetate in Germania actum.

Laetatur congressu eucharistico Dublinensi, et iubilaeo Lapurdensi;

Ex variis ac paene innumeris celebritatibus, in quibus, datis litteris Nostrisque missis e sacro Ordine vestro Legatis, vel in divinum Regem, eucharisticis velis delitescentem, honorem atque amorem, vel qua filii pietatem debitumque gloriae decus erga magnam Dei Nostrique Matrem participavimus, illarum subit recordatio animum, et Eucharistici nempe Conventus, Dublini habiti, et LXXV exeuntis anni, ex quo se Lapurdi Immaculata Virgo conspiciendam dedit. Hoc ex oppido, ex prodigiali scilicet eius specu, Deipara Virgine bene Nobis precant, fere duodecim abhinc annis, profecti sumus, ut dilectam Nobis Mediolanensem Archidioecesim, ad breve tempus regendam, susciperemus; ad Dublinensem vero civilitatem, non modo litteras

Nostras Nostrumque Legatum mittere, sed vivam etiam vocem Nostram transfundere datum est; ed Eucharisticum videlicet illum Coetum, quem hinc fides ac pietas, illinc ingeniosa ac, pro temporum angustiis liberalissima Hibernorum gentis incepta, Nobis quidem carissimae, — hoc est Episcoporum, cleri populique — cum dignum prorsus « Sanctorum Insula », tum in historiae fastis admirabilem effecerunt, quae tot refert, veri nominis gloriam redolentes, Eucharisticos ex omnibus nationibus Conventus.

de profectu ecclesiasticarum circumscriptionum.

Praeclaris hisce Catholicae Ecclesiae fastis atque extraordinariis virtutis vigorisque eius documentis, non sine gaudio ac solacio, cotidiana ea respondent vitae laborisque eius incrementa, quae nimirum eo spectant, ut humani generis Redemptio largius in dies uberiusque ad effectum deducatur.

De profectu atque progressione intellegi volumus ecclesiasticarum circumscriptionum, seu in iis regionibus, in quibus Dioecesium regimem legitime est constitutum, seu in eis, in quibus Missionales adhuc rem christianam provehunt, quaeque eorumdem opera reguntur; de frugifero agimus consolationeque referto opere tribus illis sacris Consiliis demandato — Consistoriali scilicet Congregationi, Congregationi item Orientali Ecclesiae praepositae, eique, quae propagandae fidei destinatur; — quod quidem opus, ut omnes norunt, id enititur ut copiosiores postremis hisce temporibus lectosque fructus colligat et mystico Iesu Christi corpori adiiciat atque inserat: infideles nempe ad christianam fidem conversos — ibi procul dubio frequentiores, ubi crebriores sunt sacrorum ex indigenis administri — atque acatholicos et orientalium rituum dissidentes filios, qui, veluti optatissimum ab exilio in patriam reditum facientes, ad Romanam unitatem se feliciter receperunt. Heic igitur immortales Deo grates agimus; itemque gratum profitemur animum et Orientis Episcopis ceteroque clero, ob apostolicum eorom studium, et, ob collatam concorditer operam, latini ritus Missionalibus religiosisque sororibus, qui in Orientali Ecclesia apostolatus munere funguntur; immortales praesertim grates agimus, ob actuosam voluntatem, ob christianam animorum fortitudinem, ad strenuum saepenumero heroum morem adactam, tot carissimis filiis Nostris in unam redeuntibus communis Patris domum.

Iterum Actionem catholicam *commendat.*

Ad quod quidem divinae Redemptionis supernaeque vitae incrementum, adiutricem pretiosamque operam navarunt atque adhuc, assiduitate ardorisque contentione summis laudibus honestandis, navant, non modo Pontificia Opera Missionalia, sed-

Catholica etiam *Actio* quae numquam praesentior, operosior numquam est, quam quotiens Episcoporum ceterique cleri Apostolatum participare potest. Haec incepta profecto atque adiutrix opera in catholicorum etiam regionibus christianae vitae fructus edidere non paucos, eosdemque salutiferos atque optimos. Religiosam institutionem dicimus — primam atque prae rebus omnibus necessariam; — quae magis cotidie magisque augetur atque diffunditur, quae in aptiorem cotidie ordinem, redigitur, quaeque, etsi non ubique, recens invectis pervulgationis viis rationibusque proficit atque amplificatur. Eucharisticam dicimus pietatem ac vitam, quam largiore diligentioreque frequentatione, alacriore perspicacioreque fervore cum singuli, tum communitates ac populares ordines colunt ac refovent. Crebriorem dicimus atque studiosiorem Spiritualium Exercitiorum usum, non modo ad sacrorum administros quod attinet, sed etiam ad laicorum hominum multitudinem, eorum nominatim, qui vel disciplinarum studiis se dedunt, vel in fabriles artes incumbunt. Denique increbrescentem dicimus profectum eorum caritatis certaminum, quae privatim publice suscipiuntur, quaeque — cum nondum remittat, nedum considat, oeconomicarum rerum discrimen — et tempestiva admodum videntur et pulcherrimum praestant christiani afflatus ac spiritus perfectumque documentum.

Gaudet de largiore SS. Eucharistiae frequentatione, de crebriore usu Exercitiorum spiritualium; de profectu certaminum caritatis.

Neque silentio praeterire possumus, quin immo Nostris laudibus exornare cupimus, Vincentianos illos coetus quorum plenum a constitutione saeculum nullum praeconium potest satius luculentiusque celebrare, quam eorum rationaria; quae quidem amplissimam per universum terrarum orbem eorum efficacitatem, succrescens providentiaeque plenum eorum incrementum atque mirabilem ad animis corporibusque medendum caritatis vigorem patefaciunt. Postulat praeterea paterni gratique animi Nostri voluntas, ut, quae multis locis exstant, caritatis contentiones efferamus ac praedicemus, quae anxiis sollicitisque hortationibus respondentes, a Nobismet ipsis atque adeo a Venerabilibus fratribus Episcopis habitis, fere ubique conflantur, ut promptius faciliusque locorum necessitatibus occurrant.

Laudibus effert Vincentianos Coetus;

Actionem Catholicam memoravimus; perbrevi, quam fecimus, mentioni, contineri non possumus quin hoc persequendo adiiciamus: non mediocri Nos, eoque intimo, solacio idcirco affici, quod eam videamus ubique gentium institui mirandumque in modum incrementa capere; idque procul dubio ob pastorales Episcoporum curas, quibus sacrorum laicorumque hominum

Insistit denuo in incrementis Actionis catholicae, et inde largiter effusis seminibus vocationum ecclesiasticarum.

ordines generose obsequuntur. Paene innumerabilia sunt, quae ex omnibus orbis partibus, ne praetermissis quidem sacrarum Missionum regionibus, continenter accipimus, huius rei testimonia; quibus liquido patet maxima eam et omnibus apostolatus operibus et christianae vitae incolumitati atque profectui adiumenta conferre. Quod quidem ad « meliorum usque charismatum » aemulationem enititur, ad perfectionem, sanctitudinemque; ad pie operoseque orantis militantisque Ecclesiae vitam participandam; ad multiplicem usque, pro variis locorum rerumque adiunctis, operam navandam, — eamdemque studiosam usquequaque semper atque sollertem — ut animarum quaestus fiat iteratumque lucrum: earum maxime animarum, quae, vel ob materialistarum deliramenta atque fallacem ethnicorum doctrinam misere decipiuntur, vel ob vulgo inductas rationes, Societatis Religionisque ordini infensissimas — teterrimum id quidem ulcus, quod deteriores cotidie animis corporibusque continuo minitatur ruinas — tranvorsum aguntur.

Iamvero Deus ipsemet, certis datis indiciis, eidem Actioni Catholicae probationis suaeque gratiae causa, dulce leniterque arridere visus est, cum in eam, in varios nempe eius ordines, quam Nos etiam atque etiam in oculis ferimus, arcano lectissimaque largiter effudit ecclesiasticae vocationis semina.

Indidem pronum est, sicubi ea atque interdum angustis adversisque rebus non caret, idcirco a Nobis — non sine incredibili solacio ac gaudio — divini eloquii sententiam districte eidem esse tribuendam, qua animi, aerumnis conflictati, Deoque cari, recreantur: « Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut probatio tentaret te » (Tob. XII, 13).

Gratus miratur quomodo potuerit opitulari ecclesiis terrae motu afflictis; aedificare maiora Seminaria, paroeciales aedes; novas erigere paroecias et templa; sacram ordinare Visitationem Urbis cuius beneficia grato erga Card. Vicarium eiusque adiutores animo recordatur.

Quodsi pressius etiam cogitationem allocutionemque Nostram ad eam mystici ovilis partem convertamus, quae proprius a Nobis abest, haud cunctanter asseverare debemus hanc ipsam maiorem propinquitatem impensius a Nobis operosiusque exquisivisse pastorale studium; eo vel magis quod peculiares diuturnae gravesque augustiae id postulare videbantur, quas ruinae vastitatesque Volturiensi, Anconitanae Senogalliensique regionibus a terrae motu illatae instantioris efficiebant potiorisque necessitatis. Atque vos, Venerabiles fratres, ad Deo Nobiscum referendas grates adhortamur, qui, insuetis non obstantibus horum temporum difficultatibus, opera, quae suapte natura ad spiritualia maximaque, eademque necessaria, beneficia parienda in posterum destinentur, vel auspicari, vel exsequi magnaque ex parte ad exitum adducere concesserit. De non paucis agimus sacrorum Seminariis, quae maiora vocant, quaeque recens iis

aliis ante acta aetate iam exstructis feliciter adiiciuntur; de plurimis agimus sacris ac paroecialibus aedibus, quae ad centum aliis itidem adduntur, quae iam in insulis fuere aut in continenti terra aedificatae; de novis denique paroeciis agimus, quae vel iam erectae, vel in eo sunt ut erigantur; de novis templis atque sacellis, quae in pomerio inque postremis Episcopalis Urbis Nostrae partibus, succrescenti populo frequentioribus, excitata iam sunt vel in praesens efficienter apparantur; de sacra postremo dicimus Apostolica Visitatione, quae in hac eadem Urbe habetur, quaeque — sollicitam dilecto filio Nostro in Romana Dioecesi Vicario eiusque adiutoribus conferentibus operam — iamdiu exoptata parit in animosque inducit uberrima beneficia; eidem igitur suisque adiutoribus omnibus gratam libenter significamus voluntatem Nostram.

Grato quoque animo recolit translationem Universitatis SS. Cordi dicatae in novam Sedem Ambrosianam, et, non obstante crisi, exaequatus superiorum annorum exitus diei Universitati studiorum dicatae.

Ac praeterea grati in Deum hominesque animi Nostri officio deesse putamus, si studiorum Universitatem Sacro Iesu Cordi dicatam, itemque incepta duo, quae ad eam attinent, silentio praetereamus. Quorum primum sollemnis est atque annalibus inserenda eius in amplissimam sedem translatio, quam quidem sedem, non sine providentis Dei nutu atque consilio, ibi apparari licuit, ubi sanctissimi illius ingenioque praestantis viri, Ambrosii nempe Ecclesiae Doctoris, memoria sospes adhuc volitat ac veluti efficiens excitat. Utique translatio eiusmodi — adiutrice divina humanaque ope — ita evenit, ut res prorsus miranda visa fuerit. Neque minus miranda res inceptum alterum Nobis videtur: dies scilicet, studiorum Universitati dicatus, nuperrime, ut nostis, ubique celebratus. Qua in causa, haud parum est et diligentissimae incepti eiusdem ordinationi, et Episcopis ceteroque clero, et eorumdem adiutoribus tribuendum; nihilo secius, si felicissimum superiorum annorum exitum exaequare potuimus — quod pro oeconomicarum rerum condicionibus ubique gentium adhuc in angustias redactis, incredibile prorsus ac praeter omnium facultatem videbatur — id procul dubio ex pia oritur christifidelium cuiusvis Dioecesis, cuiusvis paroeciae, vel humillimae atque pauperrimae, ex eorum sollerti proficiscitur, magnanimaque saepenumero liberalitate. Quamobrem, postquam Deo optimo maximo cordatisque hominibus universis grates ex animo egimus, temperare Nobis non possumus quin Nationi etiam gratulemur, non modo quod idem exitus, in difficillimis rerum adiunctis, satis secundum oeconomicarum eius rationum indicium evadit, sed etiam — quod pluris est — quia certus hoc index exstat tam bene omnes esse animatos, ut, in quovis civium ordine, studiorum Universitatis

momentum atque opportunitas et perpendatur omnino, et, vel in gravissimis temporibus, ad veri nominis iacturas faciendas atque incommoda toleranda animos commoveat.

II. Trista et minarum plena.

II. Iamvero, si inde, quod laetum est, faustum auspicium sumere licet in novum annum; tristia non desunt tamen, proh dolor, quin immo affluunt, minarum plena. At quid in praesentia dicamus quod omnes exploratum non habeant, eorumque paene oculis non obversetur?

Dubia nationum omnium condicio. Immodica consilia Nationalistarum.

Illa permanet atque indurescit, anceps, dubia nationum omnium condicio; ob suspiciones trepida; ob adversantia commoda turbida, anxia; obque non consentaneas ac saepius repugnantes rationes, quas non aequa atqua immodica Nationalistarum consilia invehunt, requiete carens atque adeo metuenda. Quorum profecto consilia atque proposita, ut nihil aliud magis, verae hominum populorumque fraternae necessitudini prorsus officiunt atque obstant, quae solummodo potest, per christianae caritatis praecepta, incitamenta, usum, radices agere suoque humore ali atque virescere. Caritatis huius virtute atque afflatu compulsi, pacem populis efferre atque praedicare numquam praetermisimus; atque adventantibus nataliciis Redemptoris sollemnibus, aliquam potuimus, etsi brevem, pacis requiem obtinere. Verumtamen et in veteris et in novi terrarum orbis parte circumstrepunt arma, atque ex cruentalis vastatisque regionibus vox fraterni sanguinis ad caelum clamat.

Ubique oeconomicarum rerum discrimen; coactum multorum otium.

Permanet, ut diximus, ubique gentium oeconomicarum rerum discrimen, ex quo acerbius tenuiores omnes vexantur: insontes nempe parvuli, veluti primi tenellique huius vitae flores; infirmi aegritudineque affecti; atque vel magis, ob graviora, quae incumbunt, incommoda, aetate grandiores, defessi iam longoque itenere confecti. Spiritualibus externisque in rebus ex eo praeterea conflictantur operari atque opifices, quibus non ea tantummodo deest, quam digne mereri possunt, aequa merces, sed opera etiam ac labor; atque adeo ad coactum otium adiguntur, ex quo hinc pericula proficiscuntur allectationesque, illinc impensae, difficultates sollicitudinesque gignuntur et civili societati universae et iis, quorum eadem officio conformanda tuendaque concreditur. At sunt utique qui ex huiusmodi rerum molestia atque egestate commodum exquirunt, triste equidem commodum atque utilitatem: ii nempe, qui politico, civili religiosoque ordini adversantur. Contra hominum consortionem, contra Religionem sanctissimam, contra denique ipsum Deum hi bellum conflant atque urgent. Novimus profecto omnes interneciva, quae omnia permiscent, sententiarum eorum

Ex molestia et egestate quaesitum commodum inferendi bellum religioni atque ipsi Deo, in infelicissimis Russiae regionibus; in Hispania, in foederatis Mexici Civitatibus, et in media Europa.

deliramenta; ac facinora, vel recens ac nuperrime edita, plusquam satis ostendunt allaborare eos, toto pectore omnibusque viribus, ut incepta sua pravaque consilia ad exitum perducant. Quod iam diu continenterque accidit in immensis, iisdemque infelicissimis, Russiarum regionibus; quod in Hispania; quod in foederatis Mexici Civitatibus; quod denique in angustioribus amplioribusque mediae Europae Nationibus; id nimio luculentius patefacit quid timendum sit ubicumque invehitur — atque quonam, venerabiles fratres, non advehitur? — nefasta eorum doctrinae pervulgatio, nefandius etiam incitamentum.

Pericula denuntiantur et remedia demonstrantur, quae suprema sunt iustitiae caritatisque principia et primaria praecepta quae in sola Ecclesia catholica perfectam explanationem assequuntur.

Tametsi, ad recentiora usque tempora, uni Romano Pontifici cordi erat gravia, quae in christiana civilis cultus instituta fere ubique populorum impendent, pericula denuntiare, qui procul dubio eiusdem christiani cultus beneficiis fruuntur, necessariis prorsus maximaque aestimatione dignis; itidemque haud minus cordi erat praecipua remedia ac munimenta veluti digito demonstrare, quae et suprema sunt germanaque iustitiae caritatisque principia, et primaria immortaliaque praecepta de animarum praestantia, de hominis dignitate, origine ac fine, deque iis, quae eidem intercedunt cum Creatore, Redemptore, Domino ac Iudice Deo, rationibus peculiarissimis, cumque proximis suis ceterisque rebus omnibus. Quae utique praecepta ac disciplinae in Catholica dumtaxat Ecclesia perfectam assequi possunt explanationem, inviolatam incolumitatem, inerrantem interpretationem. Quapropter civilis ordinis humanaeque consortionis osores, licet cuiusvis religiosae doctrinae ipsiusque Dei inimicos se iactent — absque Deo, contra Deum! — Catholicae tamen Religioni atque Ecclesiae imprimis, nullaque interposita mora, iniurias inferunt; cum sacrosanctis rebus omnibus profanatione contumeliaque lacessitis, tum calumniis illatis, atque corrupta ex occulto historiae doctrinaeque fide, tum denique iis, quae in societate universisque nationibus exstant rationibus, commeatibus commerciis ad pravum usum adductis, tum postremo veri nominis insectationibus vexationibusque instructis atque provectis quemadmodum in supra memoratis Nationibus contigisse lamentamur. Qua in re, ius iustasque leges vi interdum licentiaque supplent; interdum vero novas leges, quas iustitia non reprobare non potest, quasi sceleris socias efficiunt atque edunt. Nos igitur vocem attollentes Nostram, non modo veritatis, iustitiae humanitatisque atque ipsius omnium gentium saluti prosperitatisque causae patrocinari non desistimus neque in posterum intermittemus; sed magis etiam magisque, ut divina tueamur iura, utque liberae hominum conscientiae iura vin-

Humanae consortionis osores qui se Dei inimicos iactant multis artibus et ipsa vi maxime sunt Ecclesiae catholicae infensi.

Paterno animo Pontifex vocem attollit, Nationes populosque rogans ut damna considerent quae ex

dicemus, quos universae paternitati Nostrae demandatos habemus, omni prorsus ope elaboraturi sumus. Qua paternitate permoti, Nationes populosque omnes considerent rogamus, ob tot tantaque lamentabilium rerum gesta, ubicumque Ecclesia clam aperte lacessitur, atque eius frugifera sanctitudinisque effectrix opera, ad iuvenes potissimum quod attinet, conflictata praepeditur, necessario ibidem pergravia damna conflari, et animis, et corporibus et fluxis rebus ipsis nocitura.

Iacessita Ecclesia oriuntur. Ordinis subversores sic ipsi agnoscunt praesidium ordinis et religionis quod est in Ecclesia catholica.

Nefanda horum Dei inimicorum agendi ratio, quae cotidie magis increscit atque pervulgatur, haec Nobis persequenda innuunt atque suadent, quae omnibus, ipsisquemet utilia fore confidimus. Exploratum habetis, Venerabiles fratres, hos cuiusvis ordinis subversores — domestici, inquimus, socialis atque politici — in Deum, in quamlibet religiosam doctrinam, at in catholicam praecipue religionem atque Ecclesiam perpetuos convertunt acerrimosque conatus.

Nonne hinc liquido patet vel ab iisdem Deum religionemque catholicam, tutissima equidem propugnacula ac praevalidam haberi earum rerum omnium munitionem, quas ipsimet oppugnare atque evertere contendunt?

Nullo non tempore, proh dolor, inimici exstitere infitiatoresque Dei, quos, vel cum in imo tantum animo inimicitias atque infitiationes huismodi occulunt (Ps. XIII, 1; LII, 1), Sacrae Litterae stultos insipientesque passim appellant; cum vero Dei Spiritus impios in multigenam turbam coalescere cernit, (*Sap.* IV, 3 sqq.) eorum item molimenta conatusque, Summo Dei Numine coelitus irridente ac dissipante, in irritum cedere conspicit; siquidem creata omnia omnium Creator in suam ipse ultionem armabit, universumque terrarum orbem contra insensatos pugnare iubebit (*Sap.*, V, 18, 21).

Semper fuere inimici infitiatoresque Dei, quos s. Litterae stultos appellant.

Ecquid mente heic non reputamus quantopere hoc, quod in Deum geritur, bellum, omnium sane impiissimum, originem fontemque calamitatum, cum oeconomicarum tum bellicarum, haberi oporteat, quibus ubique terrarum tam acriter excruciantur homines?

In impiissimo bello quod in Deum geritur est fons calamitatum quibus homines excruciantur.

Ad Catholicam Ecclesiam quod attinet, et multa eandem esse ad hunc usque diem perpessam novimus, et multa in posterum quoque passuram esse providemus; ipsius namque Conditor praeclamur non modo ei praenuntiavit, ac veluti testamento legavit insectationum aerumnarumque tolerandarum principatum, ex Dei nempe, veritatis probitatisque hostibus; verum etiam ad perpetuum ac praeclarum proelium eam instruxit,

Ecclesiae catholicae ipse Conditor praedixit insectationes et securitatem spopondit.

quod contra infernas potestates errorisque tenebras sit suscipiendum.

At eidem uni spopondit Sponsae suae Christus Dominus se omnibus diebus cum ea esse mansurum, neque unquam adversus eam portas inferi esse praevalituras. Decies enim noviesque revoluta saecula a divina peracta Redemptione promissum id fieri testantur : osores insectatoresque Christi Ecclesiae quovis tempore non defuere ; at cunctis circumquaque dilabentibus, ea tantummodo incolumis exstat, sospesque servatur, ac vel laetiore atque firmiore spe fulta in posterum tempus prospicit, etsi acerbioribus in praesens urgetur incommodis.

Deplorat conatus Protestantium in Italia et in ipsa Urbe.

De eo in primis intellegi volumus, qua cauto ac latenti, qua pervicaci ac indigno novatorum pervulgationis studio, qui per Italiam universam, Nostri Primatus dicionem, effrenate bacchantur, inque Romam ipsam irrepunt, Episcopalis honoris Nostri Sedem atque Urbem. At licet magis heic, quam alibi, ea Christi Domini verba *non praevalebunt* vim potestatemque suam obtineant ; gravior tamen heic Deo contumelia, maius rei religiosae animisque infertur detrimentum. Quam ob causam cum Nos ac Venerabiles in Episcopatu fratres, tum clerus ac christifideles omnes, at ii praecipue qui Actioni Catholicae adsciscuntur, eo officio obstringimur gravissimo, ut Deo illatas resarciamus iniurias atque damnis de quibus diximus, exstructo veluti aggere obsistendo, medeamur. Rei denique prospicientes divinamque opem precando conciliantes, sollertem operam navemus nostram, ut ingruentia mala praevertamus, pretiosiorem Urbis Nationisque thesaurum tueamur, quem maiores nostri hereditatem tradiderunt, hoc est fides christianaeque vitae instituta. Memoratum asseclas sibi conciliandi studium aliis obest utilitatibus, aliis etiam officit privatis publicisque bonis, quorum onus ea dumtaxat ratione Nostri officii est suscipere, quatenus in spiritualem illam omnium paternitatem recidit, quam Deus Nobis concredidit.

Deplorat baptismum acatholicae infantulae regiae ministratum, quo cum canones tum pollicitationes Ipsi datae violantur.

Nuncium illud deinde significamus, quo Nos necopinantes haud moleste affici non potuimus, ob regiam infantulam acatholico ministro baptizandam oblatam, sacris canonibus (Cod. I. C., can. 2349, § 3) violatis, itemque legitimis apertisque pollicitationibus posthabitis, quae Nobis, re penitus cognita, datae fuerant, quasque, tempore prae ceteris sane gravissimo ac sollemni, cum scilicet regales inirentur nuptiae — unde non mediocres Nobis sunt molestiae exortae (Cfr Sermonem ad S. Collegium et ad Prael. die 24 Dec. 1930 habitum) — regales pariter manus exaraverant atque obsignaverant ; eaque omnia,

quamvis ne lex quidem, quam *Constitutionalem* vocant, nullam violationibus huiuscemodi causam praeberet. Quas quidem pollicitationes, cum Nosmet, apostolico adacti munere, condicionem dedissemus, iidemque suscepissent, ut maximi momenti dispensationes permitterentur, haud firmissime confidere non poteramus, quin promissum ea fide exsolveretur, quae augustos viros addecet in primis. At contra est factum. Quapropter cum istiusmodi rei rumor, Bulgariae fines praetergressus, ad alios etiam populos pervenerit, omnibus in admirationem, quam plurimis vero in offensionem adductis, demandati profecto Nobis officii esse ducimus, ne Coetus huius sollemnissimi praetermittamus opportunitatem, quin causae, de qua dicimus, onus, tum coram Deo tum coram hominibus, removeamus a Nobis. Quoniam vero de politica illius Nationis publicorum virorum interposita auctoritate mentio est facta, quasi de Civitatis commodis ageretur, hoc adiiciendo monemus, rem Nos, quae ad religionis conscientiam pertineat, cum regalibus dumtaxat ipsis viris deliberavisse.

Vehemens S. Pontificis reclamatio.

Divinum igitur postulat apostolici magisterii mandatum, ut, ob has magni ponderis causas, probos omnes invitemus, qui diligenter perpendant quantopere tranquillandis conformandisque animis non modo, verum etiam paci publicaeque incolumitati servandae, inopportuna eiusmodi ac noxia agendi ratio, idcirco adversetur, quod sacrosancta, ab iis qui praesunt, officia violentur. Exploratum equidem habemus ex certissimis documentis in quosnam rei gestae periculum recidat; ac novimus item non modo canonicis poenis sanctionibusque in maerentem matrem non esse Nobis animadvertendum, sed neque eidem renuendam esse Apostolicam Patris Benedictionem. Ipsa enim ab eiusmodi negotio alienam se profitetur, quod omni ex parte, se posthabita, actum est, cuique nec aperte nec tacite assensit. Cum vero quid essent facturi comperisset non satis ei virium facultatisque inerat, quibus repugnantem sententiam suam significaret.

Quodsi, ut accidit, reponunt — idque aliis suadere enituntur — se communi civium utilitati hac in re consuluisse, Nobis maerentibus divina ea, verba in memoriam redigunt, quae quo magis e mente exciderunt, eo digniora sunt, quae a Civitatis praesertim moderatoribus intento studio reputentur: « Iustitia elevat gentem, miseros autem facit populus peccatum » *(Prov.* XIV, 34).

Fructus ex Iubilaeo sperati.

Iamvero, quandoquidem Maximum hoc, quod nuper indiximus, Iubilaeum, Annique Sancti divinae Redemptioni recolendae

celebratio, eo spectat, idque, coelesti aspirante gratia, efficiet, ut homines, suorum veniam admissorum expiando consecuti, iustitiam impensius exquirant et in suos inducant christianae viatae mores; hac de causa, spe certa tenemur fore ut, — quo potissimum intendimus — piaculare hoc tempus christianos populos universamque hominum societatem ad supernarum rerum studium inprimis excitet animorumque renovationem: ac dein calamitatibus, quibus adhuc premimur, levamentum afferat, immo etiam — quod utinam faxit Deus — finem imponat. Primus, de quo diximus, iubilaris anni fructus — ad superna scilicet animorum elatio atque provectus — vel ex divinae Redemptionis dumtaxat recordatione orietur, dummodo sit in omnium gratos animos revocata; quam quidem Redemptionem Deus ipsemet, homo factus, omniumque virtutum exemplar atque magister, sua morte suoque sanguine consummavit: alterum vero — aerumnarum nempe levamentum — recte facta precationesque, concorditer collata, a miserente Deo impetrabunt; idque, etiamsi necessaria tantummodo consilii lumina, itemque necessariam prorsus animorum concordiam coetibus illis concilient, quae per huius Anni Sancti decursum celebrabuntur, ut oeconomicae totius terrarum orbis rationes rectius componantur, ut ad efficientem militaris apparatus imminutionem animorumque pacationem deveniatur, ut denique aeri alieno, ob belli impensas coacto, prospiciatur. Hac de causa, quemadmodum cotidie Nos deprecaturi sumus, ita homines adhortamur universos, qui Nobiscum una comprecentur. Eo tamen primum spectat precatio Nostra, eo contendant, rogamus, filiorum supplicationes, ut nimirum divinae Redemptionis proposita ac Iesu Christi Servatoris nostri vota feliciter effecta dentur; quae quidem Nostram vestramque, Venerabiles fratres, Episcoporum ceterique cleri, atque christianae plebis universae sanctitatem totis viribus assequendam postulant. Spem sustinent fidemque Nostram, ut ex sententiares cedant, plurima, eademque pia, saecularia sollemnia, quae vel superiore anno celebrata sunt, vel hoc eodem, non sine Providentis Dei nutu, celebrabuntur, quasi si festivo gaudio, sanctisque operibus atque inceptis, maximam hanc, quam auspicaturi sumus, Redemptionis faustitatem exornare percupiant. Ac magis magisque pretiosa ea venerabilium beatorumque Servorum Dei corona fidem Nostram adauget, quos, Anno Sancto vertente, aut maioribus aut maximis honoribus honestabimus.

Quo tendant precationes Pontificis et quas ipse fieri exoptat.

Preces munientur patrocinio Sanctorum et Beatorum qui ad altarium honores extollentur.

Hi enim beatitatis sanctitudinisque viri ut perfecti sunt lectissimique divinae Reparationis fructus, ita, procul dubio,

benigni erunt praesentesque patroni, qui suis precibus deprecationes nostras validiores efficient.

De Basilicarum aperiendis portis. Designantur Legati Ap.ci ad hunc finem cum facultate impertiendae indulgentiae plenariae.

Mos est, ut nostis, Anno Sancto initium fieri ab aperiendis Basilicarum Patriarchalium Portis, sacro nempe sollemnique ritu, quo latius iis omnibus Ecclesiae thesauri patefacti declarantur, quotquot, paenitendi expiandique voluntate permoti, indicti lubilaei Maximi beneficiis frui exoptant. Quapropter Kalendis Aprilibus, e decessorum Nostrorum instituto atque exemplo, Sanctam Basilicae Vaticanae Portam Nosmet ipsi, Deo favente, aperiemus. Ut autem id ipsum ad reliquas Patriarchales Basilicas eodem die eademque hora fieri possit, auctoritate Dei omnipotentis, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra Legatos Nostros deligimus ac renuntiamus Venerabiles fratres Nostros Ianuarium S. R. E. Cardinalem di Belmonte, Episcopum Ostiensem et Albanensem, eumdemque Sacri Collegii Decanum, qui Portam Sanctam Basilicae Sancti Pauli nomine Nostro aperiat; item Franciscum S. R. E. Cardinalem Marchetti Selvaggiani, sacra vice Urbis Antistitem ac Basilicae Lateranensis Archipresbyterum, qui Sanctam eiusdem Basilicae Portam nomine Nostro aperiat; denique Bonaventuram S. R. E. Cardinalem Cerretti, Basilicae Liberianae Archipresbyterum, qui Portam Sanctam eiusdem Basilicae nomine nostro aperiat. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Legatis vero hisce Nostris facultatem facimus, iis omnibus, qui sacri ritui intererunt, auctoritate Nostra benedicendi, plena iisdem proposita commissorum venia, statis condicionibus lucranda.

Binas Patriarcharum Orientalium electiones confirmat.

Praeterea, ut auctoritatem interponamus Nostram gemina causa postulat, quae ad illustres duas Orientis Ecclesias pertinet, ad Ecclesiam scilicet Ciliciae Armenorum et ad Antiochenam Maronitarum.

Cum enim anno MDCCCCXXXI Venerabilis frater Paulus Petrus Terzian, Ciliciae Armenorum Patriarcha, ob provectam aetatem, se amplissimo hoc munere abdicavisset, eodem ritu Episcopi, legitimam Synodum celebrantes, in eius locum Venerabilem fratrem sublegerunt Avedim Arpiarian, Archiepiscopum titulo Anazarbensem Armenorum, cui nomen est inditum Avedis Petrus. Subinde cum Episcopi, qui ad suffragia ferenda convenerant, tum Patriarcha renuntiatus, litteras ad Nos dederunt officii plenas et catholicam religionem redolentes, quibus, re exposita, petebant ut peractam electionem ratam confirmatamque haberemus. Totius cognitionem negotii permisimus, ut moris est, Venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus e sa-

cro Consilio Orientali Ecclesiae praeposito; qui, deliberatione habita, Episcoporum illorum precibus annuendum censuerunt. De lectissimo enim Praesule agitur, qui, apostolico studio flagrans, ita in concreditis sibi ante acta aetate gravissimis muneribus obeundis se gessit, ut bonorum omnium aestimationem Nostramque benevolentiam non uno nomine sibi conciliaverit. Quapropter futurum confidimus — quod ex animo ominamur — ut Armenorum Ecclesia, eo rectore ac moderatore, feliciora cotidie incrementa capiat. Eius igitur electionem seu postulationem in Patriarcham Ciliciae Armenorum probandam ratamque habendam statuimus, eumdemque sacro Pallio de corpore beati Petri sumpto ornandum iudicavimus.

Itaque auctoritate Dei omnipotentis, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, electionem seu postulationem ab Episcopis Armenis factam de persona Venerabilis fratris Avedis Petri Arpiarian confirmatam ratamque habemus; eumque ab Archiepiscopatu titulo Anazarbensi ad Patriarchalem Ciliciae Ecclesiam Armenorum evehimus et promovemus, atque Patriarcham ac Pastorem eiusdem Ecclesiae, ut in decreto et schedulis consistorialibus significabitur, constituimus, contrariis quibuslibet non obstantibus. In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Ad Antiochenam autem Maronitarum Ecclesiam quod attinet, nostis profecto Venerabilem fratrem Eliam Petrum Huayek, huius Ecclesiae Patriarcham, anno MDCCCCXXXI in pace Christi quievisse; quem quidem, pastorali studio ceterisque virtutibus praestantem, ut sui omnes ita Nosmet ipsi comploravimus. Paucis post obitum diebus, Maronitarum Episcoporum coacta Synodus, consentientibus omnium suffragiis, Patriarcham dixit Venerabilem fratrem Antonium Arida Archiepiscopum Tripolitanum Maronitarum, qui sibi Antonio Petro nomen imposuit. Mox Episcopi, legitima hac Synodo celebrata, officiosas ad Nos dederunt litteras, quibus rogabant ut actam electionem auctoritate Nostra confirmaremus. Id ipsum per epistulam, facta etiam catholicae fidei professione, Patriarcha novensilis demisse petiit.

Hanc quoque causam detulimus, ut decuit, Venerabilibus fratribus Nostris Cardinalibus e sacro Consilio Orientalis Ecclesiae negotiis moderandis; qui, re diligenter deliberata, postulationi huic concedendum autumarunt. Iamvero ad hanc sententiam amplectendam probandamque animum Nobis inclinant cognitae delecti Patriarchae virtutes, amplissimo huic pastorali muneri consentaneae. Quae quidem virtutem laudes tum

praesertim enituere, cum is per diuturnum annorum spatium Tripolitanam Archidioecesim regeret; quapropter dubitari non potest quin universa Maronitarum Ecclesia, in praesens sollerti gubernationi suae concredita, magis in dies magisque floreat: quod Nos a divino Pastorum Principe instanter adprecamur. Eum igitur in Patriarcham Antiochenum Maronitarum confirmare, eumdemque sacro Pallio, de beati Petri sepulchro sumpto, decorare decernimus.

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, electionem seu postulationem confirmamus ratamque habemus a Venerabilibus Fratribus Episcopis Maronitis factam de persona Venerabilis Fratris Antonii Arida, eumque, a vinculo absolutum, quo Archidioecesi Tripolitanae Maronitarum adstrictus ad hunc diem tenebatur, Patriarcham Ecclesiae Antiochenae Maronitarum declaramus ac renuntiamus, prout in decreto et schedulis consistorialibus significabitur, contrariis quibuslibet non obstantibus. In Nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Supplet novis Cardinalibus creatis Senatum Ecclesiae.

Denique ad vos, Venerabiles fratres, cura cogitationeque conversa, ut aliqua saltem ex parte amplissimum Ordinem vestrum suppleamus, qui, recentiore hoc temporis intervallo, non paucas fecit illustrium hominum iacturas consilium cepimus sex lectissimos viros ad Romanae Purpurae dignitatem provehendi, quos vel perhonorificae apud exteras gentes legationes obitae, vel diligens episcopalis perfunctio muneris valde Nobis commendant, dignosque faciunt, qui in Ecclesiae Senatum adsciscantur.

Hi sunt:

Angelus Maria Dolci, Archiepiscopus tit. Hierapolitanus in Syria, Noster in Romania Nuntius Apostolicus;

Petrus Fumasoni-Biondi, Archiepiscopus tit. Doclaeensis, Noster in Foederatis Americae Civitatibus Delegatus Apostolicus;

Maurilius Fossati, Archiepiscopus Taurinensis;

Rodriguus Villeneuve, Archiepiscopus Quebecensis;

Elias dalla Costa, Archiepiscopus Florentinus;

Theodorus Innitzer, Archiepiscopus Vindobonensis.

Praeter hos, qui nominati sunt, adlegere in Collegium vestrum decrevimus praestantes alios viros duos; quos tamen in pectore reservamus.

Quid vobis videtur?

Itaque, auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra creamus et publicamus Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales.

Ex Ordine Presbyterorum

Angelum Mariam Dolci,
Petrum Fumasoni-Biondi,
Maurilium Fossati,
Rodriguum Villeneuve,
Eliam dalla Costa,
Theodorum Innitzer.

Item duos alios ut supra diximus, Cardinales creamus et in pectore reservamus, quandocumque arbitrio Nostro renuntiandos.

Cum omnibus dispensationibus, derogationibus ac clausulis necessariis et opportunis. In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Viduatis Ecclesiis consulit.

Iam nihil aliud reliquum est, nisi ut viduatis Ecclesiis consulamus.

Sacra Paenitentiaria Apostolica

Varia acta de Iubilaeo anni sancti 1933

18. — I. Monita 28 feb. 1933

De usu facultatum confessariis per annum sanctum tributarum deque ratione indulgentiae iubilaei lucrandae, ad normas constitutionum Benedicti XIV et Leonis XIII exarata, auctoritate SS.mi D. N. Pii PP. XI ad hodiernam disciplinam accommodata eiusque iussu edita.

(A. A. S., 28 feb., 1933, XXV, 60).

Monita Decessorum de usu facultatum SS. D. servata vult.

Rei consentaneum est ut quae, per Apostolicam Constitutionem « Indicto a Nobis » die xxx superioris mensis datam, amplissimae sane facultates paenitentiariis minoribus ceterisque in Urbe et suburbio confessariis attribuuntur, eaedem summa cura summaque prudentia exerceantur. Ita enim iubilaris veniae largitio, ad quam adipiscendam per sanctum extra ordinem annum christifideles omnes vocantur, tutius profecto atque facilius ad salutem conferet animarum.

Quapropter Ss.mus D. N. Pius divina Providentia Papa XI, decessorum Suorum vestigia premens, qui rationibus eiusmodi

anteacta aetate consuluerant, decrevit eorum monita, ad praesentem disciplinam accommodata, religiose retinenda esse et singulis, sive Ordinariis sive confessariis ecclesiarumque rectoribus, accurate servanda.

I. Subiecta quibus facultates applicari possunt.

I. Noscant imprimis in compertoque habeant paenitentiarii aliique confessarii se extraordinariis hisce facultatibus uti posse dumtaxat erga paenitentes qui ad confitendum accedant *ea mente et sincera voluntate* ut Iubilaei veniam consequantur; attamen si paenitens, mutato proposito, ab acquirenda indulgentia Iubilaei destiterit atque cetera opera imperata intermiserit, omnes absolutiones censurarum, si eas excipias quae ad reincidentiam datae sint, itemque commutationes et dispensationes concessae in suo robore permaneant.

In quonam foro.

Simplices confessarii his facultatibus in foro interno et sacramentali tantum uti possunt; paenitentiarii vero in foro interno etiam extra-sacramentali, dummodo de peculiaribus facultatibus ne agatur pro quibus forum sacramentale expresse requiratur.

Maior facultas parochorum.

Urbis tamen et suburbii parochi, qui per Constitutionem « Indicto a Nobis » anno sancto vertente paenitentiariis annumerantur, peculiarem facultatem habeant iubilares visitationes dispensandi, contrahendi ac commutandi ad normam memoratae Constitutionis sub n. X, non modo cum de paenitentibus agitur, sed etiam cum de singulis fidelibus singulisque familiis paroeciae suae.

II. Usus facultatum quae confessariis deputatis Lapurdi vel in Palaestina concessae sunt.

II. Ss.mus D N. Pius Pp. XI confessariis vel Lapurdi, vel in Palaestina legitime deputatis benigne concedere dignatus est ut per anni sancti decursum a peccatis et a censuris etiam speciali modo Apostolicae Sedi reservatis absolvere queant.

Verumtamen, quandoquidem eiusmodi facultas hisce finibus continetur atque circumscribitur, ut per piacularis anni celebrationem semel tantummodo cum eodem paenitente exerceri queat, cum scilicet ipsemet iubilarem veniam primum lucretur (cfr Const. « Indicto a Nobis » sub n. XIV); itemque tum solummodo, cum paenitens iam ab alio confessario facultatem habente per anni sancti decursum ab his peccatis atque censuris absolutus non fuerit (cfr Const. « Nullo non tempore » sub n. I.), summopere necesse est paenitentiarios ac confessarios, ut munere suo rite fungantur, a quolibet paenitente hisce peccatis vel censuris irretito exquirere:

Quaesttones ab ipsis ponendae.

1° utrum iam iubilarem veniam lucrifecerit necne;

2° quodsi eam non lucrifecerit, num, anno sancto vertente, a peccatis vel a censuris reservatis, sive Romae, sive Lapurdi sive in Palaestina, absolutus fuerit.

Atque id ipsum tunc requirat, cum paenitens se sistat aliqua irregularitate irretitus. Etenim si ipse vel iam iubilarem veniam lucratus fuerit, vel iam fuerit ab irregularitate in Urbe dispensatus, dispensationem eiusmodi iterum obtinere non potest.

III. De facultatibus non concessis.

III. Confessarii praediscant ac memoriâ teneant indicem peccatorum, censurarum, poenarum impedimentorumque omnium, quorum absolutio vel dispensatio in facultatibus sibi concessis non comprehenditur; si qua autem eiusmodi occurrerint, meminisse eos oportet, non aliter posse se paenitenti providere, quam iis religiose servatis quae Codex praescribit can. 2254, 2290, 1045 § 3.

IV. Salutaris paenitentia imponenda.

IV. Non praetermittant suam cuique paenitenti salutarem paenitentiam sacramentalem imponere, etiamsi sibi coniicere iure liceat paenitentem plenissimam lubilaei veniam esse consecuturum.

V. Satisfactio parti laesae praestanda.

V. Si quis in occultas censuras ob partem quoquo modo laesam inciderit, eum ne ante absolvant, quam parti laesae, etiam scandalum reparando damnumque sarciendo, satisfecerit: aut saltem, si eiusmodi satisfactionem praestare ante non possit, vere graviterque promiserit se, cum primum licuerit, satisfacturum.

VI. Quomodo Paenitentiarii a censuris publicis absolvant.

VI. Paenitentiarii, qui a censuris etiam publicis absolvere possunt, hoc exploratum habeant:

Qui aliqua censura fuerint nominatim affecti vel uti tales publice renuntiati, non posse eos tamdiu lubilaei beneficio frui quandiu in foro externo non satisfecerint prout de iure. Si tamen contumaciam in foro interno sincere deposuerint et rite dispositos sese ostenderint, posse, remoto scandalo, in foro sacramentali interim absolvi ad finem dumtaxat lucrandi lubilaeum, cum onere quam primum se subiiciendi etiam in foro externo ad tramitem iuris.

VII. De absolvenda falsa delatione (can. 894).

VII. Ad peccatum quod attinet, per can. 894 reservatum ratione sui, paenitentiarii aliique confessarii absolutionem ne impertiant, nisi paenitens falsam denuntiationem formaliter retractaverit, et damna, si qua inde secuta sint, pro viribus reparaverit, imposita insuper gravi et diuturna paenitentia.

VIII. De violata clausura (can. 2342).

VIII. Si de casu agatur, etiamsi occulto, de quo ad can. 2342, prohibeant, sub poena reincidentiae, quominus paenitens in posterum ad illam religiosam domum eiusque ecclesiam accedat. Firmis quidem manentibus poenis, de quibus sub n. 2 eiusdem canonis agitur.

IX. De religiosis a religione apostatis et de fugitivis.

IX. Religiosos, apostatas a religione, ab excommunicatione can. 2385 lata ne absolvant, quamdiu extra Ordinem permanserint; attamen, si ii firmum habeant propositum ad religionem suam redeundi, congruo iisdem praefinito ad id exsequendum tempore, in foro interno absolvant, ea condicione ut in censuram recidant si intra praefinitum tempus ad religionem non redierint. At ii moneantur, se, quamdiu extra suae religionis domum commorentur, ab actibus legitimis ecclesiasticis excludi, privilegiis omnibus suae religionis privari, Ordinario loci commorationis subiici, atque obnoxios esse, etiam postquam redierint, aliis poenis in can. 2385 statutis. Religiosus autem fugitivus, etiamsi ex Constitutionibus suae religionis in excommunicationem inciderit, absolvi, rite dispositus, in foro interno poterit, imposita obligatione ad religionem quam primum redeundi, eadem ratione eademque sub reincidentiae poena, ac pro apostatis a religione cautum est: praeterea, si sit in sacris, ea lege, ut suspensionem observet can. 2386 statutam.

X. Latius accipienda votorum commutatio.

X. Cum de votorum commutatione agitur, id latiore quadam ratione accipiatur, ita quidem ut paenitentiarii ac confessarii, pro sua ipsorum prudentia, in opera etiam minoris meriti vota commutare possint.

XI. De reis lectionis librorum prohibitorum.

XI. A lectione librorum prohibitorum, eorum praesertim qui in can. 2318 § 1 sub excommunicationis poena vetantur, ne quemquam absolvant, nisi is libros, quos penes se retinet, Ordinario aut confessario ipsi aut alii, qui facultatem eosdem retinendi habeat, ante absolutionem tradiderit; sin minus, se eos, cum primum potuerit, destructurum aut traditurum, serio promiserit.

XII. De commutatione vel dispensatione ss. visitationum.

XII. Ad facultatem quod attinet sacras visitationes commutandi vel dispensandi, haec animadvertenda sunt:

1. Modus faciendi visitationes.

1. Cum paenitentiarii ceterique confessarii, iusta quidem de causa, Basilicam in aliam ecclesiam commutabunt, iubilares hae visitationes haud dissimili ratione fiant, ac illae quae in Basilicis praescribuntur; hoc est eaedem adhibeantur preces tum augusto Sacramento, tum Iesu Christo cruci affixo, tum denique Deiparae Virgini; cum vero Confessionis altare ibi non habeatur, catholicae fidei professio coram SS.mo Sacramento pronuntietur.

2. Dispensatus a visitanda Basilica, non dispensatur a 12 visitationibus.

2. Cum aliquis dispensationem obtinuerit unam vel alteram Basilicam invisendi, nulla facta obligatione aliam ecclesiam per commutationem visitandi, noverit idem sacras visitationes duodecim semper habendas esse, quae proinde in reliquis Basi-

licis fieri debent. Dispensatio enim alicuius Basilicae visitandae idem non est ac sacrarum visitationum numeri imminutio.

3. De commutatione visitationum in preces.

3. Si quis vero, praeter dispensationem alicuius Basilicae visitandae, sacrarum etiam visitationum numeri imminutionem petat, paenitentiarii aliique confessarii tot preces eidem recitandas praescribant, quot visitationes dispensatae fuere; quae quidem preces haud absimiles ilils esse debent quae in sacris visitationibus adhibentur.

4. Pro Basilica designata, substituatur, in commutatione, visitanda Basilica Sessoriana.

4. Cum commutatio conceditur visitationis alicuius Basilicae, opportunum est ut eadem, si commode fieri potest, in Sessorianae Basilicae visitationem commutetur.

5. Ingressus per Portam Sanctam non est praescriptus. Preces ad fores Basilicae clausae recitari possunt.

5. Necesse, ceteroqui, non est invisentibus, ut per Portam Sanctam in Basilicas ingrediantur aut de iis exeant; immo, etiam Basilicis clausis vel aditu ad eas quavis de causa impedito, satis erit ad earundem fores vel gradus Deum exorare, praescriptas preces recitando. At visitatio pia ac devota sit oportet, idest facta animo Deum colendi; quem quidem animum ipsa exterior reverentia aliquo modo patefaciat.

6. Vocalium precum recitatio alternata.

6. Vocales preces, quae praescribuntur, alternis etiam vocibus recitari possunt. Mutis vero can. 936 consulitur.

XIII. Ne visitationes commutentur in opera proprie praescripta.

XIII. Cum quatuor Basilicarum visitatio non sit opus per se praeceptum, sed tantummodo iis impositum qui libere velint lubilaei veniae participes fieri, id visitationis onus, quotiescumque a confessariis privilegiatis debet, ex rationabili causa, totum vel ex parte paenitentibus remitti, ne commutetur in alia opera, quae ad peragenda paenitens sit alio obligationis proprie dictae titulo adstrictus.

XIV. Ordo operum. Quid, si quis, post confessionem, incidat in letale.

XIV. Confessio et Communio ad lucrandam piacularis anni veniam imperatae, nihil refert utrum visitationibus quatuor Basilicarum antecedant, an interponantur vel succedant; unum refert et necesse est, ut postremum ex praescriptis opus, quod etiam Communio esse potest, in statu gratiae, ad can. 925 § 1, compleatur. Si quis igitur post confessionem peractam, ultimo nondum completo opere, in letale rursus inciderit, iteret confessionem oportet, si sacram Synaxim debet adhuc suscipere; secus, satis erit, ut, actu contritionis perfectae elicito, cum Deo reconcilietur.

XV. Aditus Urbis servatis servandis permissus.

XV. Etiamsi omnes Christi fideles, cuiusvis ordinis et gradus, ad Almam hanc Urbem, lucrandi iubilaei causa, advocentur atque invitentur, nulli tamen putent sibi datam adeundae Urbis libertatem, posthabitis eorum, quorum interest, venia vel consensu. Itaque uxores et viri caveant, ne sua peregrinatio

gravia familiae incommoda afferat; invitos, vicissim, parentes filii ne deserant. Episcopi ab dioecesi sua ne discedant, si qua gregi detrimenta metuant; sacerdotes ac reliqui de clero ne romanum iter ingrediantur, nisi Curia eos sua litteris munierit; religiosis, denique, peregrinari non licebit, nisi venia legitime a Superioribus impetrata, quos tamen dedeceat nimium se morosos praestare ac difficiles, et hortationem Benedicti XIV neglegere, qui in Litt. Enc. *Apost. Const.*, die 26 mensis Iunii anni 1749 datis, § 7, « hac in re benigniores » eos futuros fuisse confidere se declarabat.

XVI. Usus facultatum in Urbe et suburbio.

XVI. Suspensio facultatum, per Constitutionem *Nullo non tempore*, die 30 Ianuarii n. e. indicta ac denuntiata, ad Urbem eiusque suburbium minime pertinet, cum summopere intersit, per Annum Sanctum, heic sacrorum operariorum copiam et auxilia paenitentibus e culparum caeno ad divinam gratiam revocandis nec imminui nec deficere. Quisquis igitur Romae eiusmodi facultatibus sit legitime munitus, eas per piacularem annum in Urbe et suburbio, intra fines concessionis sibi factae et temporis sibi praestituti, libere exerceat. — Ad indulgentiarum suspensionem quod attinet, eadem Constitutione *Nullo non tempore* indictam, cum Apostolica Sedes iam dudum decreverit, nonnullas indulgentias ab usitata per Annum Sanctum suspensione eximi, SS. D. N. eiusmodi indulta seu privilegia, etsi de iis in memorata Constitutione siletur, non revocat, modo authentice constet, ea ipsa fuisse et revera et in perpetuum concessa, ad can. 70, 71, et 60 § 2.

Vigent indulta perpetua de indulgentiis concessa.

XVII. Usus Monitorum extra Urbem.

XVII. Confessarii extra Urbem, qui facultatibus extraordinariis, Iubilaei causâ, per Constitutionem *Qui umbratilem vitam* donati sunt, sciant, sibi licere hisce Monitis eatenus uti, quatenus ipsis applicari possint.

Mandatum edendi Monita in lucem.

Haec *Monita* ad praesentis disciplinae condicionem accommodata, SS.mus D. N. Pius divina Providentia Papa XI, in lucem edi iussit, ut constans et tuta omnibus praesto sit interpretatio et facultatum, quae vigebunt, et operum, quae praestanda sunt ad veniam Iubilaei consequendam, per proximum piacularem annum.

Dies (28 febr. 1933).

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Paenitentiariae, die XXVIII mensis Februarii anno MDCCCCXXXIII.

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S. I. TEODORI, *Secretarius.*

19. — II. FACULTATES 28 FEBR. 1933.

Confessariis peregrinis concessae anno vertente generalis maximique iubilaei a die II mensis aprilis a. MDCCCCXXXIII ad diem usque II mensis aprilis a. MDCCCCXXXIV.

(A. A. S., 28 febr. 1933, XXV, 65).

I.

Facultates omnibus Confessariis pro utroque sexu approbatis concessae.

Facultates speciales quae tribuuntur omnibus Confessariis peregrinis *qui iam in sua dioecesi rite approbati sint pro utroque sexu.*

1. De censuris.

1. Absolvendi, in foro conscientiae et sacramentali tantum, quaslisbet personas sibi confitentes a quibusvis peccatis et censuris a iure reservatis aut Ordinario, aut, etiam speciali modo, Romano Pontifici, *dummodo censurae publicae non sint*; iniunctis salutaribus paenitentiis atque aliis de iure iniungendis.

Observanda.

Ne absolvant tamen, nisi in adiunctis atque ad praescriptum can. 2254 Codicis iuris canonici, eos qui irretiti sint aliqua censura vel Romano Pontifici personaliter, vel specialissimo modo Apostolicae Sedi reservata. Ne absolvant pariter, nisi in adiunctis can. 900, illos, qui in casum inciderint Sanctae Sedi reservatum ad normam Decreti Sacrae Paenitentiariae Apostolicae, d. XVI mensis Novembris, a. MDCCCCXXVIII (cfr *Acta Apost. Sedis,* vol. XX, pag. 398); vi cuius Decreti tamen, post etiam obtentam absolutionem, obligatio adhuc viget ad Sacram Paenitentiariam recurrendi eiusque mandatis obtemperandi.

2. De votis.

2. Commutandi, in foro sacramentali tantum, in alia pia opera, ex iusta causa, omnia et singula *vota privata*, etiam iurata, exceptis iis votis privatis quae can. 1309 Apostolicae Sedi reservantur; itemque exceptis iis quorum commutatio vergeret in detrimentum tertii, aut commutatio minus arceret a peccato quam ipsum votum.

3. De visitatione Basilicarum.

3. Concedendi in foro conscientiae et sacramentali tantum, dispensationem visitationis alicuius Basilicae eam commutando in visitationem, si fieri potest, alius ecclesiae, v. g. Basilicae Sessorianae S. Crucis, imo etiam visitationum numerum imminuendi. Quos vero recte a visitationibus dispensaverint, iis ne indulgeant, ut preces ad mentem Summi Pontificis fundendas, quae a visitatione separari quidem possunt, praetermittant. In commodum tantum aegrotantium eas liceat imminuere.

II.

Facultates speciales quae decem Confessariis *peregrinis, ab hac S. Paenitentiaria, vel ab Episcopo proprio selectis, tribuuntur ad confessiones sociorum peregrinorum accipiendas.*

Facultates speciales decem selectis erga socios peregrinos.

1. De censuris publicis vel ad forum externum deductis.

1. Absolvendi, in foro sacramentali tantum, non solum a censuris et excessibus occultis, prout statuitur sub n. I, 1, pro omnibus confessariis peregrinis, sed etiam a censuris *quae sint publicae* in locis ubi commorati sunt paenitentes vel ibi nominatim declaratae sint, aut quamvis delictum ad iudicem fori externi iam fuerit deductum, dummodo sint sincere parati quodvis mandatum demisse accipere fideliterque adimplere et scandalum reparare. Huius tamen censurae absolutio in foro externo non suffragabitur. Ne absolvant tamen, nisi ad tramitem can. 2254, praelatos cleri saecularis ordinaria iurisdictione praeditos, Superioresque maiores religionis exemptae, qui in censuras *speciali modo* Romano Pontifici reservatas *publice* inciderint.

Clausulae servandae.

2. De irregularitatibus.

2. Dispensandi, pro foro conscientiae et in sacramentali confessione tantum, constitutos in Sacris, ad Ordines tantum exercendos, ab irregularitatibus ex delicto occulto, non exclusa irregularitate de qua in can. 985, 4°.

3. De visitatione Basilicarum.

3. Dispensandi, pro foro conscientiae et sacramentali tantum, circa visitationes quatuor Basilicarum, easque item commutandi eodem modo ac ceteris confessariis conceditur sub n. I, 3.

4. De votis privatis; et de voto castitatis ab origine publico.

4. Commutandi in foro sacramentali tantum in alia pia opera, ex iusta causa, omnia ac singula *vota privata,* iurata quoque et etiam Sedi Apostolicae reservata. Similiter possint commutare votum castitatis perpetuae ac perfectae, etsi fuerit ab origine *publice* emissum in professione religiosa etiam solemni, et firmum manserit aliis huius professionis votis relaxatis. Nullatenus tamen ab eodem illos dispensare possint qui vi Ordinis sacri ad legem coelibatus tenentur, etiamsi ad statum laicalem redacti sint. A commutatione votorum se abstineant, si commutatio tertio praeiudicium afferat ac minus arceat a peccato quam ipsa commutatio.

Clausulae.

5. De occulto consanguinitatis impedimento.

5. Dispensandi pro foro conscientiae et in actu sacramentalis confessionis tantum ab occulto impedimento consanguinitatis in tertio vel secundo gradu collaterali, etiam attingente primum, quod ex generatione illicita proveniat, solummodo ad matrimonium convalidandum, non vero ad contrahendum vel sanandum in radice.

6. De occulto criminis impedimento.

6. Dispensandi ab occulto criminis impedimento, neutro machinante, sive agatur de matrimonio contracto sive de contrahendo; iniuncta, in primo casu, privata renovatione consensus, secundum can. 1135; imposita, in utroque, gravi ac diuturna paenitentia salutari.

Clausula.

MONITA

Monita de istarum facultatum usu.

De usu facultatum confessariis peregrinis tributarum

1. Ubi et erga quosnam usus permissus.

1. His facultatibus specialibus confessarii peregrini ubicumque in Urbe et suburbio, servatis can. 908-910 et de consensu rectorum ecclesiarum, cum sociis peregrinis uti poterunt, ita tamen ut eas valide exercere queant si unus vel alter peregrinus non socius, cum peregrinis sociis ad ipsos confitendi causa accedat.

2. Requisita mens in paenitente.

2. Item his facultatibus tantummodo uti poterunt erga paenitentes qui ad confitendum accedant *ea mente et sincera voluntate* ut Iubilaei veniam consequantur; attamen si paenitens, mutato proposito, ab acquirenda indulgentia Iubilaei destiterit atque cetera opera imperata intermiserit, omnes absolutiones censurarum, si eas excipias quae ad reincidentiam datae sint, itemque commutationes et dispensationes concessae in suo robore permaneant.

3. Quotiens usus permissus.

3. Similiter his facultatibus absolvendi a peccatis et censuris reservatis itemque dispensandi ab irregularitatibus nonnisi *semel* cum eodem paenitente uti poterunt, cum ipse scilicet Iubilaei veniam primum lucretur et tum solummodo cum paenitens iam ab alio confessario, facultatem habente per anni sancti decursum, a peccatis et censuris non fuerit absolutus vel ab irregularitate iam dispensationem non obtinuerit. Ceteras vero facultates — eam etiam visitationes contrahendi aut commutandi ad datam normam sub n. I, 3 — in favorem etiam eiusdem paenitentis semper exercere poterunt.

4. Firmae sunt facultates legitime obtentae vel obtinendae.

4. Firmae et immutatae remaneant facultates quas omnes confessarii peregrini per Sacram Paenitentiariam vel alio legitimo modo consecuti sunt vel consequentur.

5. De haereticis et schismaticis dogmatizantibus.

5. Haereticos et schismaticos qui fuerint publice dogmatizantes ne absolvant nisi ii, praeter haeresis et schismatis abiurationem, saltem coram ipso confessario factam, scandalum, ut par est, reparaverint.

6. Ne absolvant eos qui sectis vetitis, massonicis aliisve id genus nomen dederint, etiamsi occulti sint, nisi, abiurata, saltem coram ipso confessario, secta, scandalum reparaverint et a quavis activa cooperatione vel favore suae cuiusque sectae praestando cessaverint; nisi ecclesiasticos et religiosos, quos sectae adscriptos noverint, ad can. 2336, n. 2, denuntiaverint; nisi libros, manu scripta et signa, quae eamdem sectam respiciant, quotiescumque adhuc retineant, absolventi tradiderint aut se ea tradituros vel destructuros serio promiserint, imposita, pro modo culparum, gravi paenitentia salutari.

6. De iis qui sectis massonicis nomen dederint. Clausulae.

7. A lectione librorum prohibitorum ne quemquam absolvant, nisi is libros, quos penes se retinet, Ordinario aut confessario tradiderit aut se eos traditurum vel destructurum serio promiserit.

7. De reis lectionis librorum prohibitorum.

8. Si quis in in occultas censuras ob partem quoquo modo laesam inciderit, eum ne ante absolvant, quam parti laesae, etiam scandalum reparando damnumque sarciendo, satisfecerit: aut saltem, si eiusmodi satisfactionem praestare ante non possit, vere graviterque promiserit se, cum primum licuerit, satisfacturum.

8. De sarciendis damnis.

9. Si de casu agatur, etiamsi occulto, de quo ad can. 2342, prohibeant, sub poena reincidentiae, quominus in posterum accedant ad religiosam domum illam eiusque ecclesiam.

9. De violatione clausurae. Clausula.

10. Eos, qui bona vel iura ecclesiastica sine venia acquisiverint, ne absolvant nisi aut iis restitutis aut compositione quamprimum a competente auctoritate postulata, aut promissione sincere facta eamdem postulandi, nisi agatur de locis, in quibus a Sede Apostolica aliter iam provisum fuerit.

10. De usurpatis bonis vel iuribus ecclesiasticis.

11. Non praetermittant suam cuique paenitenti salutarem paenitentiam sacramentalem imponere, etiamsi sibi coniicere iure liceat paenitentem plenissimam lubilaei veniam esse consecuturum.

11. Salutaris paenitentia iniungenda.

12. Confessio et Communio ad lucrandam lubilaei indulgentiam nihil refert utrum visitationibus quatuor Basilicarum antecedant, interponantur vel succedant; unum necesse est ut postremum ex praescriptis opus, quod etiam Communio esse potest, in statu gratiae, ad can. 925, n. 1, compleatur. Ab obligatione praescriptae confessionis nullum ne exsolvant; neque fas est, Communionem in alia pia opera commutare, nisi agatur de aegrotis.

12. Ordo operum. Opera exclusa commutatione.

13. Visitationem Basilicarum ne commutent in alia opera, quae ad peragenda paenitens sit alio obligationis propriae

13. De commutatione visitationum.

dictae titulo adstrictus; et sciant se conscientiam suam oneraturos si inconsulto aut sine iusta causa paenitentem ex eiusmodi visitationibus exemerint.

Dies 28 (febr. 1933).

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Paenitentiariae, die XXVIII mensis Februarii, anno Domini MDCCCCXXXIII.

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S.

I. TEODORI, *Secretarius.*

---

20. — III. DECRETUM 12 IAN. 1933.

Facultates extraordinariae Palaestinae confessariis anno sancto vertente conceduntur.

(A. A. S., 28 feb. 1933, XXV, 69)

Opportunitas et ratio concessionis.

Ut iis locis, quae Dominicae Passionis ac Mortis veluti theatrum fuerunt, christifideles queant per proximam Anni Sancti celebrationem uberioribus frui divinae Redemptionis fructibus, Ss.mus Dominus Noster Pius, divina Providentia Pp. XI, admotis Sibi precibus annuens, ac postulationi concedens ab infra scripto Cardinali Paenitentiario Maiore adhibitae, statuere benigne dignatus est ut — praeter indulgentias in eorum favorem vigentes, qui sacra Palaestinae loca pie inviserint — singuli eiusdem regionis confessarii ab Apostolico Delegato, vel per se ipsum vel per Ordinarios deputati, has, quae sequuntur, extraordinarias facultates habeant per lubilarem annum exercendas:

Quibusnam factae.

Absolutio a peccatis et censuris.

Possint pro foro conscientiae in actu sacramentalis confessionis et per se ipsi tantum absolvere paenitentes ab omnibus peccatis et censuris Sedi Apostolicae reservatis, imposita paenitentia salutari aliisque iniunctis de iure iniungendis.

Clausulae servandae ab absolvente.

Ne absolvant tamen, nisi in adiunctis atque ad praescriptum can. 2254 C. I. C., eos qui irretiti sint aliqua censura vel Romano Pontifici personaliter vel specialissimo modo Apostolicae Sedi reservata. Ne absolvant pariter, nisi in adiunctis can. 900, illos qui in casum inciderint Sanctae Sedi reservatum ad normam decreti Sacrae Paenitentiariae Apostolicae die 16 Novembris 1928 (cfr *Acta Ap. Sedis,* vol. XX, pag. 398); vi cuius decreti tamen, post etiam obtentam absolutionem, obligatio adhuc viget ad Sacram Paenitentiariam recurrendi eiusque mandatis obtemperandi.

Christifideles autem, qui aliqua censura fuerint nominatim affecti vel uti tales publice renuntiati, nequeant tamdiu hoc beneficio frui, quamdiu in foro externo non satisfecerint prout de iure. Si tamen contumaciam in foro interno deposuerint, poterunt, remoto scandalo, in foro sacramentali interim absolvi, cum onere quamprimum se subiiciendi etiam in foro externo ad tramitem iuris. Contrariis quibuslibet non obstantibus. *Ab absolutis.*

Datum Romae, ex Sacra Poenitentiaria, die XII mensis Ianuarii anno MDCCCCXXXIII. *Dies (12 ian. 1933).*

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S.

I. TEODORI, *Secretarius.*

---

21. — IV. DECRETUM 30 IAN. 1933

Indulgentiae augentur pio exercitio annexae, quod feria sexta ad sacri aeris pulsum perficitur in memoriam D. N. Iesu Christi morientis.

(A. A. S. 28 feb., 1933, XXV, 70)

Summus Pontifex fel. rec. Benedictus XIV, per Apostolicas Litteras in forma Brevi « Ad Passionis » die XIII mensis Decembris anno MDCCXXXX datas (1), iussit singulis feriis sextis hora tertia post meridiem, curâ omnium ecclesiarum rectorum totius catholici orbis, aera sacra pulsanda esse in memoriam D. N. Iesu Christi morientis; itemque christifidelibus qui eadem hora quinquies « Pater, Ave », ad mentem Sanctitatis Suae orantes, recitavissent, partialem centum dierum indulgentiam benigne concessit. *Praescriptus aeris pulsus.*

Die autem XX huius mensis Sanctissimus D. N. Pius, divina Providentia Pp. XI, in audientia infra scripto Cardinali Paenitentiario Maiori concessa, faustam occasionem nactus maximi extra ordinem lubilaei ab Se recens indicti, eoque consilio ductus ut fidelium pietatem erga Dominicam Passionem magis magisque augeret, eosque omnes ad eandem recolendam meditandamque excitaret quo potissimum die humani generis Redemptor, in cruce pendens, semet ipsum aeterno Patri placationis hostiam obtulit, hoc benigne dilargiri dignatus est, ut *Occasione usus iubilaei, in audientia 20 ianuarii,*

SS. D. indulgentias, his condicionibus lucrandas offert.

(1) Bullarium Ben. XIV, t. 16 Operum, p. 22.

scilicet quisquis, ad huius aeris pulsum, feria sexta et quavis hora, secundum locorum consuetudinem (quemadmodum iam p. m. Leo XIII, die XV mensis maii anno MDCCCLXXXVI concesserat) flexis genibus, si commode fieri possit, quinquies « Pater, Ave » recitaverit, adiecta insuper ad Summi Pontificis mentem precatiuncula « Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi etc. » vel alia eiusmodi, has, quae sequuntur, indulgentias lucrari possit: *a)* partialem decem annorum quavis feria sexta, cum pium exercitium, quod diximus, saltem corde contrito peregerit; *b)* plenariam, statutis condicionibus, si per integrum mensem singulis feriis sextis idem exercitium rite perfecerit.

Perpetua vis largitionis.

Id vero in perpetuum valiturum absque Apostolicarum in forma Brevi Litterarum expeditione; contrariis quibuslibet non obstantibus.

Dies (30 ian. 1933).

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Paenitentiariae, die XXX mensis Ianuarii anno MDCCCCXXXIII.

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S. I. TEODORI, *Secretarius.*

---

22. — V. DECRETUM 20 FEB. 1933.

De indulgentiis recitationi annexis precationis « Angelus Domini » vel alius precis ut infra notatur.

(A. A. S., 28 feb. 1933, XXV, 71)

Historica de indulg. precationis « Angelus Domini ».

Per Apostolicas Litteras in forma brevi *Iniunctae Nobis* die XIV mensis Septembris anno MDCCXXIV datas (1), Summus Pontifex s. m. Benedictus XIII, pro sua in Deiparam Virginem pietate, ut mortalium animi cum primo diluculo, tum meridiano

Origo.

tempore tum denique sub vesperam ad eam amoris ergo se converterent, iis omnibus qui qualibet e supra memoratis horis, ad sacri aeris pulsum, positis genibus, precationem « Angelus Domini », tribus adiectis salutationibus angelicis « Ave Maria », pie recitavissent, indulgentias benigne concessit.

Varia submutata.

Decursu vero temporis, Summi Pontifices p. r. Benedictus XIV, Pius VI, ac Leo XIII concessionem eiusmodi submutarunt, cum ad precem ipsam quod attinet, — pro eadem tempore paschali antiphonam « Regina Caeli » substituendo, aut iis, qui legere non possent vel nescirent, recitationem quinque

(1) Cfr BERINGER - STEINEN, *Die Ablässe.*

salutationum angelicarum « Ave Maria » — tum ad modum et ad tempus quod pertinet ipsius recitationis.

Consilium SS. Domini.

In praesens autem Ss.mus D. N. Pius divina Providentia Papa XI, eadem pietate incensus ac Decessores Sui erga Immaculatam Virginem Mariam, eoque consilio ductus ut maiorem populi christiani in hac etiam prece recitanda refoveat unitatem, quae idcirco sacratissimo Virginis Cordi grata est, quod cum divinae Redemptionis mysteriis, piaculari hoc anno sollemniter commemorandis, tam arcte coniungitur, in audientia die III huius mensis infra scripto Cardinali Paenitentiario Maiori concessa, indulgentias pio huic exercitio annexas augere dignatus est, ea, quae sequuntur, decernens:

Condicio de momento quo recitanda est precatio.

Omnes christifideles, qui vel proprio horae momento, quemadmodum per Summum Pontificem Benedictum XIII praescriptum fuerat, vel cum primum postea potuerint, precationem « Angelus Domini » cum statuta Oratione, aut, pro temporis ratione, antiphonam « Regina caeli » item cum usitata Oratione, aut demum quinque salutationes angelicas « Ave Maria » pie recitaverint, *partialem* decem annorum indulgentiam toties lucrari posse, quoties pium hoc exercitium saltem corde contrito perfecerint, atque *plenariam* indulgentiam statis condicionibus, si id per integrum mensem peregerint.

Precatio recitanda.

Indulgentiae.

Vis perpetua gratiae.

Praesentibus, absque Apostolicarum Litterarum expeditione, in perpetuum valituris; contrariis quibuslibet non obstantibus.

Dies (20 feb. 1933).

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Paenitentiariae, die XX mensis Februarii, anno MDCCCCXXXIII.

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S. I. TEODORI, *Secretarius.*

---

23. — VI. DECLARATIO 20 FEB. 1933

Decreti circa indulgentias « stationibus » adnexas.

(A. A. S., 28 feb. 1933, XXV, 72)

Indulta lucrandi, in ecclesiis non stationalibus, indulgentias stationum, piis associationibus aut scapularibus concessa,

Evulgato Sacrae Paenitentiariae Apostolicae decreto diei 12 Aprilis 1932 (*Acta Apostolicae Sedis*, v. XXIV, p. 248) (1), quo indiscriminatim statuitur *indulgentias*, quas vocant, *stationales* nonnisi visitando diebus et forma praescriptis *stationales*

(1) *Per.*, XXIII.

ecclesias lucrari posse, exorta quaestio est an et quomodo in suo robore posthac manere sint dicenda peculiaria indulta in quarumdam piarum associationum aut scapularium de indulgentiis summariis contenta, posse sc. adscriptos praefatas stationales indulgentias in ecclesiis etiam non stationalibus, ceteris paribus, acquirere. Re ad omne dubium auferendum delata Ssmo Domino Nostro Papae per infrascriptum Cardinalem Maiorem Paenitentiarium, Sanctitas Sua, in audientia die 20 Ianuarii anni currentis eidem impertita, declarandum mandavit peculiaria eiusmodi indulta ita in posterum intelligenda esse ut valeant adscripti indulgentias stationales in ecclesiis etiam non stationalibus, ceteris ad rem clausulis et praescriptionibus ad unguem servatis, adipisci tum tantum cum nullae in loco ecclesiae stationales inveniantur. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

ex aud. 20 ian. in posterum intellegenda sunt de solis locis ubi non sunt ecclesiae stationales.

Datum Romae, ex aedibus S. Paenitentiariae, die 25 Februarii 1933.

Dies (25 feb. 1933).

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S. I. TEODORI, *Secretarius.*

ACTA SUMMATIM RELATA

24. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Gratiae Lourdes concessae occasione iubilaei 75 annorum.

Indulg. plenaria.

Brevi *Septuaginta quinque*, 11 ian. 1933, cum instarent sollemnes celebrationes 75i anni ex quo Immaculata Virgo se pluries Lapurdi conspiciendam dedit, « ut insignis prodigiosique eventus commemoratio in uberius animorum bonum cedat », ab undecima die februarii 1933 ad undecimam februarii 1934 inclusive, omnibus Christifidelibus qui, confessi et sacra Communione refecti, cryptam de *Massabielle* devote visitaverint et pias preces ad mentem S. Pontificis effuderint indulgentiam plenariam semel tantum lucrandam largitur.

Deputatio Confessariorum eorumque facultates.

Facultas praeterea Tarbiensium et Lourdensium Episcopo fit deputandi aliquos in sua dioecesi presbyteros saeculares vel religiosos ad absolvendos in foro conscientiae christifideles rite dispositos, eosque, imposita salutari paenitentia, a peccatis et ab omnibus censuris et casibus Apostolicae Sedi reservatis, exceptis casibus cum violatione secreti S. Officii, tum specialissimo modo S. Pontifici reservatis, tum denique illis pro quibus, iuxta decretum S. Paenitentiariae 16 nov. 1928 (1) manet, post obtentam absolutionem, obligatio recurrendi ad S. Paenitentiariam eiusque standi mandatis.

Nominatim censura affecti vel ut tales publice renuntiati hoc beneficio frui nequeunt donec in foro externo non satisfecerint. Deposita tamen contumacia, poterunt rite dispositi, remoto scandalo, et ad finem dumtaxat plenariam indulgentiam lucrandi, absolvi cum onere se quam primum etiam in foro externo ad tramitem iuris subiciendi.

Benedictio Ap. cum indulg. plenaria.

Illi Antistiti qui 16 mensis iulii s. Missam sollemniter celebrabit fit facultas impertiendi astanti populo benedictionem Apostolicam cum indulgentia plenaria (*Acta Ap. Sed.*, XXV, 57).

(1) *Per.* XVIII, 270.

BIBLIOGRAPHIA

L. Scalabrini. *La Tassa di scambio.* Vol. circa 500 pag. Como, 1933. Cura institutionis *La Guida degli affari.* Venit 14 lib. Opus istud, ad mensem ianuarium 1933 exactus, praeter Textum continet Decreta, successivas ordinationes, instructiones, normas, litteras circulares, notas, acta ministrorum, et omnia utilia particularia.

Emptores simul, pretio 15 loco 18, *Manuale degli affari* (circa 1000 pag.) obtinere possunt.

Franz Triebs. *Praktisches Handbuch des Eherechtes* (Band 4) Vol. (15 × 23,5), 769 pag. Breslau, Ostdeutsche Verlagsanstalt G. M. B. H, 1932, Preis brosch. 5,50 Mc.

Cap. VII. Die Lehre von der Form der Eheschliessung - Cap. VIII. Die Lehre von den Wirkungen der Ehe. - Index alphabeticus quattuor voluminum.

Augusto Rapanelli (Sac.). *Eucaristia.* Ore Sante del giovedì ispirate alle principali feste dell'anno. Con prefaz. di S. Em. il Card. Capotosti. Vol. (12,5 × 18,5), 222 pag. Vicenza, Soc. An. Tipografica, 1931. Venit 5 lib.

Jacques Leclerq. Essais de Morale Catholique. II. *Le Dépouillement.* Vol. (13 × 20), 254 pag. Bruxelles, Éditions de la Cité Chrétienne, 1933.

L'homme et sa déchéance - Inventaire de l'homme - Au seuil de l'ascèse - La leçon des anciens - Le départ - La mortification - Le détachement.

H D. Noble (O. P.). *Les Passions dans la vie morale.* 2 Vol. (12 × 19), 300 et 328 pag. Paris, Lethielleux, 1931. Vendita esclusiva: Casa Ed. Marietti, Torino.

Iere Partie. La nature de la passion - La psycho-physiologie de la passion - La sensation, cause immédiate de la passion - Les diverses passions - Coïncidence de la passion et de la volonté - La passion entraînant la volonté - Le vouloir intense suscitant spontanément la passion - La volonté excitant la passion - La volonté maîtrisant la passion - Le tempérament passionnel - L'habitude passionnelle - Pathologie de la passion.

2eme Partie. La responsabilité passionnelle - Le péché de passion - La moralité de la passion - La passion et le mérite moral - Le tempérament passionnel et la moralité - Psychopathie et responsabilité - Répression de l'habitude passionnelle - La passion devenue vertueuse dans la tempérance

et la force - Les méfaits de la sensibilité dans la vie morale - La vertu n'est pas dans la suppression de la sensibilité - La sensibilité et les convictions morales - La sensibilité et les décisions morales - La sensibilité et les réalisations morales - La sensibilité et les résultats de l'action - La passion dans les divers états de la conscience morale.

Régis Jolivet (Prof.). *La Philosophie Chrétienne et la Pensée Contemporaine*. Vol. (13 × 20,5), VI-228 pag. Paris, P. Téqui, 1932. 15 fr.

Introduction: Paganisme et Christianisme - 1. La notion de philosophie chrétienne - 2. Les grandes thèses de la philosophie chrétienne - 3. La vie et l'oeuvre de S. Thomas d'Aquin - 4. L'esprit de la philosophie thomiste - 5. Philosophie moderne et pensée chrétienne - 6. L'aurore d'un renouveau. Appendice: Le thomisme et la pensée moderne.

Albert Ryckmans (Prof.). *Le Problème du mal*. Vol. (12,5 × 19,5), 202 pag. Bruxelles, Éditions de la Cité Chrétienne, 1933.

Le problème - Le problème du mal et le dualisme - La mort - La souffrance physique - La souffrance morale - La liberté humaine - La sanction éternelle - La divine Providence - Le problème du mal et la métaphysique - La solution d'un idéaliste contemporain - Le christianisme et la souffrance.

L. Longhaye (S. I.). *Théorie des Belles-Lettres : L'âme et les choses dans la parole* (Sixième Édition). Vol. (14 × 23), XI - 577 pag. Paris, P. Téqui, 1933. 20 fr.

Livre I. L'âme et les choses dans la parole littéraire. 1. L'action puissante: concours des facultés de l'âme - 2. Action ordonnée: Hiérarchie essentielle des facultés - 3. L'action ordonnée: Proportion de la parole aux objets: Naturel - 4. Conditions de l'ordre: La fin dernière. Morale et littérature - 5. De l'absolu en littérature. — Livre II. L'âme et les choses dans la composition. 1. L'âme recevant l'empreinte des choses: Connaissance; Invention - 2. L'âme donnant aux objets son empreinte Choix et ordonnance - 3. L'âme donnant son empreinte aux choses: Idéalisation - 4. Le monde physique, objet de la parole littéraire: première application: la nature - 5. L'homme, objet de la parole littéraire - 6. Dieu, objet de la parole littéraire - 7. Convaincre: Plaire; Persuader - 8. Les passions. — Livre III. L'âme et les choses dans le style. 1. Le fond et la forme - 2. L'idée simple et les exigences de l'esprit - 3. L'idée simple et les facultés autres que l'intelligence - 4. Le mot et les exigences de la langue: Digression - 5. L'idée complexe et la raison - 6. La pensée, ou phrase, et la raison - 7. L'imagination et la

sensibilité - 8. Et le pouvoir expressif des sons. — Livre IV. L'âme dans le débit. 1. Idée générale - 2. L'âme dans la voix - 3. Dans le geste - Conclusion.

R. Riche. *Léon Mabille et le Mouvement Ouvrier Chrétien dans le Centre.* Vol. (14,5 × 21), 131 pag. Gembloux, Duculot, 1933.

I. Les hommes. 1. Le chef: Léon Mabille - 2. A la suite du chef - II. Les oeuvres. 1. Premiers efforts - 2. Le cercle régional d'études sociales - 3. L'organisation syndicale - 4. Mutuelliste - 5. Coopérative - 6. Le parti démocratique du Centre - 7. Le secrétariat des oeuvres sociales - III. Le programme. 1. Programme social - 2. scolaire - 3. En matière militaire - 4. En matière d'impôt - 5. antialcoolique - 6. Politique - 7. En matière d'agriculture - 8. Autres mesures.

Maurice Guéchot. *Mystères et Lumière.* Excursions pittoresques à travers le temps et l'espace. Vol. (12 × 19), XVII-257 pag. Paris, P. Téqui, 1933. 10 fr.

I. Une Puissance infinie. Le monde du soleil - Dans l'espace infini. II. Une Intelligence infinie. La vie végétative - Un extraordinaire perfectionnement de la vie - Un prodigieux agrandissement de la vie - L'achèvement de la vie: la vie éternelle. III. Un Amour infini. Le pain de vie - Sous la loi du plus fort - La loi d'amour et de justice - La grande réparation.

C. I. et A. R. *Ouvrez l'Oeil !* (ou les intéressantes découvertes de la raison) Vol. (12×19), 44 pag. Paris, P. Téqui, 1933. 2 fr. 50.

Les merveilles de l'oeil - Un raisonnement facile - De la raison à la foi.

Wilned. *Si les Hommes avaient su regarder les bêtes.....* (Esquisses biologiques) Vol. (12×19), XII-180 pag. Paris, P. Téqui, 1933, 10 fr.

La Nature, merveilleuse créatrice - Les inventions industrielles - Hydrostatiques - Optiques et acoustiques - Relatives à la guerre, à la chasse, à la pêche - Chirurgicales et médicales - Organisations sociales - Conclusions.

F. Van Goethem - J. Arendt (S. I.) - **M. Baers.** *La Protection du Travail des Femmes et des Mères.* Broch. (12 × 19,5), 56 pag. Louvain, Éd. de la Soc. d'Études morales, soc. et jurid., 1933. 5 fr.

René Gaell. *Celle qui ressuscita.* Les grandes guérisons de Lourdes. Vol. (12 × 18,5), VIII - 242 pag. Paris, P. Téqui, 1932. 9 fr.

Introduction - I. L'Agonie de Cécile - II. L'Éveil d'un Coeur - III. La vie retrouvée.

De Carpo-Moretti. *Caeremoniale iuxta Ritum Romanum.* Vol. (13 × 20), XXVII-816 pag. Taurini, Marietti, 1932. Lib. 25.

I. De Divino Officio. 1. De quibusdam notionibus ad sacras actiones spectantibus - 2. De Divino Officio solemniter celebrando - 3. De Divino Officio sine solemnitate in Choro persolvendo et privatim recitando - II. De Sacrosancto Missae Sacrificio. 1. De Missa privata - 2. De Missa solemni - 3. De Ritu servando in celebratione Missarum specialium - 4. De nonnullis Missis particularibus - III. De Sanctissimo Eucharistiae Sacramento - IV. De sacris functionibus infra annum occurrentibus - V. De praecipuis functionibus per annum - VI. De Exsequiis - Appendices: I. De Sacra Visitatione - II. De benedictione solemni SS. Sacramenti ab Episcopo impertienda independenter a quacumque alia functione - III. De ritu absolutionis solemnis pro Defunctis ab Episcopo, Missam non celebrante, impertiendae.

Jean D'Avignon. *Les Enfants sans parents.* Drame moderne en trois actes pour Jeunes Filles. Vol. (12,5×18,5), 77 pag. Paris, P. Téqui, 1931. 5 fr.

V. Lepetit. *Sur les pas d'une Sainte.* Étude biographique, psychologique et littéraire concernant les séjours de Ste Thérèse de Lisieux au Bord de la Mer (1878-1887). Vol. (12 × 19), XI-108 pag. Paris, P. Téqui, 1932.

1. Son cadre de vie extérieure: précisions de temps et de lieu - 2. Sa vie intérieure et profonde: quelques reflets de son âme - 3. La petite Thérèse et N. Dame-des-Victoires. Appendice.

J. Dargaud (Mgr.). *Au Coeur de Jésus Agonisant Notre Coeur Compatissant.* Vol. (12 × 19), VII - 171 pag. Paris, P. Téqui, 1932. 8 fr.

Douze Méditations - Pratiques diverses.

Annuarium Apostolatus Orationis. Vol. (14,5 × 22,5), 157 pag. Roma, Directio Gen. Apost. Orat., 1933.

Brevis expositio Apostolatus Orationis - Progressus ab. a. 1927 ad a. 1931 - Testimonia Summi Pontificis - Testimonia Episcopalia - Dilectio proximi - Decursus per quasdam regiones - Tabellae Statisticae Apos. Orationis.

Liturgia. Rivista mensile di dottrina - legislazione - cultura - arte - musica e canto - apostolato - vita liturgica. Abbon. Italia Lit. 12. Estero Lit. 18. Amministrazione: Via S. Dalmazzo, 24 - Torino.

II. Ex Periodicis

Gregorianum. — 1932. Fasc. IV. — S. TROMP. De Nativitate Ecclesiae a Corde Iesu in Cruce. — B. LEEMING. A Note of the « Report of the Joint Doctrinal Commission between the Anglican and the Eastern Orthodox Church ». — H. VAN LAAK.

S. Robertus Cardinalis Bellarminus S. I. Ecclesiae Universalis Doctor (IV). — P. SCHULZER. Kann es ein grundloses Sein geben? — Chronica: Sollemnis inauguratio anni accademici in Pont. Universitate Gregoriana. — Recensiones.

Apollinaris. – 1932. Num. 4. — AE. ALBERTARIO studio « De modestiniana matrimonii definitione » qua « Nuptiae sunt coniunctio maris et feminae et consortium omnis vitae, divini et humani iuris communicatio » quaeque initium est Digestorum tituli de ritu nuptiarum, vere Modestino tribuendam efficit rationibus criticae tum externis tum internis praesertim a notione matrimonii cum manu desumptis. — HONESTUS TATJER (Congr. Fil. S. F.) luculenter disserit « De communicatione privilegiorum inter Religiosos ». Primum vetus hac in re ius examinat, tum enumeratis auctoribus qui can. 613 excutere nollunt, argumenta in utramque, rigidiorem et mitiorem sententiam adducta perpendit. Denique concludet, theoriam mitiorem et tutam esse et receptam consuetudine qua optima legum interpres est.

The Clergy Review. — 1932. — R. D. THOMAS J. FITZGERALD. Luculenter agit de modo practico ab his qui animarum curam habent usurpandi ubi Comunismi tales immineat aut fideles quoquo modo inficiat.

Ius Pontificium. — 1932. Fasc. III. — *Bibliophilus* tractationem incepit « De vetustissimis Ecclesiae Conciliis, qua fontibus iuris canonici; Conciliumque Illiberitanum » aggressus praeambulum edit. — A. TOSO (Ephemeridum Moderator) naturam et ambitum « bonae fidei » in praescriptione et usucapione romana pervestigat eamque cum bona fide ab Ecclesia in praescriptione requisita confert.

Palestra del Clero. — 1933 — A. MANCINI (Dr.) articulo cui nomen « Ancora dell'impotenza come impedimento matrimoniale » dissertationem « De genuina ratione impedimenti impotentiae » a Dom. G. Arend in Ephemeridibus Theologiciis Lovaniensibus, mensis ianuarii 1932 publicatam, ad trutinam revocat: specialiter vero quale argumentum a Constitutione Sixti V « *Cum frequenter* », erui liceat perpendit. — FILIPPO POZZATO « De l'Eutanasia o morte pietosa » disserens, casum in quo, ut ait, iuxta PP. Vermeersch, Genicot, Salsmans, Noldin et Aaertnys, licitum est muribundum, ope morphii, sensu et sic vitae rationalis terminum accelerare, tamquam inanem vanumque reicit.

(*Continuabitur*)

PARS ALTERA

MONUMENTA

25. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Epistola enc. « Dilectissima Nobis » 3 iun. 1933

DE INIUSTA REI CATHOLICAE CONDICIONE IN HISPANIA

N. B. — *Epistola ista non solis Hispaniae archiepiscopis et episcopis sed « universo clero et populo Hispaniae » inscripta est. — Eam ex Osservatore Romano 4 iun. 1933 exscribimus.*

PIUS PP. XI,

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Dilectissima Nobis nullo non tempore fuit nobilis Hispanorum gens cum ob insignia in catholicam fidem civilemque christiani nominis cultum promerita, tum ob avitam flagrantissimamque cum Apostolica hac Sede animorum coniunctionem, tum nominatim ob magna eius instituta et apostolica incepta, per quae et ferax exstitit sanctorum virorum mater et missionalium inclytorumque religiosorum Ordinum Conditorum altrix; decus ii quidem atque firmamentum Ecclesiae Dei.

Promerita Hispaniae erga Ecclesiam.

Quoniam igitur praeclara Hispaniae gesta cum catholica Religione tam arcte coniunguntur, geminato Nos maerore idcirco afficimur, quod miserandi ii conatus obversantur Nobis qui eo sane exitu iterantur, ut, una cum maiorum fide, effectrices etiam eripiantur civilis amplitudinis causae. Quapropter Civitatis huius moderatores, ut

Inde consequens maeror Pontificis ob hostilem religioni actionem publicae potestatis et conatus constanter facti v. g. per Lega-

tum Ap. impediendi mala incoepta.

paternus postulabat animus, deesse Nobis non potuimus quin haud semel adhortaremur, ut diligenter perpenderent, fallacem se viam rationemque persequi; non enim, populorum animos laedendo vulnerandoque, eam possunt, ad cuiusvis Nationis prosperitatem adipiscendam omnino necessariam, civium omnium concordiam in usum deducere.

Id fecimus per Legatum Nostrum, quotiens novae praescriptionis edendae ingruere periculum videbamus, sacrosanctis Dei animarumque iuribus infensae. Utque dilectis Hispaniae filiis, cum ex sacrorum, tum ex laicorum hominum ordine, amantissimi animi Nostri sensus in huiuscemodi angustiis magis magisque paterent, vel publice ad eosdem paterna verba Nostra convertere, occasione data, non praetermisimus.

Nova lex infensa Congregationibus religiosis Pontificem movet ut denuo vocem attollat,

At nunc temporis, quam nuper « in religiosae fidei professiones Congregationesque » legem sanxerunt, in eam Nos temperare Nobis non possumus quin iterum vocem, reprobando conquerendoque, attollamus Nostram, cum novam ea iniuriae notam gravioremque inurat non modo Ecclesiae Religionique, sed ipsis etiam civilis libertatis praeceptis atque institutis, quibus, ut iactant, recens nititur Hispaniae regimen.

Non animo averso a novo politico Hispaniae regimine :

Neque — quod ut intento cupimus perpendant animo — hanc suadent sententiam Nostram consilia, quae iniverimus, ut nonnulli falso dictitant, et aliena a nova Hispanicae Civitatis gubernandae ratione et a politicis inibi haud ita pridem habitis immutationibus aversa.

Ecclesia enim nullam rei publicae ordinationem potiorem habet,

Omnibus siquidem in comperto est Catholicam Ecclesiam, cum prae aliis nullam rei publicae ordinationem potiorem habeat, dummodo Dei christianaeque conscientiae iura sarta tectaque evadant, tum quibusvis civilibus societatibus, ulla non interposita difficultate, convenire; sive eaedem Regni, sive Reipublicae formam induant, sive denique ab optimatium, sive a popularium dominatu pendeant.

Ut demonstrant pacta et Concordata et necessitudinis rationes cum variis Civitatibus, etiam quae post bellum regimen mutarunt.

Cuius rei argumento sunto, ut recentiora tantummodo attingamus facta, non pauca et pactiones et « Concordata », quae vocant, postremis etiam hisce temporibus digesta: itemque necessitudinis rationes, quae Apostolicae Sedi cum variis Civitatibus intercedunt; cum iis etiam, quae, post proximum maximumque bellum, regio imperio reiecto, in Reipublicae ordinationem coaluerunt.

Iamvero, numquam hae Respublicae — et ad sua instituta et ad iustae amplitudinis studia et ad gentis suae prosperitatem quod attinet — numquam, dicimus, neque ex susceptis amicitiae officiis cum Apostolica hac Sede, neque ex inito consilio, conventiones scilicet, horum temporum condicioni consentaneas, iis de rebus mutua fide transigendi, quae ad civilem et ad ecclesiasticam societatem pertinent, ulla procul dubio detrimenta ceperunt.

Quae civitatibus non nocuerunt sed potius profuerunt.

Quin immo, cum de re agatur omnino explorata ac certa, asseverare possumus ex hac fiduciae plena, Ecclesiae Civitatumque concordia, non exigua orta esse civilibus consortionibus commoda atque utilitates.

Etenim, ut omnes norunt, socialis perturbationis fluctibus, usque quaque omnia permiscentibus, firmior atque aptior ullus non opponitur agger, quam Catholica Ecclesia, quae, maxima populorum altrix, legitimae auctoritatis observantiam humanaeque libertatis iura, rationes iustitiae optataeque pacis bonum salubriter feliciterque conciliare numquam destitit.

Haec omnia qui Hispanorum Reipublicae praesunt in comperto non habere non poterant; immo etiam certiores iidem facti sunt percupere Nos ac vos, Venerabiles in Episcopatu Fratres, ad civilem ordinem tranquillitatemque tutandam adiutricem operam navare.

Ac Nobiscum et cum Hispaniae Episcopis fere omnes consensere non modo ex sacrorum administrorum, saecularium ac regularium, sed ex laicorum etiam hominum ordine, hoc est universa pene Hispanorum gens; qui quidem, etsi alius aliam propriam amplectebatur sententiam, etsi ab Ecclesiae osoribus lacessebantur ac vexabantur, constitutis tamen rei publicae moderatoribus quieto animo obtemperantes, a vi violenter repellenda, a conflandis turbis et a conturbationibus excitandis, nedum a civili bello, abstinuere. Iure igitur meritoque, disciplinae huic obtemperationique, quam Catholicae Religionis praecepta suadent, illud est potissimum tribuendum, quantumcumque pacandae rei publicae incolume adhuc exstat, quodque repugnantia factionum rerumque novarum amatorum studia evertere connituntur, omnia utique Civitatis iura atque officia violantium.

Consilia pacis S. Sedes, Episcopi in Hispania foverunt; et catholici laici a civili bello et a turbis excitandis abstinuerunt

Ac summa Nos miratione vehementique maerore idcirco commoti sumus quod nonnulli, impiam, quae in Ecclesiam invehitur, insectationem veluti comprobare co-

Insectatio Ecclesiae inde probatur non ex necessitate rei

publicae tutandae, sed ex odio adversus Dominum orta esse sicut in Mexicana et Russiarum re publica.

nantes, novae Reipublicae tutandae necessitatem esse suscepti consilii causam publice professi sint.

Quapropter liquido patet, quod proferunt huius rei argumentum, commenticium esse ac prorsus vanum, ita ut merito inde colligere possimus eiusmodi Hispanicae Ecclesiae conflictationem non tam ex catholicae fidei eiusque bene factorum ignoratione profectam esse, quam ex odio simultateque, quod « adversus Dominum et adversus Christum eius » totius religiosi civilisque ordinis subversores, in occultas sectas coalescentes, ut in Mexicana, ut in Russiarum Republica, fovent atque urgent.

* * *

Deplorat Constitutionem de seiungenda civili Societate ab Ecclesia.

Iamvero, ut ad luctuosam eam redeamus legem « de religiosae fidei professionibus deque Congregationibus latam », haud mediocri sane dolore comperimus aperte legumlatores imprimisque edicere nullam esse Civitati religionem propriam, atque adeo, quod iam Hispaniae moderandae « Constitutio » inique sanxit de Civili Societate ab Ecclesia seiungenda, id confirmare ratumque habere.

Ne diu heic multumque moremur, longius persequi nolumus quam remoti a veritate ii aberrent, qui huiusmodi discidium licitum in se probatumque habeant; idque praesertim, cum de Natione agatur, quorum cives fere omnes catholico nomine gloriantur. Haec siquidem nefasta seiunctio, si rem intento animo consideremus — ut non semel, occasione data, significavimus, ac nominatim per Encyclicas Litteras « Quas primas » — *Laicistarum* commenta necessario consequitur, qui se hominumque consortionem a Deo ideoque ab Ecclesia abalienare contendunt.

Id maxime dolendum est in Hispania.

At si cuilibet populo perabsurdum est, nedum impium, Deum Creatorem providentemque ipsius Civilis Societatis Rectorem a re publica prohibere, id tamen, peculiari modo, Hispanorum genti adversatur, quos penes Ecclesia, cum in legibus, tum in scholis inque ceteris privatis publicisque institutis nullo non tempore meritoque potiorem ac feliciter actuosiorem locum obtinuit.

Damnosa demonstrantur religioni et rei publicae haec impia incepta.

Animadvertendum praeterea est hoc impietatis inceptum non modo ipsimet christianae populi conscientiae — iuventutis praesertim, quae, Religione posthabita, educari iubetur, ac domestici convictus, cuius sacrosancta prae-

cepta violantur — non reparabili esse detrimento, sed auctoritati etiam Civitatis moderatrici haud minus incommodi ac damni inferre; quae quidem, cum ita praesidium dimiserit, quod eam populis commendabat, cum doctrinam scilicet de divina origine, sanctione obtemperandique ratione omnino respuerit, prorsus necesse est ut et validiorem obligandi vim firmiorem obedientiae observantiaeque titulum una simul amittat.

Propter quae plures Nationes pacifice cum Ecclesia iterum conversari coeperunt.

Huiuscemodi damna ex hoc discidio proficisci, eae non paucae testantur Nationes, quae, cum id ipsum in suam rei publicae ordinationem induxissent, haud ita multo post rei medendi opportunitatem professae sunt, seu leges Ecclesiae infensas — ad interpretationem saltem et ad usum quod pertinet — commutando temperandoque, seu id efficiendo, ut, quamvis haec seiunctio permaneat, Civitas tamen et Ecclesia pacate inter se conversentur mutuamque sibi operam praestent.

Iniquae leges describuntur quae ipsum ius commune Ecclesiae negarunt

Nihilo secius Hispaniae legumlatores, haec parvi pendentes quae historia docet, id genus discidium decrevere, quod illi reapse adversatur fidei, quam cives pene omnes profitentur; discidium dicimus vel eo calamitosius atque iniquius, quod, illud libertatis nomine impositum usque ad communis iuris infitiationem ipsiusque libertatis urget, quam tamen certam pariter omnibus tutamque spondent. Ecclesiam sacrosque administros iniustis exceptionibus ita obnoxios reddidere, ut eosdem subiicere magistratuum arbitrio eniterentur.

in scholis;

Etenim, « Constitutionis » ceterorumque decretorum vi, si quaevis opinio, vel omnino falsa, et publice exprimi, et in apertum potest prosilire campum, at Catholica Religio una, cui se filios addictissimos profitentur Hispani, quam impertit institutionem, videt invidiose observatam iudicatamque, et litterarum ludos ceteraque de hispanicae doctrinae optimarumque artium processu tam bene merita opera multis vexata impedimentis.

in divini cultus perfunctione et sacramentis administrantis;

Ipsa divini cultus perfunctio, in praecipuis etiam rebus ex moreque traditis ritibus, coërcitionibus non caret; ut Religionis traditio ac cura in institutis, quae a Civitatis moderatoribus pendent; ut religiosae, quae ducuntur, pompae, indebitae publicorum magistratuum temperationi omnino permissae; ut denique sacramentorum etiam administratio morientibus funerisque exsequiae vita functis.

in proprietate et bonis temporalibus.

In iis vero rebus, quae ius proprietatis spectant, vel

luculentius discrepantia patet. Siquidem « Constitutio » civibus omnibus legitimam possidendi facultatem attribuit, itemque, quemadmodum in quibuslibet accidit excultis Civitatibus, gravissimi huiuscemodi iuris usum, quod ex ipsa natura profluit, spondet atque tuetur. Attamen hac etiam de causa in Catholicae Ecclesiae detrimentum exceptionem decrevere; eam videlicet, non sine manifesta iniuriae nota, possessionibus suis omnibus excluserunt. Itaque largitorum voluntas posthabetur, finis, ad quem eiusmodi bona destinantur, spiritualis equidem ac sacrosanctus, prorsus neglegitur; ac reiciuntur iura, iam diu acquisita, certissimisque rationibus innixa. Aedificia omnia, episcoporum domicilia, parochorum sedes, seminaria denique ac monasteria, ut integra ac libera Catholicae Ecclesiae res non agnoscuntur; immo potius, eâ adhibitâ sententiâ, quae occupationis iniustitiam dissimulare contendit, publica Nationis possessio denuntiantur. Praeterea, tametsi circumscriptum aedificiorum usum, quorum integrum proprieatis ius Ecclesia eiusque administri obtinuere, ecclesiasticis institutis lege attribuunt, dummodo fini cuiusque proprio, divino nempe cultui, inserviat, decernunt tamen ut iis tributis, quae rerum non moventium usui imperantur, haec eadem aedificia obnoxia fiant; atque ita Ecclesiam, ob bona illa per vim erepta, vectigalia pendere cogunt.

Nec vera privata proprietas superest Ecclesiae.

Iamvero, hoc inducto agendi modo, Civitatis rectores eam sibi viam rationemque compararunt, qua ad precarium etiam suarum rerum usum amittendum Ecclesiam adducerent; quandoquidem eidem, possessionibus omnibusque subsidiis exspoliatae, ac multis coactae impedimentis, imposita tributa solvendi quaenam facultas erit?

Neque asseverari potest quamdam, privatam saltem, possidendi potestatem in posterum esse Catholicae Ecclesiae ex lege permissam; verba enim, quae in exarata lege sequuntur — ea nempe bona « posse Ecclesiam dumtaxat retinere, quae ad obeunda religionis officia necessaria sint » — definitam eiusmodi iuris facultatem inanem propemodum efficiunt; itemque Ecclesiam ipsam eo compellunt, ut quae sint divino muneri suo necessaria civilium magistratuum iudicio subiiciat. Itaque ii, qui Civitati praesunt, in illis definiendis rebus, quae ab Ecclesia, ad spirituales perfunctiones suas quod attinet, exigi possint, supremos iudices se iactant. Atque adeo timendum pro-

fecto est ne arbitrii huius sententia factiosis legis legumlatorumque propositis omnino faveat.

Ipsis sacris mobilibus Ecclesia spoliata est.

At neque id satis habuere; sed res etiam moventes, quibus quidem — rationariis studiosissime confectis ne aliquid praetermitteretur — liturgicas vestes, imagines, pictas tabulas, vasa, pretiosa ornamenta aliaque id genus, catholicae religionis cultui eiusque splendori atque utilitati expresse perpetuoque destinata, diligenter adnumeraverunt, publicae civitatis possessiones denuntiatae fuerunt.

Quodsi Ecclesiae ius pene eripiunt utendi possessionibus suis, quas aut ipsamet legitime sibi comparavit, aut pie eidem Christifideles dono dederunt, at contra Reipublicae rectores immodicam sibi sacris hisce rebus abutendi facultatem vindicant, earum etiam, quae, peculiari ritu, a profano usu prohibentur; idque nulla adhibita condicione, nullaque futuri damni compensatione Ecclesiae provisâ.

Ipsa templa, praeter ea quae incendio destructa sunt, propria Nationis possessio denuntiata sunt, obnoxia iis qui contempta fide catholica rem publicam regunt.

Atqui haud expleverunt haec omnia impium legumlatorum exspoliandi studium: quod templa etiam attigit, templa, dicimus, liberalium artium ornamentum, eximia gloriae historiaeque monumenta, Hispanicae Nationis laudem ac decus; templa, Dei precationisque domus; templa denique, quae Catholica Ecclesia nullo non tempore rem propriam iure meritoque habuit, quaeque — optime de iisdem merendo — actuosa cura adservavit diligenter et omni ope exornavit.

Etenim sacrae illae aedes — quarum non paucas scelesto incendiariorum furore absumptas iterum lamentamur — ut propria Nationis possessio denuntiatae fuerunt, ita iis obnoxiae factae sunt, qui, neglecta vel contempta catholica Hispanorum fide, rei publicae moderantur.

Quas igitur, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, condiciones apud vos Ecclesiae fecerunt, eaedem tristissimae utique sunt.

Clerus ita reditibus spoliatus est ut concordatum iniuste violatum sit.

Clerus iniusta ea agendi ratione, quae a nobilissimo Hispanorum animo omnino abhorret, reditibus suis ita privatus est, ut non modo officium, ex « Concordati » lege susceptum, violetur, sed absoluta etiam iustitiae iura laedantur; quandoquidem Civitatis rectores, qui hoc genus proventus decreverant, non id gratuito statuerant, sed ut, ex parte saltem, detrimenta, ob bonorum ereptionem ante acto tempore Ecclesiae illata quodammodo resarcirent.

Religiosae Congregationes vexatae sunt et calumniis lacessitae quae plebis odia excitant. Spoliatae, tributariis legibus satisfacere debent.

Ac praeterea Religiosae etiam Congregationes, ex huiuscemodi infausta lege, impiissime affectae vexataeque fuerunt. Siquidem iniuriosae inuritur suspicionis nota, posse nempe eas adversus Reipublicae incolumitatem periculosam operam conferre; quam ob rem delationibus insectationibusque infensa plebis studia commoventur; quod procul dubio facilis videtur via ac ratio ad funestiora in eas suscipienda consilia.

Tot tantisque enim relationibus, perscriptionibus inspectionibusque subiiciuntur, ut earum res omnes, his coactae impedimentis, fiscalibus molestiis praegraventur; ac denique, postquam a docendi iure et a qualibet etiam arte exercenda prohibitae sunt, qua honeste possint sibi victum comparare, tributariis legibus obnoxiae fiunt, quamvis explorata res habeatur vectigalia imposita pendendi facultatem iisdem esse necessario defuturam, quibus cuncta bona fuerint erepta; quod quidem tecta videtur ratio, qua nullus vivendi modus relinquatur.

Haec universam Hispaniarum gentem opprimunt.

Iamvero, istiusmodi decreta religiosos viros solummodo non opprimunt, sed universam etiam Hispanorum gentem: quandoquidem maxima illa beneficientiae caritatisque incepta non restinguere non possunt, quae pauperiori plebi opitulantur, quaeque saeculorum decursu cum Religiosas Congregationes tum catholicam Hispaniam praeclaris gloriae laudibus honestarunt.

In afflictis rebus generosus Hispanorum animus solacium affert.

Verumtamen in afflictis rebus, ad quas saecularis regularisque cleri administri detrusi sunt, hoc Nobis solacio est, generosos nempe Hispaniae populos, quamvis gravissimis in praesens oeconomicis negotiis distringantur, ita tamen esse digne ad iniquis hisce factis medendum elaboraturos, ut, quo Catholica Ecclesia afflictatur, inopiae incommodum pro facultate relevare contendant.

Ita enim et religionis cultui et pastoralibus cuiusque muneribus, renovatis viribus, consulere poterunt.

* * *

Pontifex simul dolet et angitur.

Quodsi, ut diximus, ob huiusmodi nefas, haud mediocri dolore afficimur, at Nos et vos Nobiscum, Venerabiles fratres ac dilecti filii, ob iniurias Divinae Maiestati illatas vel vehementius angimur. Cum enim illos Religiosorum hominum Ordines dissolvunt, qui aliis, ac Reipublicae rectoribus, obedientiae votis obstringantur, nonne

inimicos atque infestos Deo ab eoque traditae religioni animos manifesto significant?

In bello indicto Societati Iesu, Romano Pontifici iniuriosi fuerunt.

Hoc enim modo rationeque Societatem Iesu, quae Apostolorum Principis Cathedrae unum se esse ex fulciminibus validioribus iure meritoque gloriari potest, dirimere ac dimittere voluere; ea forte spe freti posse se in posterum Catholicae Religionis fidem ac praecepta in Hispanorum gentis animis restinguere, quae praeclarum illud Ecclesiae iubar, Ignatium nempe Loyoleum, edidit. At praeterea — ut iam pridem a Nobis publice denuntiatum est — supremum ipsum Catholicae Ecclesiae Moderatorem laedere ac veluti percellere voluerunt. Romani equidem Pontificis nominatim mentionem facere non ausi sunt; re tamen vera ab Hispanicae Nationis regimine Iesu Christi Vicarii auctoritatem extraneam esse edixere. Idque, perinde ac si Pontificis munus, eidem a Divino Redemptore concreditum, in quavis terrarum orbis parte extraneum asseverari possit; vel tamquam si divinam Iesu Christi auctoritatem agnoscere ac vereri, legitimae auctoritatis humanae deminutio evadat atque impedimentum; vel denique haud secus ac si civili potestati aliquo modo adversetur spiritualis ac supernaturalis potestas. Quod profecto dissidium ex eorum dumtaxat improbitate haberi potest, qui idcirco hoc ipsum discupiunt, quod exploratum habent, miseras oves nullo ductas Pastore, et e veritatis via aberraturas, et in fallacium pastorum praedam facilius esse cessuras.

Non ideo tamen Hispania observantiam erga S. Sedem remittet.

Etsi tamen iniuriae nota, divinae Romani Pontificis auctoritati inusta, grave vulnus paterno animo Nostro non inferre non potuit, minime tamen dubitavimus quin eadem avitam studiosamque Hispanorum in Beati Petri Cathedram observantiam vel parum remittere posset.

Immo potius, quemadmodum ad recentiora usque tempora ex historiae fide experti sumus, quo acrius Ecclesiae osores a Iesu Christi Vicario populos avertere connituntur, eo arctius iidem — providentissimi Dei consilio, qui ex malis potest trahere bona — Romano Pontifici adhaerere contendunt; studiosiusque adserunt ab eo uno mentibus tot errorum caligine obumbratis affulgere lucem posse, qui quidem, ut Christus Dominus, « verba vitae aeternae habet » (Cfr *Ioan.*, VI, 69)

* * *

Omnia religiosa Instituta iniustissime iure docendi iuvenes privati sunt.

Neque solummodo in praeclaram optimeque meritam Societatem Iesu tam aspere fecerunt, sed Religiosi etiam Ordines Congregationesque omnes acerbe, recenti lege, divexati sunt; quandoquidem iisdem — ingrata sane, iniusta lamentabilique opera manifesto perpetrata — docendi ius est ereptum. Cur etenim civium ordines, ob eiusmodi tantum causam, quod perfectioris vitae institutum amplexi sunt, a docendi muneribus arcentur, quae ceteris omnibus attribuuntur? Ecquid aliquis dixerit eos, qui, Religiosam Congregationem ingressi, iuvenum institutioni educationique apostolico ardore se dedunt, hac eadem ratione esse ad instituendi educandique perfunctionem minus aptos atque instructos? Atqui experiendo edocemur quam diligenti cura, quam sagaci doctrinae perspicuitate Religiosi hi viri officio satisfecerint suo; et quos uberes fructus mentibus erudiendis conformandisque animis operoso labore pepererint. Qui ex eorum scholis — et humanarum omnium disciplinarum praestantia enitentes, et catholico spiritu in exemplum praediti — non pauci prodierunt, luculentissime iidem hoc testantur; itidemque non mediocre, immo etiam permagnum, incrementum, quod eorum doctrinae domicilia in Hispania consecuta sunt, nedum discipulorum frequentia, id feliciter ostendit.

Contra vota et iura patrum et matrumfamilias.

Rem denique patres matresque familias sua agendi ratione confirmant, cum iisdem litterarum ludis filios suos fidenti animo concrediderint; patres dicimus matresque familias, qui, quemadmodum suam cuiusque subolem educandi ius atque officium a Deo exceperunt, ita sanctissimae illius libertatis facultatem obtinent, eos nempe deligendi, a quibus hac eadem in causa adiutricem operam postulent.

Iura proprietatis religiosorum etiam pedibus conculcata sunt.

At neque, ad Religiosos Ordines Congregationesque quod attinet, gravissimum hoc patrare facinus habuerunt satis, sed iura etiam proprietatis certissima legumlatores proculcaverunt liberamque conditorum et largitorum idcirco aperte violaverunt voluntatem, quod eas aedes per vim occuparunt inque eas disciplinarum ludos, Deo remoto, induxerunt, in quibus a conditoribus ipsis, ut iuvenes ad germana catholicae fidei dogmata instituerentur, erat praeceptum.

Ex quo facile coniicitur id genus consilii legumlatores inivisse, ut succrescentes hominum aetates religionis quadam neglectione, ne sacrarum dicamus contemptu rerum, imbuerent; ut ex adolescentium animis catholicos sensus a maioribus quidem acceptos, tamque alte in Hispanorum mentibus insitos, convellerent; vires denique omnes eo convertisse suas, ut iuventutis eruditionem atque doctrinam, quae ad hoc profecto tempus fide christianisque moribus alebantur ad *Laicistarum* commenta traducerent.

Haec eo consilio facta sunt ut iuventutem a catholico sensu ad Laicistarum commenta traducerent.

Quibus praescriptionibus promulgatis, tam acriter Ecclesiae iuribus libertatique inimicis atque infestis, iuribus dicimus, quae integra servari oportet, Apostolico muneri Nostro deesse prorsus arbitramur, si eamdem legem, quae tantopere divinam Ecclesiae constitutionem praepedit, non improbamus.

Ex conscientia Apostolici muneris Pontifex legem expostulat, damnat, et nihil in iura Ecclesiae eam facere posse declarat.

Quocirca legem ipsam vehementer sollemniterque expostulamus atque damnamus: eamque nullam posse in Ecclesiae Catholicae firmissima iura vim habere edicimus.

Attamen abstineri heic minime possumus, quin magnam iterum spem aperiamus Nostram, fore ut suavissimi Nobis ex Hispania filii, horum edictorum iniquitate incommodisque penitus perspectis, ea omnia experiantur, quorum vel natura vel lege habituri sint facultatem, ut legumlatoribus ea praescripta emendanda suadeant, quae cuiusvis civis at praesertim christifidelium iuribus adversantur; idque praeterea efficiant ut in eorum locum aliae edantur leges, quae cum catholicorum hominum sensu cohaereant atque congruant. Interea vero, Patris ac Pastoris animo compulsi, Episcopos, Sacerdotes, eosque universos qui adulescentibus instituendis operam navant, maximopere hortamur, ut, quam diligentissimis adhibitis curis, ad religionis praecepta atque ad christianos mores puerorum mentes impensius conformentur. Id sane vel maiorem necessitatem habere censemus, quod proxime in Hispania editae leges, divortio in rem publicam inique inducto, familiae sacrarium polluere conantur, atque aperto aditu ad domestici convictus discidium, in civilem hominum consortionem ipsam gravissimorum malorum semina iniicere non desistunt.

Spem nutrit fore ut filii Hispaniae omni facultate sua conentur obtinere legum emendationem.

Episcopis, sacerdotibus, institutoribus maximam curam commendat de conformatione puerorum ad pietatem.

Hoc igitur ingruente detrimentorum discrimine, omnes ex Hispania christifideles iterum enixeque commonefactos

Christifidelibus commendat ut, post-

habitis privatis studiis, unanimes sint in tuenda fide et patria.

volumus ut, quaerelis ac privatis studiis posthabitis, patriae religionisque commoda propriis cuiusque consiliis potiora habentes, unanimi in fidem tuendam, in rem publicam ex periculis eripiendam strenue contendant.

Coeant in Actionem catholicam.

Peculiari vero ratione christifidelibus omnibus, in Catholicam Actionem, iterum et saepius a Nobis commendatam, ut coëant, vehementer suademus, quae, etsi tam longe abest ut politicam factionem efficiat, ut contra a quarumlibet partium studiis sit prorsus aliena, christifidelium tamen animos catholicis praeceptis conformare ita enititur, ut eos collustrando confirmandoque ad fidem sartam tectamque servandam actuose excitet.

Fiduciam inculcat supernaturalem. Enixas ad Deum preces admovet.

Finem denique Nostris hisce ad vos litteris, Venerabiles Fratres filiique carissimi, imponentes, nihil opportunius esse ducimus quam ut vos etiam atque etiam adhortemur ad fiduciam omnem magis quam in humana ope, in perpetuo perennique auxilio collocandam, quod Christus Dominus Ecclesiae suae pollicitus est, inque immensa Dei erga redamantes bonitate. Quapropter animo ea reputantes Nostro, quae apud vos acciderunt, et moestissime prae primis affecti ob pergrave nefas, quod Deo illatum est — tum sacrosanctis eius violatis iuribus, tum eius praeceptis nefarie perfractis — enixas ad aeternum Numen admovemus preces, ut clementer iisdem concedat iniuriis. Qui cuncta moderatur, Civitatis rectorum mentes superna luce perfundat, voluntatesque ad meliora convertat ac dirigat. Atque iam Nobis spes tuta arridet, futurum ut supplices tot filiorum Nobiscum comprecantium voces — hoc praesertim Anni Sancti decursu, undevicesimo revoluto saeculo a peracta humani generis Redemptione — Celestis Pater benignissime admittat.

Apostolica Benedictio.

Qua quidem spe freti, atque hoc etiam consilio ducti, ut divinorum munerum copiam, cum vobis, Venerabiles fratres ac dilecti filii, tum universae dilectissimaeque Nobis Hispanorum Nationi conciliemus, horum auspicem, Apostolicam Benedictionem effuso animo impertimus.

Dies (3 iun. 1933).

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die III mensis Iunii, anno MDCCCCXXXIII, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XI

26. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Bulla 3 maii 1933

IN PATRIARCHALI BASILICA OSTIENSI PAENITENTIARIORUM MINORUM COLLEGIUM IN PERPETUUM STABILITERQUE CONDITUR.

(A. A. S., 1 iun. 1933, XXV, 229)

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quod divina favente gratia, non sine uberum beneficiorum largitione, per huius Anni Sancti decursum celebramus, Redemptionis Iubilaeum postulat ut in praecipuis almae Urbis Nostrae templis peculiares, iidemque non pauci, sacramenti Paenitentiae administri ex more deputentur, specialibus facultatibus praediti atque adeo *Paenitentiarii S. Iubilaei* vocandi; idque eo consilio, ut spirituali christifidelium utilitati, qui undique, ad iubilarem veniam lucrandam, huc confluunt, aptiore, qua fieri potest, ratione consulatur. Quapropter Decessorum Nostrorum vestigiis insistentes, cum res decerneremus, quae ad huiusmodi celebrationem pertinerent, facere non potuimus quin ad vetustam quoque Patriarchalem Basilicam Ostiensem animum converteremus; mandavimus siquidem dilecto filio Nostro Paenitentiario Maiori per Apostolicas Litteras « Indicto a Nobis » ut in hac quoque Basilica Paenitentiarii deligerentur ac renuntiarentur, haud absimili modo ac in ceteris Patriarchalibus Basilicis — Lateranensi nempe, S. Petri in Vaticano, ac Liberiana in Exquiliis — in perpetuum constituti fuere. Iamvero susceptum per hanc dierum faustitatem consilium id in mentem induxit Nostram, ut de opportunitate decerneremus Apostolicum Paenitentiariorum minorum Collegium in Ostiensi etiam Basilica, ut in aliis, quas supra memoravimus, firme stabiliterque condendi.

Memorato mandato quo Card. Paenitentiarius etiam in Basilicam Ostien. S. Pauli paenitentiarios minores providere iussus est;

Etenim, si superiore tempore, perspecta sacrarum harum aedium a frequentioribus Urbis partibus longinquitate, huius rei necessitas neque Decessoribus Nostris, neque Nobis occurrerat, at in praesens, cum tot domus, citatiore quo-

perspecto incremento populi vicini;

dam incremento, in Basilicae vicinia excitentur, consentanea advenisse tempora putamus, quibus pastoralis Nostra sollicitudo postulet ut sacrorum id genus administrorum Collegium in perpetuum condamus, qui per pretiosum Redemptoris nostri sanguinis lavacrum animos expient, eorum scilicet omnium, qui, sacramentalis Paenitentiae causâ, ad Apostoli gentium sepulcrum confluant.

considerata Basilicae dignitate

Quodsi gloriosa amplissimi huius templi monumenta, catholicam fidem ingenuasque artes redolentia, quae quidem totius terrarum orbis admirationem commovent, quaeque Romanorum omnium Pontificum inibi tessellatis operibus expressas imagines exhibent, Nos veluti excitare videntur ut privilegii eiusmodi concessionem Ostiensi Basilicae impertire ne procrastinemus, at Lateranenses Conventiones, recens feliciter in usum redactae, quibus sacrae illae aedes, ad temporaria etiam iura administrationemque quod attinet, immediate Nobis subiectae sunt, ut quam primum causam ad rem deducere maturemus quodammodo invitant.

et immediata auctoritate sua, in temporariis etiam iuribus pactis Lateranensibus sancita;

atque ex propensa voluntate erga Ordinem S. Benedicti,

Itaque, nulla adhibita mora, eo etiam consilio ducti, ut dilectae S. Benedicti soboli, quae iamdiu abbatiam S. Pauli de Urbe continentemque Basilicam actuose custodit ac moderatur, benevolentiam testemur Nostram, re diligenter collata cum dilecto filio Nostro Laurentio S. R. E. Card. Lauri, Paenitentiario Maiore, atque omnibus mature perpensis, de Apostolicae plenitudine potestatis, haec quae sequuntur, per Apostolicas has Litteras statuimus ac decernimus:

S. Pontifex statuit in perpetuum fore collegium paenitentiariorum in dicta Basilica.

Leges institutionis.

I. In Patriarchali Basilica Ostiensi Paenitentiariorum minorum Collegium in perpetuum instituimus atque erigimus, quod quidem ex monachis Ordinis S. Benedicti constet et cum a Nobis, tum in posterum a Successoribus Nostris pendeat.

II. Apostolicum hoc Collegium sex eiusdem Ordinis monachi constituant, quorum tres pro Italicae nationis paenitentibus, unus pro Gallicae, unus pro Anglicae, unus pro Germanicae sunto. Qui vero omnes italicam linguam pernoscant.

III. Candidati, qui ex quavis Benedictina Congregatione esse possunt, ab Abbate Ordinario pro tempore S. Pauli de Urbe, collatis antea consiliis cum illius monasterii Abbate, a quo pendent, Cardinali Paenitentiario Maiori praesententur.

IV. Praesentatione a dilecto filio Nostro Card. Paenitentiario Maiore accepta probataque, candidato periculum tum voce

tum scriptis apud Signaturam Sacrae Paenitentiariae faciendum est, pro eiusdem Nostri Tribunalis legibus.

V. Paenitentiarii minoris nominationem, qui periculum feliciter fecerit, Card. Paenitentiarius Maior, litteris ad hoc ipsum datis, peraget; qui tamen iis, qui ad abbatiam S. Pauli de Urbe non pertineant, ad triennium dumtaxat huiusmodi munus conferet. Paenitentiarii autem minoris legitime nominati erit, statis ab ipso Card. Paenitentiario horis, christifidelium confessiones in Basilica excipere, ea sollertia, prudentia atque caritate, quibus ad id genus officium opus est, unamque sibi animarum salutem proponere.

VI. Quod ad officium suum spectat, Paenitentiarii minoris, durante munere, Card. Paenitentiario Maiori tantummodo obnoxii erunt, qui tamen, si graviores emerserint causae, de iisdem Nobiscum aget, ut Nostram sententiam exquirat. Quod vero claustralem vitam religiosamque observationem respicit, cum in abbatia quae eidem Basilicae adiicitur iidem commorentur, Abbati Ordinario pro tempore S. Pauli plenam profitebuntur obedientiam, eumque legitimum moderatorem habebunt, etiamsi ad aliam Congregationem pertineant. A Cardinali Paenitentiario Maiore eidem Abbati permissum est, ut Paenitentiariis minoribus in iis etiam rebus invigilet, quae ad Collegii institutis obtemperandum attineant.

VII. Ex quo nominationis litteras acceperint, S. Pauli Paenitentiarii iisdem facultatibus ac privilegiis, quibus Paenitentiarii minores trium ceterarum Basilicarum, fruentur.

VIII. Si Paenitentiarius, qui ad triennium tantummodo nominationem receperit, triennio expleto fuerit in munere confirmatus, aut, post temporis intervallum, ut ad id redeat iussus fuerit, aliud periculum non faciet.

IX. Cum Nobis animarum bonum potissimum curae sit, ubi excipiendarum confessionum munus id postulare videbitur, Paenitentiarii volumus choralium officiorum celebratione exsoluti habeantur, eamque statim intermittant ac ad sedem confessionalem vocati fuerint.

Quid si alii voluerint ibi confessiones excipere?

Praeterea Nostris hisce Litteris, Basilicam S. Pauli extra moenia, ad sacramentales confessiones excipiendas quod pertinet, Cardinalis Paenitentiarii Maioris iurisdictioni obnoxiam decernimus. Quam ob rem nemo in eadem Basilica christifide-

lium confessiones in posterum excipiet, quin eiusdem Cardinalis veniam expressis verbis consecutus fuerit.

Quid de parocho?

Ipsi pro tempore parocho venia opportunaeque ad huiusmodi munus facultates a Cardinali Paenitentiario expetendae sunt; cum vero parochi officium animarum curam prae primis respiciat, neque venia neque facultatibus, de quibus dicimus, idem privabitur.

Clausulae.

Quaecumque autem his Litteris decreta continentur, ea omnia stabilia, rata, valida esse volumus et iubemus, contrariis non obstantibus quibuslibet.

Earum vero exemplis aut excerptis, etiam impressis, notarii publici cuiusvis manu subscriptis ac sigillo alicuius in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eandem volumus haberi fidem, quae haberetur praesentibus si essent exhibitae vel ostensae.

Nulli igitur liceat hanc paginam Nostrae voluntatis infringere vel ei, ausu temerario, contra ire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Dies (3 maii 1933).

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die tertia mensis Maii, in Festo Inventionis S. Crucis, anno Domini millesimo nongentesimo tricesimo tertio, Pontificatus Nostri duodecimo.

Fr. T. Pius O. P. Card. Boggiani
Cancellarius S. R. E.

Laurentius Card. Lauri
Paenitentiarius Maior.

Ioseph Wilpert, *Decanus Collegii Protonot. Ap.licorum.*

Vincentius Bianchi-Cagliesi, *Protonotarius Apostolicus.*

Annotationes

I. De ista Constitutione Apostolica, qua SS. D. N. ad insignem et celeberrimam Basilicam addit decorem quem tres aliae Basilicae Patriarchales iam dudum habuerunt, et quo tantum propter loci solitudinem, quae nunc in frequentem populum convertitur, carebat, pauca observanda nobis occurrunt.

II. Paenitintiarii, qui sex erunt monachi ex Ordine S. Benedicti, possunt ad quamlibet Congregationem Benedictinam pertinere. Omnes praesentat Abbas S. Pauli, sive ex suo monasterio, sive ex alio; sed, in hoc casu, collatis consiliis cum Abbate a quo dependent. Per se igitur, ambo Abbates de praesentando paenitentiario consentient.

Quia tamen assensus Abbatis a quo dependent non est formaliter requisitus, insinuatur fieri posse ut auctoritas superior, cuius est praesentatum acceptare, assensum istum ob causam peculiarem, praetermittat.

III. Quod ad iuridicam paenitentiarorum condicionem, ea fere similis est eius quae parocho regulari obtingit. Plenam in conversatione sua regulari oboedientiam Abbati monasterii S. Pauli praestare debebunt; in officio suo paenitentiarii, soli Cardinali Paenitentiario Maiori obnoxii erunt; ita tamen ut graviores causae, referente Cardinali, S. Pontifex dirimat, atque etiam Abbati S. Pauli competat munus cuiuspiam vigilantiae ut paenitentiarii Collegio institutis bene obtemperent.

IV. Paenitentiarii sunt quodammodo instituti ut soli Basilicae confessarii. Quare, nullus alius in ea confessiones excipere, seu, ut rem intellegimus, habere ibi sedem confessionalem potest sine expressa venia Cardinalis Paenitentiarii. Etenim « confessiones excipere » plus est quam quempiam transeunter audire et sacramentaliter absolvere.

V. Ipse loci parochus ea Cardinalis venia opus habet. Quia tamen parochi officium curam animarum secum fert, facultates ipsi non negabuntur.

A. Vermeersch S. I.

---

27. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Breve « Paterna caritas » 12 mart. 1933

INSTITUTUM ORDINIS SOCIETATIS IESU DENUO, POST CODICEM I. C., CONFIRMATUR

(A. A. S., 1 iun. 1933, XXV, 245)

PIUS PP. XI

SS D. peculiarem affectum ad religiosorum Ordines et Soc. Iesu testatur.

Ad perpetuam rei memoriam. — **Paterna caritas,** qua omnes Ecclesiae filios in Domino complectimur, impensius inclinat erga eos, qui integros dominicae vineae operarios et fideles voluntatis Nostrae administros sese exhibent, quales iam diu Religiosorum Ordines experti sumus et cotidie experimur; nihilque iucundius Nobis accidere potest, quam ut, occasione oblata, Nostri pro eorum laboribus grati animi testimonia iis praebeamus, atque ita eos ad evangelicum opus studiosius in dies prosequendum Apostolicae benignitatis stimulo incitemus. Iamvero, cum hos inter Religiosorum virorum Ordines, quos, tanquam fertilia agri domestici plantaria, sapiens Romanorum Pontificum pietas instituit, haud infimum teneat locum Societatis Iesu, quae, singularibus erga hanc Apostolicam Sedem meritis conspicua, viris pietate, religione, sacrarum eisque ancillantium bonarum litterarum scientia, ac propriae alienaeque salutis studio eximie praeditis semper refulsit, quaeque etiam nunc magni Parentis Ignatii spiritu penitus imbuta, ubique terrarum in Dei gloriam amplificandam, in Christi regnum promovendum alacriter acriterque incumbit, eam peculiaribus Nostrae benevolentiae significationibus identidem prosequi ac recreare gaudemus.

Occasio novae confirmationis.

Cum autem nuper dilectus filius Noster Wlodimirus Lédochowski, eiusdem Societatis Iesu hodiernus Praepositus generalis, absoluto diuturno sedulcque labore accommodandi Institutum sui Ordinis ad novas Ecclesiae leges in Codice iuris canonici contentas, Nos fecerit certiores novam nunc parari totius Instituti editionem, primam eam quidem post Codicem promulgatum, atque eius in primis partis quae Bullarium dicitur et Litteras Apostolicas exhibet Societati et eius conditori S. Ignatio de Loyola ceterisque post eum Praepositis generali-

bus scriptas; exemplum Decessoris Nostri fel. rec. Leonis XIII secuti, qui similem nactus occasionem, per Litteras Apostolicas *Dolemus inter* die XIII Iulii MDCCCLXXXVI in forma Brevis datas, Decessorum suorum documenta in Societatis Iesu gratiam edita et proximae, quae tunc parabatur, Instituti editioni inserenda denuo confirmare voluit, idem Nos ac libentius etiam nunc praestare statuimus, quo maioribus in praesentiarum eadem Societas ob deditissimam erga hanc Sanctam Sedem observantiam iniquis exagitatur impugnationibus.

Confirmationem a Leone XIII per Breve Dolemus inter, *13 iul. 1886 concessam, ad verbum allegat et confirmat*

Itaque, eiusdem Decessoris Nostri Leonis XIII verba mutuantes et Nostra facientes, eisque vim atque efficaciam Nostra addentes auctoritate, « omnes et singulas Litteras Apostolicas quae respiciunt erectionem, institutionem et confirmationem Societatis Iesu per Praedecessores Nostros Romanos Pontificos a fel. rec. Paulo III ad haec usque tempora datas, tam sub plumbo quam in forma Brevis confectas, et in iis contenta atque inde secuta quaecumque, nec non omnia et singula vel directe vel per communicationem cum aliis Ordinibus regularibus eidem Societati impertita, quae tamen dictae Societati non adversentur, neque a Tridentina Synodo aut ab aliis Apostolicae Sedis constitutionibus in parte vel in toto abrogata sint et revocata, privilegia, immunitates, exemptiones, indulta hisce Litteris confirmamus et Apostolicae auctoritatis robore munimus, iterumque concedimus ».

ex certa scientia et propensa erga S. I. voluntate.

Vis concessionis accurate definitur; et persuasio inde S. Pontifici orta.

Quam Decessoris Nostri privilegiorum et iuris peculiaris Societatis Iesu confirmationem, ex certa scientia et propensa erga eandem Societatem voluntate, iteramus atque apostolicae Nostrae auctoritatis robore, quatenus opus sit, denuo munimus, eamque etiam post novum Codicem iuris canonici plene vigere edicimus, iis tantum exceptis privilegiis, quae a canonibus eiusdem Codicis expresse revocata fuerint, neque a Nobis dein quocumque modo restituta. Persuasum enim habemus fore ut Societas Iesu eo securius atque alacrius in vinea Domini in maiorem Dei gloriam et Ecclesiae utilitatem comparandam incumbat, quo firmius consistant omnia et singula quae Legifer Pater, divino afflatui parens, voluit religioni a se conditae propria esse et peculiaria.

Gratia facta est in testimonium benevolentiae, in levamen calumniarum, et stimulum actionis, iuxta S. I. Institutum, Domino et Eccle-

Sint igitur dilectae Nobis Societati Iesu hae Litterae Nostrae novum, post tot alia a Nobis eidem impertita, Nostrae benevolentiae testimonium, eique, huic Sanctae Sedi devotissimae ac propterea tot tantisque impetitae calumniis, levamen aliquod afferant, quo recreati eius sodales impensius in dies « iuxta pium eorum institutum (ut memoratae Tridentinae Sy-

siae inservientis.

nodi verbis utamur » a Sancta Sede approbatum, Domino et Ecclesiae eius inservire possint » (Sess. XXV, cap. 16, *de Regularibus*, ubi de Societate Iesu).

Apostolica Benedictio.

Eiusdem vero paternae Nostrae benevolentiae testis etiam esto apostolica benedictio, quam dilectis filiis Praeposito generali et sodalibus Societatis Iesu peramanter in Domino impertimus.

Clausulae.

Decernimus autem has Litteras Nostras firmas, validas et efficaces exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri atque obtinere, et iis ad quos spectant et spectare poterunt plenissime suffragari, sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Dies (12 mart. 1933).

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XII m. Martii an. MDCCCCXXXIII, Pontificatus Nostri decimo secundo.

E. Card. PACELLI, *a Secretis Status.*

ANNOTATIO

In causa quae nimis nostra est quam ut fusius de illa disputemus, satis sit haec pauca filiali affectu gratanter observare.

Non sola privilegia sed etiam peculiare Societatis Iesu ius his litteris confirmantur.

Iisdem non sola praeterita promerita memorantur, sed simul fides fit Societatem Iesu etiam nunc S. Ignatii spiritu esse imbutam atque « ubique terrarum in Dei gloriam amplificandam, in Christi regnum promovendum alacriter acriterque incumbere ».

Amplissima ista privilegiorum Soc. Iesu confirmatio, « ex certa scientia et propensa erga eandem Societatem Iesu voluntate », datur ad significationem animi quem non solum benevolum sed etiam gratum Pontifex appellare dignatur; ad eam vindicandam a calumniis et iniquis impugnationibus quibus ob deditissi-

mam erga S. Sedem observantiam, obnoxia est, atque eumdem stimulandam ut « iuxta pium eorum institutum », sodales impensius in dies Domino et Ecclesiae eius inservire possint.

Ipsa dies qua litterae datae sunt consulto electa est 12 martii, qua Societas Iesu grates Deo refert ob anniversariam canonizationem SS. Ignatii et Francisci Xaverii.

---

28. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Breve « Inter instituta » 12 ian. 1933.

ORDO S. HIERONYMI CONGR. B. PETRI DE PISIS SUPPRIMITUR

(A. A. S., 1. april. 1933, XXV, 147)

Praeclarus in Ecclesia locus religionum.

Ad perpetuam rei memoriam. — **Inter instituta,** quae ad animorum christifidelium bonum fovendum catholica Ecclesia vigilanti studio continentique sedulitate excitanda, sustinenda, tuendaque curat, praecipuum fere locum tenent Congregationes religiosorum sive Ordines, qui, ornamentum ac praesidium religionis, temporibus iam ab antiquis floruere quavis aetate, hodieque florent.

Possunt tamen consenescere et fere ad nihilum redigi.

At vero tum ob temporum iniurias vel vicissitudines vel mutatas condiciones, tum etiam ob humanam fragilitatem rerumque hominum imbecillitatem, ex Ordinibus eisdem et Congregationibus aliquando e pristino vigore decidere atque imminuta vel nulla esse auctoritate quaedam praeteritis iam temporibus visa sunt, ac nunc quoque videri possunt. Adversis hisce casibus admoti Romani Pontifices, quibus sane totius Ecclesiae regimen commissum est, vel reformare vel, uti ex pluribus historicis documentis liquet, supprimere etiam sive penitus evellere, cum id necessitas vel opportunitas postularent, quandam e religiosis familiis ad proprii statuti vel Regulae fines adipiscendos minus aptam, minime dubitarunt, ut ita tum Ecclesiae universae bono ac tranquillitati, ipsiusque instituti

Quare RR.PP. non nulla abolere non dubitarunt.

religiosae vitae decori et tutamento consulerent, tum denique socialium rerum opportunitatem aliquando prosequerentur.

Ordo S. Hieronymi Cong. B. Petri de Pisis, qui olim optima exempla dedit, nunc tantum e quindecim sacerdotibus et quattuor laicis in septem domos distributis est constitutus.

Nostrorum itaque Decessorum ut vestigia premamus in pastorale munus Nobis divinitus commissum iugiter intenti, cum Ordinis S. Hieronymi Congr. Beati Petri de Pisis res ac negotia Nos instanter admonuerint ut opportuna ea praestaremus, quae ad sodalium eiusdem Congregationis nec non christifidelium bonum intenderent, Sacrae Congregationi Sodalium Religiosorum negotiis praepositae, aliisque viris rerum huiusmodi peritissimis in Domino commisimus ut tandem quid in hac re decernendum viderent. Ordo enim ille, qui religiosae perfectionis cupidus suarumque regularum tenacissimus iam optima christifidelibus exempla exhibuit, nunc e quindecim tantum sacerdotibus et quattuor laicis in septem distributis domos est constitutus, adeo ut in eodem nihil amplius regularis disciplinae haberi possit. Pluribus quidem ab annis Decessores Nostri rec. mem., metuentes ut idem S. Hieronymi Ordo fuerit adhuc vitalis, iterum atque iterum opera peculiari tum

Frustra tentata reformatio.

Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, tum Sacrae Congregationis Religiosorum negotiis praepositae, tum denique Apostolicorum Visitatorum, Ordinem ipsum ad antiquam regularem vitam rursus reducere et satis vigore imbuere, sed frustra, tentarunt. Nos propterea, Sacra denuo audita Congregatione Religiosorum Sodalium negotiis praeposita, motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, hisce Litteris ea quae sequuntur decernenda statuimus. Nimirum I) Ordinem memoratum Sancti Hieronymi Congregationis B. Petri de Pisis ex nunc de iure supprimimus atque extinguimus; atque omnes, qui ad eumdem pertinent, a religiosis votis quibuslibet sive sollemnibus sive simplicibus, quibus ex eiusdem Ordinis titulo obstricti sint, ex nunc dispensamus et sic dispensatos eosdem de facto habere volumus. Aspirantes autem vel studentes vel postulantes aut novitios omnes, si qui exstent, pariter ex nunc dimissos declaramus et ad suas cuiusque domos remittimus. II) Omnibus deinceps maneat interdicta delatio habitus eiusdem Ordinis suppressi; sacerdotes vero iam eidem Ordini adscripti in posterum modestam vestem clericis saecularibus communem induant. III) Omnes et singulae domus, residentiae et cuiusque generis bona, quae ad Ordinem sic per Nos exstinctum pertinuerint, ex nunc deferantur ad Sanctam Sedem, quae ad normam can. 493-494 Codicis iuris canonici de eisdem suo tempore disponet. IV) Interea Ordinarii locorum nomine Sanctae Sedis possessionem capiant domorum

Ideo SS. D. Ordinem exstinguit.

Varii exstinctionis effectus.

atque ecclesiarum una cum sacra supellectili, rerum omnisque generis bonorum ut supra, quae ubique locorum exsistant, deque illorum statu rationem reddant huic Sanctae Sedi. Provideant tamen Ordinarii ipsi ne Dei cultus vel animorum christifidelium cura aliquid detrimenti capiant. V) Volumus autem ut soluti Ordinis sodalium sustentationi, fructibus bonorum, quae ad Sanctam Sedem sunt ut supra devoluta, quantum fieri potest, provideatur; tributis singulis, qui vel ratione aetatis vel defectu sanitatis minime idonei ad munera explenda videantur, annuis reditibus a Delegato Apostolicae Sedis determinandis. VI) Ea vero omnia, quae hisce Litteris apostolicis Nostris statuimus, exsecutioni mandanda committimus venerabili fratri Lucae Hermenegildo Pasetto Episcopo titulari Geritano, qui opportuniore modo, per subdelegatum etiam, providebit ut sacerdotes eiusdem Ordinis per Nos suppressi, qui apti sint, per benevolos Ordinarios vel dioecesi alicui incardinentur vel sine incardinatione licentiam sacerdotalia officia et ministeria exercendi obtinere possint. VII) Cum igitur praefatus Ordo S. Hieronymi Congregationis B. Petri de Pisis hisce Litteris Apostolicis Nostris, ad omnes effectus legis, ex integro suppressus exstinctusque sit habendus, nullo modo in posterum nec sub qualibet specie vel praetextu vitam aboliti Ordinis nemini instaurare liceat; neque ulla ratione ac titulo postulantes vel novitios a quocumque in posterum admittantur.

Nemini licet vitam Ordinis instaurare.

Haec statuimus, mandamus decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare et permanere, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, quarum etiam specialis mentio in suppressionibus perpetuis fieri debet, ceterisque in contrariis quibuslibet. Volumus autem ut praesentium Litterarum exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Clausulae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XII mensis Ianuarii, anno MDCCCCXXXIII, Pontificatus Nostri undecimo.

Dies 12 (ian. 1933).

E. Card. PACELLI, *a Secretis Status.*

ANNOTATIONES

I. Existimavimus utile et gratum lectoribus fore, ut exemplum plenae Ordinis religiosi exstinctionis, cum variis opportunis clausulis legere et conservare possint. Quare monumentum de exstinctione Congregationis B. Petri de Pisis, Ordinis S. Hieronymi, ex integro exscribimus.

II. Plures eremitarum Congregationes, assumpta regula S. Augustini, a S. Hieronymo appellatae sunt propter non nulla excerpta e scriptis S. Doctoris.

Inter eas numerabatur Congregatio quam condidit B. Petrus Gambacurta de Pisis († 1435), dicta quoque Pisana eremus. Haec adeo severas exercebat paenitentias, ut ipse Conditor statuerit neminem aetatis infra 18 annos vel superioris 50 in suam religionem cooptari posse.

III. Congregatio ista, praeter plura alia domicilia, Romae possidebat ecclesiam S. Honofrii, quae sepulcrum poetae Tasso continet. Ipse poeta, in contiguo monasterio animam exhalavit.

IV. Observes, ex can. 102 personam moralem duplici modo exstingui posse: vel decreto legitimae auctoritatis, vel elapsis centum annis ex quo, deficientibus sociis, exsistere desierat. Quare, non quidem si formaliter suppressa erat, sed si mere esse desierat, intra centum annos, cum suis iuribus et privilegiis renasci poterat. Dum S. Pontifex, in fine praesentium litterarum, vetat ne quis, ullo praetextu, vitam abolito Ordini reddat, mere canonem 102 applicat et urget.

V. De exstinctione et resurrectione personae moralis, cfr disputationem nostram *Periodica*, XX (1931) 84*-88*.

A. VERMEERSCH S. I.

29. — S. Paenitentiaria Apostolica

(Officium de Indulgentiis)

Decretum 20 mart. 1933 de expresso mandato SS. D.

De facultatibus indulgentias piis operibus aut devotionis obiectis adnectendi deque analogis quibusdam indultis, tantum directe a Sacra Paenitentiaria in posterum concedendis.

(A. A. S., 1 apr. 1933, XXV, 170).

Quonam consilio decretum feratur.

Consilium suum persequens rei sacrarum Indulgentiarum reformandae, cohaerenter cum iam latis identidem hunc in finem postremis hisce temporibus similibus dispositionibus, Sacra Paenitentiaria Apostolica, quo melius ordinentur facultates Indulgentias adnectendi piis quibusdam operibus aut devotionis obiectis et alia quaedam analoga indulta, quibus privati sacerdotes saepe saepius donari postulant, de expresso mandato SS.mi Domini Nostri, sequentia statuit ac decernit:

Mandatum SSi memoratur.

Facultates et indulta quae revocantur.

Concessiones omnes et singulae, piis fidelium associationibus cuiuscumque nominis vel naturae, etsi forte sacerdotibus tantum constantibus, quovis loco aut tempore seu modo vel titulo hucusque factae, largiendi privatis sacerdotibus facultates et indulta quae sequuntur, nempe benedicendi devotionis obiecta eisque Indulgentias Apostolicas aut Sanctae Birgittae, ut aiunt, adnectendi — benedicendi coronas easque (quamque pro suo modo) Indulgentiis ditandi – benedicendi crucifixos ad lucrandas Indulgentias pio Viae Crucis exercitio pro legitime impeditis adnexas necnon ad plenariam in mortis articulo Indulgentiam acquirendam — impertiendi benedictionem papalem in fine concionum — concedendi indultum, quod dicunt, altaris privilegiati personalis, praesenti Decreto revocantur, abrogantur atque omnino abolentur ita ut ab huius ipsius Decreti evulgationis die omni prorsus vi careant omnique efficacia destituantur.

Dies a quo revocationis.

Quonam recurrendum pro gratia nova.

Qui, igitur, sacerdotes haec vel illa ex supra recensitis facultatibus aut hoc vel illo ex supra memoratis indultis post-

hac augeri cupiant, nonnisi directe atque immediate a Sacra Paenitentiaria desideratam gratiam se obtinere posse sciant, oblatis toties quoties peculiaribus proprii Ordinarii ad rem litteris commendatitiis.

Quaenam intra quosnam fines vigere pergant.

Quod vero ad privilegia attinet quibusdam Ordinibus vel Congregationibus religiosis concessa benedicendi coronas easque ditandi Indulgentiis — adnectendi crucifixis Indulgentias Viae Crucis, in aliquibus rerum adiunctis etiam absque stationum percursu lucrifaciendas — stationes Viae Crucis erigendi, haec ipsis manent, ea tamen lege ut in posterum membra eorumdem Ordinum vel Congregationum uti eisdem valeant tantum personaliter, non autem ita ut ea concedere quoque possint aliis sacerdotibus ad eosdem Ordines vel Congregationes non pertinentibus: hi enim omnes facultates, usui talium privilegiorum necessarias, tantummodo a Sacra Paenitentiaria, modo superius indicato, obtinere poterunt.

Clausula.

Contrariis quibuscumque, etiam peculiari atque individua mentione dignis, non obstantibus.

Dies (20 mart. 1933).

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Paenitentiariae, die 20 Martii 1933.

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S. I. TEODORI, *Secretarius.*

ANNOTATIONES

Multae quaestiones et dubitationes quibus praesens decretum occasionem dat postulant ut istud plenius et accuratius exponere conemur.

Decreti divisio.

Ab ipsa S. Paenitentiaria decretum in duas partes dividitur quarum altera est omnibus fidelium associationes communis, altera est propria Ordinum vel Congregationum religiosarum.

Praeterea ambae partes quandam revocationem decernunt ac subinde positivum modum indicant occurrentibus necessitatibus providendi.

Expositio prioris partis.

Associationum nomine veniunt quaecumque instituta in tertia Parte libri II Codicis I. C., titulo XVIII et XIX numerantur. Sunt igitur Tertii Ordines saeculares, Confraternitates et Piae Uniones, Archiconfraternitates et Primariae Uniones.

Sive sint mixta seu sacerdotibus et laicis composita, sive solis sacerdotibus constent. Postremum istud est consulto expressum, ne quis uniones sacerdotales exciperet, quia tertia Codicis pars inscribatur *De laicis.* Itaque decreto isti obnoxia sunt: *La lega di santità sacerdotale, Foederatio sacerdotalis ad promovendam communionem frequentem et cotidianam,* etc.

Facultates et *indulta* ipsa quidem non abolentur sed abrogantur concessiones eadem *largiendi.*

Concessiones largiendi bifariam intellegi possunt, i. e. de largitione quae ab associationibus fiat actu formali et distincto ab ipsa cooptatione, et de largitione seu communicatione quae ipsa cooptatione tacite contineatur, quatenus quotquot inscribantur socii indulto fruantur, v. g. benedicendi devotionis obiecta iisque indulgentias annectendi.

Pro priore explicatione dici possit quod indulta quae cum qualitate socii cohaerent non tam ab associationibus quam a S. Sede, ab approbatis statutis concessa sunt.

Nihilominus certa est altera explicatio, quia fidelium associationibus nulla potestas confertur facultates formaliter largiendi, sed sociorum facultates sunt sociorum privilegia quae ab associationibus, velint nolintve, sociis necessario communicantur.

Si igitur revocationes solis formalibus largitionibus circumscriberes, praesens decretum omni vera

efficacia destitueres, quod sane a mente S. Paenitentiariae longissime remotum est.

Benedicendi obiecta eiusque indulgentias annectendi. Duo haec complexive sumenda sunt. Mera facultas benedicendi non tollitur; abrogatur autem facultas eadem indulgentiis ditandi.

Eisque indulgentias Apostolicas aut S. Birgittae, ut aiunt, adnectendi. Generalior vox: *obiecta*, quam *coronae* hic usurpatur, quia indulgentiae apostolicae non solis coronis sed quibuslibet rebus piis, solidae seu consistentis materiae annecti possunt,

Indulgentiae autem S. Birgittae nunc constanter cum indulgentiis apostolicis simul conceduntur.

Facultates benedicendi scapularia non memorantur. Nonne igitur praesenti decreto excipiendae sunt?

Ac *directe* quidem excipiendas esse, manifestum fit eo quod decretum revocationem ad *facultates et indulta quae sequuntur* applicat, et abrogationes gratiarum stricte, seu non ultra verba decreti abrogantis, interpretandae sunt.

Diximus tamen praefatas facultates *directe* excipiendas esse. Etenim pro pluribus scapularibus, receptio in piam unionem seu confraternitatem impositioni coniungitur. Casus est, v. g. scapularis B. M. V. de monte Carmeli; scapularis Perdolentis M. Virginis. Si quae facultates ditandi res indulgentiis sociis istarum piarum unionum obtingerent, eae vi praesentis decreti perirent.

Ab huius ipsius decreti evulgationis die abolentur. Dies evulgationis est dies qua, secundum normam Codicis can. 9, tres menses vacationum per se initium habent. Est ergo dies qui fasciculo *Acta Ap. Sedis* appositus est, i. e. in casu a prima die aprilis anni 1933. Explicite igitur dies evulgationis memoratur, ut tempus vacationum hic excludatur. Nec plane liquet diem fasciculo ephemeridis officialis ut diem evulgationis

habendam esse, cum fasciculi distributio soleat, saltem pro plurimis locis, esse illa die posterior.

Eam tamen diem indicavimus, quia aliter dies evulgationis incerta manebit et alia in aliis locis aestimanda erit: unde multae confusiones.

« *Ita ut omni prorsus vi careant* » non ipsae iam participatae facultates, sed futurae facultatum concessiones. Qui iam, ut allecti socii, istas facultates seu indulta habebant, eadem possidere pergunt. Atque observes, indulto quo concessio sociis facienda ad certum tempus puta septem annos limitetur, non limitari facultates sociis factas, nisi aliud expresse caveatur.

Quaeres quid iuris si quis Titius ante abrogationis diem in socium cooptatus fuerit, sed alteram condicionem facultati habendae requisitam, v. g. approbationem ad confessiones audiendas nondum impleverit? Quid si iurisdictionem prius habitam per intervallum amiserit?

Respondemus facultatem ipsi accrescere vel restitui a momento quo iurisdictionem obtinuerit vel recuperavit.

Ratio est quia, ut supra diximus, associatio tunc facultates largitur quando quempiam in socium cooptat. Adimpletio alius condicionis non iam largitionem ab associatione respicit quae sola attendenda est et sola abrogatur.

Qui *posthac* aliqua ex recensitis facultatibus, vel aliquo ex memoratis indultis augeri cupiat, id per supplicem libellum, proprii Ordinarii commendatione ornatum, a S. Paenitentiaria immediate obtinere poterit.

Commendatio *toties quoties* afferenda additur, ita ut generalis oratoris commendatio pro gratiis ab ipso petendis sufficere nequeat.

Expositio alterius partis.

In primis quaeritur utrum annon dicta de Ordinibus vel Congregationibus religiosis valeant quoque de

societatibus quae in communi cum probatis Constitutionibus sub regimine Superiorum, religiosorum vivendi rationem, sine tribus votis publicis imitantur.

Ac dicta de iis quoque valere arbitramur quia in Codicis I. C. Libri II Parte secunda *De religiosis* earum ius exponitur. Praeterea, cum certo certius locum non habeant inter *Fidelium associationes* quae sub titulo *De laicis* reperiuntur, decreti divisio foret inadaequata nisi in altera eius parte istas societates comprehenderet.

Itaque privilegia religiosis Institutis concessa annectendi indulgentias coronis, crucifixis, erigendi stationes Viae Crucis ea manent, sed personaliter tantum utenda membris earum religionum, et non iam concedenda sacerdotibus extraneis.

Istae enim religiones re vera habent privilegia quasdam facultates aliis sacerdotibus concedendi:

Facultas impertiendi benedictionem papalem in fine contionum, indultum altaris privilegiati personalis, silentio praetereuntur. Eadem tamen quoque religiosis manere non ambigimus, hac simplici ducti ratione, quod nulla clausula neque ea quae concessiones associationum abrogat, neque ea quae privilegia religionum praeservat abolentur.

Id tantum dubitari possit. Societati Iesu sicut pluribus religionibus concessum est, ut in fine Missionum vel Exercitiorum spiritualium, praeses missionum benedictionem apostolicam ipse impertire vel eam digniori e clero etiam saeculari impertiendam delegare possit. Valetne adhuc ista delegandi facultas, cum ex decreto membra religionum iisdem iam non possint uti nisi personaliter, exclusa concessione quae extraneis facta?

Quia tamen in decreto de solis facultatibus *habitualibus* fit sermo, et substitutio ista, in Exercitiorum spiritualium fine, sacerdotis extranei pro religioso non

sit nisi ad actum prorsus transeuntem, eam sicut ante decretum fieri posse arbitramur ?

Expositionis complementa.

Praesens decretum pars est consilii generalioris melius ordinandi facultates tam saepe petitas annectendi indulgentias piis operibus aut rebus benedictis vel habendi analoga indulta (v. g. conferendi benedictionem papalem).

Explicite autem memoratur *expressum* mandatum SS. D. N. ex quo decretum originem trahit, quia S. Paenitentiaria nulla generalia decreta nisi ex Pontificis mandato condit vel promulgat.

A. VERMEERSCH S. I.

---

30. — S. Paenitentiaria Apostolica

Decreta de indulgentiis

I. — Decretum 21 mart. 1933

PIUM EXERCITIUM, QUOD « HORAM SANCTAM » VOCANT, INDULGENTIIS DITATUR.

(A. A. S., 1 april. 1933, XXV, 171)

Horae sanctae notio.

Iam diu invectum est largiusque in christianum populum inductum, pium illud precandi genus, quod vulgo « Horam Sanctam » vocant, quodque eo potissimum spectat, ut Iesu Christi Passionem et Mortem in fidelium animos revocet et ad flagrantissimum eius amorem, quo ductus divinam Eucharistiam suae Passionis memoriam instituit, meditandum colendumque ita eos excitet, ut sua ceterorumque hominum admissa eluant atque expient.

Occasio praesentis largitionis.

Quapropter Ss.mus D. N. Pius div. Prov. Pp. XI, cum indictum haud ita pridem Annum Sanctum, undevicesimo exeunte saeculo a peracta humani generis Redemptione, non alio modo

auspicari exoptat, quam sollemnem eiusmodi celebrationem supplicationemque in Vaticana Basilica participando, tum hanc opportunitatem nactus, in audientia infra scripto Cardinali Paenitentiario Maiori die XVIII mensis Martii anno MDCCCCXXXIII concessa, id ipsum piaculare exercitium indulgentiis, quae sequuntur, ditare dignatus est:

Audientia SS. 18 mart. 1933.

Indulgentiae.

1. *plenaria* christifidelibus omnibus, qui, rite confessi ac sacra Synaxi refecti, in quovis templo aut publico vel, pro legitime utentibus, semipublico oratorio, pium hoc exercitium per integram Horam participaverint itemque ad intentionem Suam oraverint;

2. *partiali* vero *decem annorum* iis qui, saltem corde contrito, publice vel privatim hoc peregerint.

Clausula.

Praesentibus, absque Apostolicarum Litterarum expeditione, in perpetuum valituris, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Dies (21 mart. 1933).

Datum Romae, ex aedibus S. Paenitentiariae, die 21 Martii 1933.

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S.

I. TEODORI, *Secretarius.*

II. — **Decretum 23 mart. 1933**

INDULGENTIA DITATUR INVOCATIO QUAEDAM AD SS. REDEMPTOREM.

(A. A. S., 1 apr. 1933, XXV, 172)

Die 23 Martii 1933

Invocatio « Te ergo quaesumus etc. » indulgentia 300 dierum toties quoties ditatur.

Sanctissimus Dominus Noster Pius, divina Providentia Papa XI, in Audientia infrascripto Cardinali Paenitentiario Maiori concessa, benigne elargiri dignatus est Indulgentiam partialem trecentorum dierum, a christifidelibus lucrandam quoties invocationem « Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni, quos pretioso Sanguine redemisti » saltem corde contrito recitaverint. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S. I. TEODORI, *Secretarius.*

ANNOTATIONES

I. Per annum sanctum utraque indulgentia non poterit personaliter sed tantum in suffragium defunctorum acquiri.

II. Ex priore decreto colligimus essentiam horae sanctae eam esse ut, revocata memoria amoris quo Christus pro nobis passus et mortuus est, ac sanctissimam Eucharistiam instituit, fideles meditatione et cultu excitentur ad expianda propria ceterorumque hominum peccata. Definiri possit: hora amoris reminiscentis et reparantis.

In qualibet parte diei institui potest, dummodo integra hora in isto piaculari exercitio insumatur.

Ad indulgentias consequendas peragi debet in ecclesia vel oratorio publico vel etiam in oratorio semipublico « pro legitime utentibus », quales per se, excluso impedimento clausurae, sunt omnes.

---

31. — S. Paenitentiaria Apostolica

Responsa 30 mart. 1933

DUBIA CIRCA FACULTATES CONFESSARIIS PEREGRINIS CONCESSAS ANNO VERTENTE GENERALIS MAXIMIQUE IUBILAEI.

(A. A. S., 1 apr. 1933, XXV, 173)

Dubium de iurisdictione delegata ad excipiendas confessiones sociorum peregrinorum.

Sacra Paenitentiaria ad proposita dubia, quae sequuntur:

1. « Utrum in facultatibus specialibus quas Sacra Paenitentiaria tribuit confessariis peregrinis anno vertente Generalis Maximique Iubilaei a die II mensis Aprilis anno MDCCCCXXXIII ad diem II usque mensis Aprilis anno MDCCCCXXXIV * intelligatur inclusa etiam facultas iurisdictionis delegatae ad excipiendas in Urbe et suburbio peregrinorum sociorum confessiones ».

---

* Cfr *Acta Ap. Sedis*, XXV, n. 3, pag. 65.

De iurisdictione et facultatibus in itinere.

2. « Utrum confessarii peregrini durante itinere possint confessiones sociorum peregrinorum excipere, necnon uti praedictis facultatibus specialibus ».

Respondit:

Ad Ium : *Affirmative.*

Ad IIum : *Affirmative* ad primam partem ; *Negative* ad secundam.

Dies (30 mart. 1933).

Datum Romae, ex Sacra Paenitentiaria Apostolica, die 30 Martii 1933.

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S. I. Teodori, *Secretarius.*

ANNOTATIONES

Ex responsis haec habemus.

1. Ipsa Paenitentiaria delegavit facultatem ad audiendas confessiones sociorum peregrinorum, in Urbe et suburbio.

2. Immo iurisdictio ista delegatur per totum iter, quod tum Romam eundo, tum redeundo in patriam intellegendum est.

Sed extra Urbem et suburbium, non conceditur usus aliarum facultatum specialium.

---

32. — S. Paenitentiaria Apostolica

(Officium de Indulgentiis)

Decretum 22 April. 1933

DE QUIBUSDAM INDULGENTIIS ADNEXIS RECITATIONI « PATER, AVE ET GLORIA » SEXIES REPETITAE.

(A. A. S., 1 iun. 1933, XXV, 254)

Excessus in Summariis indulg.

In non paucis Indulgentiarum Summariis ad recitationem sex Pater, Ave et Gloria adnexae dicuntur, *toties quoties*, Indulgentiae universae septem Urbis basilicarum, Stationum Romanarum, Portiunculae, Ierusalem et S. Iacobi a Compostella :

raro admodum aliqua temporis aut loci habita ratione, nulla inter plenarias et partiales facta distinctione, nulla aut una vel alia solummodo ex suetis conditionibus servata.

Inde plurium admiratio, et controversiae.

Talis tantaque Indulgentiarum largitio non modo haud mediocris admirationis causa exstitit apud plures, qui opinati sunt nimia hac, ut aiebant, prodigalitate thesauros Ecclesiae, tanta sanctitate ac studio iugiter servatos ac custoditos, quodammodo effundi, sed et ansam viris doctis praebuit in diversissimas sententias abeundi tum quoad modum documenta interpretandi quibus eaedem Indulgentiae inniti dicebantur, tum quoad rationem eamdem largitionem cum Sanctae Sedis praxi componendi.

S. Paenitentiaria rem deferendam censuit S. Pontifici.

Quam ob rem Sacra Paenitentiaria, haud semel de natura et numero harum indulgentiarum quaesita, tandem id consilii cepit ut tota res deferretur Summo Pontifici, Supremo thesaurorum Ecclesiae Moderatori, ut hoc super negotio mentem Suam aperiret.

Is rem in aud. 20 ian. 1933 diremit.

Itaque Sanctitas Suas, omnibus mature perpensis quae ad hanc rem spectabant, in Audientia infra scripto Cardinali Maiori Paenitentiario die 20 Ianuarii proxime elapsi concessa, decernere dignata est:

Vere concessae indulgentiae, abrogatis quibusvis aliis concessionibus et privilegiis.

Indulgentias, quae in praefatis Summariis adnexae exhibentur recitationi sex *Pater*, *Ave* et *Gloria*, ita moderandas esse ut christifideles, qui gratiis spiritualibus de quibus in iisdem Summariis fruuntur, Indulgentiam tantum *partialem decem annorum* lucrari valeant quoties saltem corde contrito et devote memoratam recitationem fuderint ad mentem Summi Pontificis id est pro pace animorum, debita ubique libertate Ecclesiae atque populorum omnium concordia et vera prosperitate: si vero per integrum mensem hoc peregerint, Indulgentiam *plenariam*, suetis tamen conditionibus, acquirere queant: abrogatis praecedentibus hac super re concessionibus et privilegiis; contrariis quibuslibet etiam speciali mentione dignis minime obstantibus.

Derogatio contrariorum, etiam speciali mentione dignorum.

Dies (22 apr. 1933).

Datum Romae ex aedibus S. Paenitentiariae, die 22 Aprilis 1933.

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S.

I. TEODORI, *Secretarius.*

ANNOTATIONES

In summario indulgentiarum scapularis B. M. Virginis Immaculatae, quod anno 1845, die 12 iulii, pluries deinceps, et tandem 26 aug. 1882 est a S. *Congr. Indulgentiarum* approbatum, re vera sociis, seu qui Scapulare istud rite receperunt, si ad intentiones praescriptas sex Pater, Ave, Gloria, recitaverint, toties quoties omnes istae indulgentiae promittuntur quae in praesenti decreto numerantur (1).

In classico tamen opere *De Indulgentiis,* conscripto a BERINGER S. I., pluries deinceps ab ipso et successoribus et nunc cura R. P. STEINEN S. I. quindecies edito, observant I, n. 948: *a*) authentica istarum indulgentiarum documenta in summario desiderari, ipsosque latere; *b*) « *Toties quoties* », cum agitur de indulgentia plenaria, ex decreto S. *C. Indulgent.* et *SS. Reliquiarum, Delatae saepius,* 7 mart. 1678 et 14 april. 1856 (Decr. auth. n. 374, ad 3) esse intellegendum semel in die.

II. Praesens decretum iam ideo gratanter accipietur, quod finem dubiis imponit.

III. Observes denique, nullas, hoc decreto, indulgentias concedi iis omnibus qui sex *Pater, Ave, Gloria,* recitaverint, sed iis tantum qui dictis Summariis fruuntur; v. g. iis qui scapulari B. M. V. Immaculatae sunt legitime induti.

A. VERMEERSCH S. I.

(1) In opere S. ALPHONSI de Ligorio, *Le Glorie di Maria,* § IV, Summa indulgentiarum plenariarum aestimabatur numero 535 aequare.

ACTA SUMMATIM RELATA

33. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Inter S. Sedem et Badensem rempublicam sollemnis Conventio inita die 7 novembris 1932.

A. Die 7 nov. 1932, convenit inter S. Pontificem et Ministerium Status Badensis, ut per Concordatum relationes Ecclesiae Catholicae et Statum Badensem stabiliter ordinarentur. Plenipotentiarii fuere Em. Card. PACELLI, Secretarius Status, et tres Ministri Status Badensis, Dr. SCHMITT, Praeses ministerii et Minister Iustitiae, Dr. BAUMGARTNER, Minister Cultus et Instructionis publicae, Dr. MATTES, Minister Aerarii publici.

1. Legalis tutela liberam professionem et liberum exercitium religionis catholicae proteget.

2. Dignitates Capituli conferuntur a S. Sede, instantibus alternatim archiepiscopo Friburgensi, audito Capitulo, et Capitulo, annuente archiepiscopo. Canonicatus libere conferuntur ab archiepiscopo, alternatim audito et consentiente Capitulo.

Quattuor canonici ad honorem nominantur ab archiepiscopo, alternatim audito Capitulo et de consensu Capituli. Hi canonici pari iure sunt cum titularibus quod ad iura capitularia Concordato sancita.

3. Capitulum, vacante sede, archiepiscopum eligit inter tres a S. Sede designatos et quorum unus saltem pertineat ad archidioecesim. Antequam electum confirmet, S. Sedes a Ministerio Status Badensis exquiret num Gubernium obicienda quaedam habeat ex politicis rationibus generalibus, exclusis rationibus factionis politicae.

4. Archiepiscopus officia ecclesiastica libere erigit et mutat, quatenus nulla nova subsidia pecuniaria a Statu eroganda quaerantur.

Libere officia providet, salvo privato iure patronatus; libere quoque regimen patrimonii Ecclesiae catholicae et suorum corporum, institutorum et fundationum ordinat, intra limites legis Badensis 7 april. 1927 de bonis ecclesiasticis, et legis 19 iul. 1918 de fundationibus.

5. Proprietas et iura patrimonialia Ecclesiae catholicae, ad normam Constitutionis Imperii Germanici sancta sunt. Ordines et Congregationes religiosae libere conduntur, et secundum ius

civium commune, iura corporis publici iuris aut personam iuridicam ordinis privati acquirere possunt.

6. Praeter vigentem statum iuridicum et quaedam supplementa, subsidia annua a Statu danda definiuntur 356000 Reichsmark.

. . . . . .

8. Clerici muniendi stabili officio parochiali debent esse cives Germaniae et saltem per tres annos perfecisse studia philosophiae et theologiae in athenaeo superiore Status Germaniae (vel Austriae) vel athenaeo ecclesiastico dioecesano vel Institutorum religiosorum in Germania, vel Pontificio athenaeo Urbis.

. . . . . .

10. Antequam quis ad munus docendi in catholica theologica facultate Universitatis Friburgensis in Baden admittatur, interrogandus est archiepiscopus, si nihil habeat excipiendum contra candidatum. Si quaedam obiecerit, candidatus non admittetur. Ac removendus est quem archiepiscopus non idoneum denuntiaverit.

11. Ad normam art. 149 Const. Imperii Germanici, instructio religiosa catholica est inter ordinaria scholarum argumenta.

11. Supplementum. Intacta manebunt in posterum vigentia iura Ecclesiae catholicae de scholari instructione religiosa. Id spectat ad ludos litterarios et ad scholas superioris ordinis et ad eas quas professionales vocant.

Ratihabitio. Conventio rata habita est 11 mart. 1933, hora 8,30 in Urbe « Karlsruhe ». Tunc instrumenta ratihabitionis permutata fuere (*A. A. S.*, XXV, 177).

Abbas Primas pro tempore O. S. B. instituitur Magnus Cancellarius Collegii S. Anselmi, B. Brevi *Ad montem Aventinum*, 14 ian. 1933, SS. D. memorans Collegium O. S. B. a S. Anselmo nuncupatum, perpetuo privilegio frui omnes gradus academicos cum in philosophia, tum in s. theologia, tum in iure canonico conferendi alumnis utriusque cleri saecularis vel regularis, vestigia premens suorum Decessorum, praesertim Leonis XIII et Pii X, libenter occasionem nanciscens denuo suam benevolentiam eidem collegio exhibendi, motu proprio, certa scientia, matura deliberatione et de Apostolicae potestatis plenitudine, decrevit ut Abbas Primas pro tempore, in perpetuum Magnus Cancellarius Athenaeo S. Anselmi de Urbe praeficeretur (*A. A. S.*, XXV, 239).

quod Pontificium *renuntiatur.* C. Decreto 15 ian. 1933, S. Cong. de Seminariis et studiorum Universitatibus refert mandatum SS. Domini, quo praefatum Collegium S. Anselmi titulo *Pontificii* honestatur (*A. A. S.*, XXV, 169).

Magister Generalis pro tempore O. Pr. instituitur Magnus Cancellarius Pontificii Collegii Angelici.

D. Brevi *Post consilium,* 7 mart. 1933, SS. D. N. refert ordinationem qua Capitulum generale Ordinis Praedicatorum statuit ut altiores Scholae, in quibus nulla Facultas deesset crearentur in aucto Pontificio Collegio Angelico, opportune in coenobium SS. Dominici et Xysti translato. Preces inde audiens praesentis Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum, ultro libenterque Magistrum, pro tempore exsistentem, in perpetuum nominat praefati Pontificii Collegii Magnum Cancellarium. Iam ex privilegio Pii X et Benedicti XV, academicos gradus in tribus Facultatibus Theologiae, Philosophiae et Iuris canonici Collegium Angelicum conferre potest (*A. A. S.*, XXV, 243).

R. P. Ferd. Napoli Praep. Gen. gratulatur IV saec. completum ab approbato Ord. Barnabitarum.

E. Epistola 8 febr. 1933, SS. D. N. celebratis Ordinis promeritis, Praeposito Generali Congr. Clericorum Regularium a S. Paulo, quartum completum saeculum ab Ordinis approbatione gratulatur (*A. A. S.*, XXV, 150).

Nova eccl.ca provincia Goyasensis.

F. Bulla *Mariannen. et Goyasen.*, 8 nov. 1932, dismembratur ecclesiastica provincia archiepiscopalis ecclesiae Mariannensis et nova ecclesiastica provincia Goyasensis erigitur atque ecclesia Goyasensis fit metropolitana, fruens iuribus et privilegiis metropolitanae ecclesiae in Brasiliana Republica (*A. A. S.*, XXV, 145).

G. *Litterae, praeter Bullas, de Dioecesibus, Vicariatibus, Praefecturis Apostolicis et Missionibus.*

Mutatio finium.

1. Brevi *Expostulavit a Nobis,* 18 iul. 1932, fines reguntur inter vicariatum apostolicum Novae Antuerpiae, quem Patres ex Instituto de Scheut moderantur, et praefecturam apostolicam de Ubanghi in Congo Belgico, Ordinis Cappuccinorum sodalibus commissam (*A. A. S.*, XXV, 199).

S. Lucia Filippini dioecesis Faliscodunensis patrona.

2. Brevi *Gratum Nobis,* 21 aug. 1932, Sancta Lucia Filippini dioecesis Faliscodunensis caelestis Patrona declaratur. Etenim ipsa Sancta Lucia regionem Faliscodunensem peragrans, magistra ac missionaria, sanctitatis suae conspicuas reliquit memorias; iisdem in locis prima scholarum seu Magistrarum Piarum fundamenta iecit; suae denique vitae mortalis cursum in ipsa dioecesi consummavit, ita ut in cathedrali Ecclesia Faliscodunensi eius corpus adhuc religiosissime adservetur (*A. A. S.*, XXV, 28).

De nova S. Ludovici Abbatia.

3. Brevi *Tum Sanctae Romanae Ecclesiae,* 25 aug. 1932, monasterium, nunc prioratum tantum Sancti Ludovici ad Templum, ex Ordine Sancti Benedicti, in civitate atque archidioecesi Parisiensi positum, in Abbatiam erigitur et constituitur, eodem

nomine servato, cum noviciatu proprio, adiectis privilegiis, favoribus et gratiis, quae huic titulo abbatiali de iure competunt (*A. A. S.*, XXV, 29).

B. M. V. Boni Consilii Mater Oppidi Sarteani patrona.

4. Brevi *Clusinae et Pientinae*, 25 aug. 1932, B. Virgo Maria Mater Boni Consilii oppidi Sarteani, intra fines Clusinae ac Pientianae dioecesis, quam a multo iam tempore christifideles loci magna pietate venerati sunt, hodieque pie devoteque venerantur, Patrona principalis constituitur et declaratur. Praecipitur ut in ipso opp'do festum eiusdem Patronae sub ritu duplici primae classis cum octava ex nunc et in posterum celebretur (*A. A. S.*, XXV, 30).

S. Antonius Patavinus Castri Aliphani patronus.

5. Brevi *Allatum ad Nos*, 26 aug. 1932, Sanctus Antonius Patavinus, Confessor, in Patronum aeque principalem una cum Sancto Marcellino Presbytero et Martyre Castri Aliphani intra dioecesis Aliphanae fines confirmatur, seu declaratur, omnibus et singulis adiectis privilegiis liturgicis atque honorificentiis, quae praecipuis locorum Patronis competunt (*A. A. S.*, XXV, 31).

Indulgentiae stationales Urbis ad certas Ecclesias Mediolanensis civitatis concessae.

6. Brevi *Sacrae Paenitentiariae Apostolicae*, 31 aug. 1932, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui supplicationes stationales, statutis anni diebus, in certis ecclesiis Mediolanensibus peregerint, omnes et singulae indulgentiae pro ecclesiis stationalibus Almae Urbis, ad normam decreti *S. Paenitentiariae* 12 April. 1932, lucrandae, benigne conceduntur (*A. A. S.*, XXV, 32).

Nova Praef. Ap. de Kienchanfu.

7. Brevi *Ecclesiae universae moderandae*, 29 nov. 1932, a vicariatu apostolico de Yukiang, in provincia Sinensi de Kiangsi quinque subpraefecturae civiles seiunguntur sive dismembrantur, atque exinde eodem territorio nova apostolica praefectura erigitur de *Kienchanfu* appellanda et curis Missionariorum Soc. a S. Columbano pro Missionibus apud Sinenses concredenda (*A. A. S.*, XXV, 232).

Patroni principales vicariatus ap.ci de Rabat.

8. Brevi *Primos ex inclyto*, 9 ian. 1933, ad maiorem Dei gloriam procurandam, ad christianae religionis incrementum, et ad cultum protomartyrum Ord. Minorum fovendum, Sancti Berardus, Petrus, Accursius, Adiutius atque Otho martyres, Patroni principales totius vicariatus apostolici de Rabat constituuntur et declarantur (*A. A. S.*, XXV, 233).

Vicariatus Ap.cus Guyanae Gallicae.

9. Brevi *Quae catholico nomini*, 10 ian. 1933, praefectura apostolica Guyanae Gallicae in America meridionali, eodem servato nomine, in vicariatum apostolicum erigitur, eiusdemque cura ex nunc et in posterum, Ordinario charactere episcopali ornato, tribuitur (*A. A. S.*, XXV, 234).

10. Brevi *Nihil Nobis magis*, 10 ian. 1933, a vicariatibus de Khartum et de Bahr el-Ghazal atque a praefectura apostolica de Bar el-Gebel, territorium provinciae Sudanensis cui vulgo nomen *Upper Nile* separatur et in novam missionem sui iuris de *Kodok* appellandam et Patribus Congr. Veronensis Filiorum SS. Cordis Iesu committendum erigitur (*A. A. S.*, XXV, 235). *Nova Missio sui iuris de Kodok.*

11. Brevi *Omnes homines*, 10 ian. 1933, sexdecim subpraefecturae civiles, nec non territorium independens ad tribum *Yao* pertinens, a vicariatu apostolico de Nanning seiunguntur seu dismembrantur et Missioni sui iuris de Wuchow, Patribus Soc. de Maryknoll concreditae, adnectuntur et canonice uniuntur (*A. A. S.*, XXV, 237). *Missio sui iuris de Wuchow.*

12. Brevi *Universae Ecclesiae commissa*, 10 ian. 1933, pars a praefectura apostolica de Umtata distrahitur seu separatur; utque fidei christianae progressui aptius provideatur, Missioni sui iuris de Queenstown adiungitur et tribuitur (*A. A. S.*, XXV, 238). *Mutatio finium.*

H. *Litterae de ecclesiis.* In Basilicam minorem eriguntur:

1. Brevi *Inter potiores*, 4 aug. 1932, ecclesia cathedralis Sydnensis in Australia archidioecesis, quae Deo in honorem B. M. V. Immaculatae et christianorum Auxiliatricis dicata est (*A. A. S.*, XXV, 200). *Ecclesia cathedralis Sydnensis dioecesis.*

2. Brevi *Exstat in dioecesi*, 31 aug. 1932, ecclesia B. M. V. sub titulo de Bono Succursu dicata, prope civitatem Sancti Naboris, intra dioecesis Metensis fines (*A. A. S.*, XXV, 201). *Ecclesia B. M. V. de Bono Succursu prope S. Naboris civitatem.*

3. Brevi *Refert ad Nos*, 31 aug. 1932, ecclesia seu sanctuarium B. M. V. Nostrae Dominae *Ta Pinu* in caelum Assumptae, intra fines dioecesis Gaudisiensis (*A. A. S.*, XXV, 203). *Sanctuarium B. M. V. vulgo « Ta Pinu » dioecesis Gaudisiensis.*

4. Brevi *Sancti Geminiani in civitate*, 27 ian. 1933, praeposituralе templum in honorem B. M. V. in caelum Assumptae Deo dicatum in Sancti Geminiani civitate, intra dioecesis Collensis fines posita (*A. A. S.*, XXV, 240). *Praepositurale templum B. M. V. sideribus receptae S. Geminiani.*

5. Brevi *A venerabili fratre*, 20 febr. 1933, ecclesiam Sanctorum Mauritii et Sociorum Martyrum, civitatis Spinalensis, intra fines dioecesis S. Deodati positae (*A. A. S.*, XXV, 241). *Ecclesia Ss. Mauritii et Soc. MM. in civitate « l' Epinal ».*

6. Brevi *Ruremondensis dioecesis*, 20 febr. 1933, Traiectense paroeciale templum B. M. V. sideribus receptae in dioecesi Ruremondensi (*A. A. S.*, XXV, 242). *Paroeciale templum B. M. V. in caelum Assumptae Traiecti.*

34. — Suprema Congr. S. Officii

1. Decreto 27 ian. 1933, liber Ernesti Bonaiuti, cui titulus *La Chiesa Romana*, damnatur atque in Indicem librorum prohibitorum inscribitur (*A. A. S.*, XXV, 36). *Libri damnatio.*

Consociatio religiosa mulierum suppressa.

2. Evulgatio decreti suppressionis religiosae mulierum consociationis cui vulgo titulus « Missionarie adoratrici e riparatrici del S. Cuore Eucaristico di Gesù », cuiusque domus princeps in oppido San Piero in Bagno dioecesis Biturgensis (*A. A. S.*, XXV, 36).

35. — S. C. Consistorialis

A. *Decreta erectionis, dismembrationis et aggregationis:*

Praefect. Apost. De Alto Orinoco erectio.

1. Decreto 5 febr. 1932 pro spiritualibus necessitatibus fidelium, qui degunt in regione vulgo *Amazonas* et in territorio paroeciae *La Urbana*, a dioecesi de Guayana memoratum territorium separatur et in praefecturam apostolicam *De Alto Orinoco* nuncupandam erigitur, S. Congr. de Prop. Fide subiectam (*A. A. S.*, XXV, 154).

Praefect. Apost. « Montanae » erectio.

2. Decreto 15 iul. 1932, civilis provincia Montana appellata pro conversione et salute paganorum a dioecesi Novae Segobiae distrahitur et in praefecturam apostolicam, « Montanam » nuncupandam, erigitur et constituitur (*A. A. S.*, XXV, 206).

Finium dioecesium commutatio.

3. Decreto 20 ian. 1933, pars territorii pagi Ruellii, nuperrime separata a regione civili, a paroecia Ruelliensi et a dioecesi Versaliensi distrahitur atque perpetuo adiungitur paroeciae pagi Suresnorum et archidioecesi Parisiensi (*A. A. S.*, XXV, 207).

De finium dioecesium mutatione.

4. Decreto 24 mart. 1933, pagus *Rönsahl* a paroecia *Meinerzhagen* et ab archidioecesi Paderbonensi separatur, atque paroeciae *Marienheide*, archidioecesis Coloniensis, in perpetuum aggregatur (*A. A. S.*, XXV, 247).

B. *Designationes Ordinariorum pro appellationibus:*

Ordin. designationes pro appellationibus.

Archiepiscopus Friburgensis designavit pro appellatione tribunal Ordinarii Rottenburgensis (rescr. 3 ian, 1933; *A. A. S.*, XXV, 38).

Archiepiscopus Goanus, Ordinarium S. Thomae de Meliapor (rescr. 18 mart. 1933; *A. A. S.*, XXV, 155).

36. — S. C. Rituum

Causae beatificationis et canonizationis:

B. Andreas Hubertus Fournet.

1. *Pictavien.* Decretum 8 ian. 1933, super *tuto* in causa B. Andreae Huberti Fournet, confessoris, sacerdotis saecularis, fundatoris Instituti Filiarum Crucis (*A. A. S.*, XXV, 41).

Ven. Serv. Dei Maria Pelletier.

2. *Andegaven.* Decreta 8 ian. et 5 feb. 1933, super miraculis et super dubio de *tuto* in causa Ven. Servae Dei Mariae a S. Euphrasia Pelletier, professae ex Ord. Dominae Nostrae a Caritate, fundatricis Instituti Sororum a Bono Pastore (*A. A. S.*, XXV, 43; 252).

3. *Brixien.* Decreta 22 ian. et 13 febr. 1933, super miraculis et super *tuto* in causa Ven. Servae Dei Vincentiae Gerosa, alterius fundatricis Sororum a Caritate in oppido Luere, Brixiensis dioecesis (*A. A. S.*, XXV, 46; 159). *Ven. Serv. Dei Vincentia Gerosa.*

4. *Parisien.* Decreta 13 febr. et 12 mart. 1933, super miraculis et super dubio de *tuto* in causa beatificationis Ven. Servae Dei Catharinae Labouré, e Soc. Puellarum a Caritate (*A. A. S.*, XXV, 161; 217). *Ven. Serv. Dei Catharina Labouré.*

5. *Lucen. in Italia.* Decreta 5 et 19 febr. 1933, super *tuto* et super miraculis in causa beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei Gemmae Galgani, virginis saecularis (*A. A. S.*, XXV, 163; 212). *Ven. Serv. Dei Gemma Galgani*

6. *Romana.* Decreta 19 febr. et 12 mart. 1933, super miraculis et super dubio de *tuto* in causa beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Iosephi M. Pignatelli, sacerdotis professi Soc. Iesu (*A. A. S.*, XXV, 165; 214). *Ven. Serv. Dei Iosephus M. Pignatelli.*

37. — S. C. de Prop. Fide

Designationes pro appellationibus : *Designationes pro appellationibus.*

Vicarius Ap.cus de Papua semel pro semper designavit pro appellationibus a suo tribunali, curiam vicariatus ap.ci de Rabaul.

Archiepiscopus Vhrbosnen. curiam Archiepiscopi Zagabrien.

Vicarius Ap.cus Constantinopolitanus curiam Archiepiscopi Smyrnensis.

Praefectus Ap.cus de Chumatien curiam vicariatus ap.ci de Kaifeng.

Praefectus Ap.cus de Shuntehfu curiam vicariatus ap.ci Pekinensis.

Vicarius Ap.cus de Nanning curiam missionis sui iuris de Wuchow.

Vicarius Ap.cus de Nyassa curiam vicariatus ap.ci de Shiré.

Archiepiscopus Smyrnensis curiam vicariatus ap.ci Constantinopolitani.

Vicarius Ap.cus de Sapporo curiam dioecesanam Hakodatensem.

38. — S. C. de Seminariis et studiorum Univers.

Referente S. Congregationis Praefecto, precibus Abbatis Primatis, Instituti Internationalis S. Anselmi de Urbe Magni Cancellarii, benigne libenterque annuens, SS. D. N. mandavit ut idem Institutum titulo *Pontificii* exornetur (*A. A. S.*, XXV, 169). Cfr n. 33, B. C. *Institutum S. Anselmi titulo* Pontificii *honestatur.*

[35-38.]

39. — S. Romana Rota

Tabulae Synopticae Causarum S. R. Rotae

ANNO 1932

I. *Causae iudicatae*

A. De matrimonio

	Impedimentum	Allegatum	Admissum	Negatum
Nullitatis	Affinitas illicita	1	0	1
	Amentia viri (1)	1	0	0
	Clandestinitas	2	0	2
	» et consanguinitas	1	1	0
	Condicio apposita	3	2	1
	» contra bonum prolis	2	0	2
	Consensus deficiens	2	0	2
	» » et condicio appos.	1	0	1
	» » et condicio contra bonum fidei	1	0	1
	» » et condicio contra bonum prolis	1	0	1
	» » et condicio contra sacram. et prolis	1	1	0
	» » ob amentiam mulieris	1	0	1
	» » ob amentiam viri	1	0	1
	» » ob exclusionem iuris coniugalis	1	0	1
	» » et vis et metus	1	0	1
	Error et clandestinitas	1	0	1
	Exclusio indissolubilitatis	3	2	1
	Impotentia viri (2)	4	2	2
	Vis et metus	22	10	12
	» » » et condicio contra substantiam matrimonii	1	0	1
	Dispensatio super rato	1	1	0
	Separatio	1	1	0
		53	20	32

(1) In causa XLV « De incidente » (A. A. S., XXV, 97) reiectae sunt praeiudiciales exceptiones de legitimitate actoris.

(2) Pro causa XIV (A. A. S., XXV, 87) consilium praestandum esse SS.mo pro dispensatione super rato.

B. De variis argumentis

Ceterae causae fuere bis *de Iuribus;* semel *de Diffamatione* seu *Exceptione de lite finita;* semel *de Competentia* (incidentis); semel *de Poenis;* bis *de Credito.*

II.

Causae quae eodem anno 1932 transactae fuerunt vel peremptae, vel quae absque definitiva sententia, ex peculiaribus circumstantiis, finem habuerunt:

	Impedimentum	Allegatum
Nullitatis	Clandestinitas	2
	Condicio apposita	4
	» contra bonum prolis	2
	Consensus deficiens	2
	Exclusio indissolubilitatis	1
	» unitatis	1
	Ligamen	1
	Reiectio libelli	3
	Violatio fidei coniugalis	1
	Vis et metus	4
		21

II. *Causae non iudicatae.*

Iuris funerandi, Restitutionis in integrum et compromissi, Diffamationis, Separationis, Finium parochialium, Pensionis, Poenarum, Proprietatis, finem habuere sine definitiva sententia.

40. — Provisio Ecclesiarum

SS. D. praeficere dignatus est in Consistorio secreto die 16 mart. 1933 habito:

R. P. D. Herculem Attuoni, metropolitanae ecclesiae Firmanae. *Fermo (Italia)*

R. P. D. Petrum Doimum Munzani, archiepiscopali ecclesiae ladrensi. *Zara (Italia).*

Bova (Italia) R. D. Iosephum Cognata, cathedrali ecclesiae Bovensi.

Zamboanga (Is. Filippine) R. P. Aloisium del Rosario S. I., cathedrali ecclesiae Zamboangensi.

Cagayana (Is. Filippine) R. P. Iacobum Hayes S. I., cathedrali ecclesiae Cagayanae.

Decretis S. Congr. Consistorialis nominati sunt :

Alexandria in Luisiana (U. S. A.) 16 dec. 1932, R. D. Daniel Desmond, cathedrali ecclesiae Alexandrinae in Luisiana.

Ventimiglia (Italia) 27 ian. 1933, R. D. Augustinus Rousset, cathedrali ecclesiae Ventimiliensi.

Tarnów (Polonia) 27 ian. 1933, R. P. D. Franciscus Lisowski, cathedrali ecclesiae Tarnoviensi.

Tivoli (Italia). 4 febr. 1933, R. D. Dominicus Della Vedova, cathedrali ecclesiae Tiburtinae.

Panamà (America) 24 febr. 1933, R. P. D. Ioannes Maiztegni Besoitaiturria, archiepiscopali ecclesiae Panamensi.

Huajuápan de León (Messico) 17 mart. 1933, R. P. D. Ianuarius Mendez et del Rio, cathedrali ecclesiae Huajuapamensi.

Città di Castello (Italia) 20 mart. 1933, R. P. Mauritius a *Villa di Serio*, in saeculo Franciscus Crotti F. M. C., cathedrali ecclesiae Tifernatensi.

Toledo (Spagna) 12 apr. 1933, R. P. D. Isidorus Gomá et Tomas, metropolitanae ecclesiae Toletanae.

Cadice (Spagna) 12 apr. 1933, R. P. D. Raymundus Perez Rodriguez, servato titulo Patriarchae Indiarum Occidentalium, cathedrali ecclesiae Gadicensi.

Waterford e Lismore (Irlanda) 21 apr. 1933, R. D. Ieremia Kinane, cathedralibus ecclesiis Vaterfordiensi et Lismoriensi.

Syracuse (U. S. A.) 21 apr. 1933, R. D. Ioannes A. Duffy, cathedrali ecclesiae Syracusensi.

Monterey-Fresno (U. S. A.) 28 apr. 1933, R. D. Philippus Scher, cathedrali ecclesiae Montereyen.-Fresnen.

Siracusa (Italia) 29 apr. 1933, R. D. Hector Baranzini, metropolitanae ecclesiae Syracusanae.

Corumbá (Brasile) 13 mai. 1933, R. D. Vincentius Priante S. S., cathedrali ecclesiae Corumbensi.

41. — Nominationes

A. *Brevibus Apostolicis renunciati sunt :*

Verapoly (India) 29 nov. 1932, R. D. Iosephus Attipetty, arch. elect. Gabalen., Coadiutor cum iure futurae successionis Archiepiscopi Verapolitani.

Haiphong (Indocina) 29 nov. 1932, R. P. Franciscus Gomez de Santiago O. P. episc. elect. Dausaren., Coadiutor cum iure futurae successionis Vicarii Ap.ci de Haiphong.

29 nov. 1932, R. D. Iosephus Byrne, episc. elect. Vasaden., Vicarius Ap.cus de Kilima Ndjaro. — *Kilima Ndjaro (Africa)*

29 nov. 1932, R. D. Eduardus van Goethem, episc. elect. Coronen., Vicarius Ap.cus de Coquilhatville. — *Coquilhatville (Africa, Congo Belgii)*

29 nov. 1932, R. D. Hubertus Paulissen, episc. elect. Pomarien., Vicarius Ap.cus de Kumasi. — *Kumasi Africa (Litoris Aurei)*

10 ian. 1933, R. D. Iosephus Fan, episc. elect. Paphien., Vicarius Ap.cus de Tsining. — *Tsining (Cina)*

10 ian. 1933, R. D. Ioannes B. Tong, episc. elect. Sozopolitan., Coadiutor cum iure futurae successionis Vicarii Ap.ci de Phat-Diem. — *Phat-Diem (Indocina)*

10 ian. 1933, R. D. Ioannes Larrart, episc. elect. Aulonitan., Coadiutor cum iure futurae successionis Vicarii Ap.ci de Kweijang. — *Kweiyang (Cina)*

15 ian. 1933, R. D. Petrus M. Gourtay, episc. elect. Araden., Vicarius Ap.cus Guyanae Gallicae. — *Cajenna (Guinea francese)*

15 ian. 1933, R. D. Martialis Petrus Jannin, episc. elect. Gadaren., Vicarius Ap.cus de Kontum. — *Kontum (Indocina)*

8 mart. 1933, R. P. Hiacynthus Gaudentius Stanchi O. F. M., episc. design. Pharbaethitanus, Vicarius Ap.cus de Changsha. — *Changsha (Cina)*

9 mart. 1933, R. D. Iosephus Tsoei, episc. design. Tanaitan., Vicarius Ap.cus de Yungnien. — *Yungnien (Cina)*

9 mart. 1933, R. D. Matthaeus Ly-iun-ho, episc. design. Tloën., Vicarius Ap.cus de Yachow. — *Yachow (Cina)*

9 mart. 1933, R. D. Gulielmus Thomas Porter, episc. elect. Urusitan., Vicarius Ap.cus Litoris Aurei. — *Costa d' Oro (Africa)*

3 mai. 1933, R. D. Martinus I. Honorius Lajeunesse, episc. elect. Bonusten., Coadiutor cum iure futurae successionis Vicarii Ap.ci de Keewatin. — *Keewatin (Canadà)*

5 mai. 1933, R. P. Edgarius A. Haering O. F. M., episc. elect. Anthedonen., Vicarius Ap.cus de Shohchow. — *Shohchow (Cina)*

5 mai. 1933, R. P. Pacificus Titianus Micheloni O. F. M., episc. elect. Letaen., Vicarius Ap.cus Arabiae. — *Arabia (Asia)*

5 mai. 1933, R. D. Iosephus Bonhomme, episc. elect. Tulanen., Vicarius Ap.cus de Basutoland. — *Basutoland (Africa)*

5 mai. 1933, R. D. Iosephus Gulielmus Trudel, episc. elect. Noben., Vicarius Ap.cus de Tabora. — *Tabora (Africa)*

5 mai. 1933, R. D. Henricus Leven, episc. elect. Arcen., Vicarius Ap.cus Insularum Sundae minorum. — *Isole della Piccola Sonda (Malesia)*

B. *Decretis S. C. de Prop. Fide nominati sunt:*

2 mart. 1932, R. P. Antonius Ma, Praefectus Ap.cus de Chumatien. — *Chumatien (Cina)*

Trebisonda (Asia Turchia).

9 mart. 1932, R. P. Ioannes a *Fivizzano* O. F. M. Cap., Superior eccl.cus Missionis Trapezuntinae.

Praeses Unionis cleri a missionibus in Helvetia.

28 nov. 1932, R. P. D. Aloisius Scheiwiler, episc. Sangallensis, Praeses Unionis cleri a missionibus in Helvetia.

Praeses Operis a Prop. Fidei pro India.

14 ian. 1933, R. D. Alfonsus Colin, Praeses Pont. Operis a Prop. Fidei pro India.

42. — Necrologium

Tunja (Columbia)

31 mart. 1932, D. Eduardus Maldonado Calvo, episcopus Tunquensis.

Asti (Italia)

1 apr. 1932, D. Aloisius Spandre, episcopus Astensis.

Waterford e Lismore (Irlanda)

1 iun. 1932, D. Bernardus Hackett, episcopus Vaterfordiensis et Lismoriensis.

Santa Fé (U. S. A.)

15 iun. 1932, D. Albertus Thomas Daeger, archiepiscopus S. Fidei in America Sept.

Seattle (U. S. A.)

25 dec. 1932, D. Ioannes Eduardus O' Dea, episcopus Seattlensis.

Perpignano (Francia)

29 dec. 1932, D. Iulius M. Ludovicus Carsalade Du Pont, episcopus Elnensis.

Trenton (U. S. A.)

31 dec. 1932, D. Ioannes Mac Mahon, episcopus Trentonensis.

Münster (Germania)

6 ian. 1933, D. Ioannes Poggenburg, episcopus Monasteriensis.

Vladivostok (Asia)

6 ian. 1933, D. Carolus Sliwowski, episc. de Vladivostok.

Alba (Italia)

17 ian. 1933, D. Iosephus Franciscus Re, episcopus Albae Pompeiensis.

S. Giuseppe del Missouri (U. S. A.)

17 ian. 1933, D. Franciscus Gilfillan, episcopus S. Ioseph in America.

Salamanca (Spagna)

24 ian. 1933, D. Franciscus Frutos Valiente, episcopus Salamantinus.

Panamà (America)

4 febr. 1933, D. Guilelmus Rojas y Arrieta, archiepiscopus Panamensis.

Fermo (Italia)

8 febr. 1933, D. Carolus Castelli, archiepiscopus Firmanus.

Roma

9 febr. 1933, E.mus D. Card. Andreas Frühwirth, S. R. E. Cancellarius.

S. Tomaso di Meliapor (India)

15 mart. 1933, D. Antonius Teixeira, episcopus S. Thomae de Meliapor.

Damasco (Siria)

21 mart. 1933, D. Gregorius Petrus Habra, archiepiscopus Damascenus Syrorum.

Pozzuoli (Italia)

23 mart. 1933, D. Iosephus Petrone, episcopus Puteolanus.

Nagpur (India)

27 mart. 1933, D. Franciscus Stephanus Coppel, episcopus Nagporensis.

28 mart. 1933, D. Augustus Curi, archiepiscopus Barensis. *Bari (Italia)*

5 apr. 1933, D. Anatolius Nowak, episcopus Premisliensis Latinorum. *Przemysl (Polonia)*

6 apr. 1933, D. Andreas Karlin, episcopus Lavantinus. *Lavant (Iugoslavia)*

15 apr. 1933, D. Hyacintus Gaggia, archiepiscopus Trajanopolitanus in Rhodope et episcopus Brixiensis. *Brescia (Italia)*

30 apr. 1933, D. Ludovicus Van Hoeck, episcopus de Ranchi. *Ranchi (India)*

30 apr. 1933, D. Abraham Aguilera, episcopus S. Caroli Ancudiae. *S. Carlos de Ancud (Chile)*

6 mai. 1933, D. Ioannes Couzian, episcopus Alexandrinus Armenorum. *Alessandria degli Armeni (Egitto)*

8 mai. 1933, E.mus D. Card. Bonaventura Cerretti, episcopus Veliternensis, necnon Praefectus Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae. *Roma e Velletri (Italia)*

14 mai. 1933, D. Fidelis Cosio y Medyna, episcopus Puniensis. *Puno (Perù)*

BIBLIOGRAPHIA

I. *Ex Libris*

P. Agapitus M. de Sobradillo (O. M. C.). *Tractatus de Religiosarum confessariis* ad normam Cod. Iuris Canonici concinnatus. Vol. (14 × 21,5), XII-258 pag. Torino, R. Berruti, 1932. Lit. 13.

Pars I. De confessariis religiosarum modo habituali deputatis - Quot confessarii pro religiosis sint deputandi - De qualitatibus eligendorum in confessarios religiosarum - Quis confessarios religiosarum eligat - A quo electi in confessarios religiosarum iurisdictionem obtinere debeant - De munere confessariorum - Quandonam confessarii a munere cessent. — Pars II. De confessariis quos, licet pro religiosis non deputatos, hae adire possunt - De confessariis occasionalibus - Infirmarum - De privilegio Cardinalium et de potestate sacerdotum iter maritimum arripientium confessiones religiosarum audiendi - De confessariis, quibus religiosae confiteri possunt tempore lubilaei et vi indultorum specialium, praecipue Bullae Cruciatae.

Armandus Gougnard. *Tractatus de Indulgentiis.* Edit. quinta. Vol. (15 × 23), VIII-344 pag. Mechliniae. Dessain. 1933.

De indulgentiis in genere - Natura - Condiciones requisitae - De indulgentiis in specie - Iubilaeum - Via Crucis - Altare privilegiatum - Benedictio cum adnexa indulg. plenaria - Indulgentiae apostolicae - De fidelium associationibus - Coronae et Rosaria - Scapularia - Portiuncula - Indulgentiae pro variis mensibus anni concessis - De precibus et piis praxibus ditatis indulgentiis.

P. Franciscus Xav. Wernz (S. I.). *Ius Canonicum* ad Codicis normam exactum opera P. Petri Vidal S. I.

Tom. III. *De Religiosis.* Vol. (17 × 25), XV-537 pag. Romae, Pont. Univ. Gregoriana, 1933. Lit. 35.

P. Matteo Conte da Coronata (O. F. M.). *Il Terzordine Francescano.* Legislazione canonica. Vol. (13 × 20,5), VIII-530 pag. Torino, Marietti, 1933. Lit. 15.

I. Natura, origine, varietà del terzordine - II. L'aggregazione al terzordine - III. Degli obblighi dei terziari - IV. Il governo del terzordine - V. Diritti e privilegi del terzordine.

O. Artur Vermeersch (T. I.) - **KS. Herman Libinski** (T. I.). *Nabożeństwo do najśw serca Iezusa* W. Praktyce I W. Teorji. Vol. (12.5 × 19), 955 pag. Kraków, Wydawnictwo Księży Iezuitów, 1933.

I. Praktyka nabożeństwa. 1. Poświęcenie się Boskiemu Sercu Iezusa - 2. Cześć Naiśw. Iezusowego w liturgji - 3. Modlitwa myślna - 4. Modlitwy ustne i różne ćwiczenia. II. Część teoretyczna i dokumenty. 1. Podstawa teoretyczna nabożeństwa - 2. Dokumenty.

Primus Vannutelli. *De Presbytero Ioanne apud Papiam.* Vol. (14 × 21.5), 61 pag. Torino, R. Berruti, 1933. Lit. 5.

Disputatio - De Ioanne Apostolo vel Discipulo vetustissima christianorum documenta - De quibusdam catholicis Papiae interpretibus - Documenta Sedis Apostolicae.

Pietro La Fontaine (Card.). *Il primo Patriarca di Venezia.* Vita popolare di S. Lorenzo Giustiniani. Vol. (13 × 19.5), 153 pag. Venezia, Libr. Emiliana Editrice, 1928. Lit. 6.

Nel secolo - Nel chiostro - Il Vescovo - Il Patriarca - Nella gloria.

*** *Un mistico veneziano.* Pagine scelte dalle opere di San Lorenzo Giustiniani, Protopatriarca di Venezia. 3 Vol. (10 × 16), Venezia, Libr. Emiliana Editrice, 1932. Lit. 7.

I. Vol. 72 pag. La Madre di Dio - II. Vol. 64 pag. L'Eucaristia - III. Vol. 86 pag. La Passione di Nostro Signore.

Victor Hostachy (M. S.). *Les Curés de la Salette.* Vol. (13×19), 351 pag. Paris, Desclée et C., 1933.

L'abbé Louis Perrin - M. l'abbé Mélin - L'abbé Gerin - L'abbé Rousselot.

Georges Lemaître (Abbé). *Sacerdoce. Perfection et Voeux.* Vol. (11×16) 104 pag. Paris, Desclée de Brouwer, 1932.

Introduction — Sacerdoce et perfection — Perfection et voeux — Sacerdoce et voeux — Conclusion.

B. Schmittmann (Dr.). *Wirtschafts-und Sozialordnung als Aufgabe.* Vol. (15.5×23.5), VII-181 pag. Stuttgart, W. Kohlhammer, 1932. RM. 5.80.

I. Wirtschaftliche und sozialpolitische Grundlagen. — II. Die Sozialidee als Ordnungsprinzip. — III. Wirtschafts und Sozialverfassung. Schluss: Nation, Wirtschafts und Staat als Kraftpotenzen eines Kulturvolkes.

A. Rosat. *Le Credo des Humbles* ou ce que nous apprend un véritable ami du peuple. Extraits du volume « Religion », de Mgr. Gibier. Vol. (12×19), XVIII-296 pag. Paris, Téqui, 1933. 10 fr.

I. Les découvertes de la raison. — II. Les lumières de la foi. — III. Un peu de logique. — IV. Des conclusions qui s'imposent.

Charles Maignen. *La doctrine sociale de l' Église* d'après les Encycliques de Léon XIII, Pie X, Pie XI, de 1891 à 1931. Vol. (12×19), 295 pag. Paris, Téqui, 1933.

I. L'Enc. « Rerum Novarum » — II. L'Enc. « Graves de Communi » — III. Le Motu prorio de Pie X ou le Règlement fondamental de l'action populaire chrétienne. — IV. La Lettre apost. « Notre charge apostolique » — V. L'Enc. « Singulari quadam » — VI. L'Enc. « Quadragesimo anno » — Appendice.

H. Willette. *Ève Lavallière.* Vol. (12×18.5), XXV-204 pag. Paris, Téqui, 1933. 10 fr.

I. Une étoile de la terre. — II. Une étoile du Ciel. — Appendice. — Lettres inédites.

*** *Vertus cachées de la Vie Religieuse* par l'Auteur des « Novices de Notre-Seigneur ». Vol. (12×19), VII-174 pag. Paris, Téqui, 1933.

I. L'humilité. - II. La simplicité. - III. La discrétion. - IV. La modestie - V. L'obéissance - VI. La charité fraternelle.

*** *Le Régime Spirituel de la Vie Religieuse* par l'Auteur des « Novices de Notre-Seigneur ». Vol. (12×19), VII-133 pag. Paris, Téqui, 1933.

1. Le Régime du corps; - 2. des sens extérieurs; - 3. des facultés intérieures; - 4. de l'activité quotidienne.

Louis De Bonnières. *Figures de Miraculés.* Vol. (12×19), XX-273 pag. Paris, Téqui, 1933. 10 fr.

1. La Soudure autogène - 2. Les deux Soeurs - 3. Une vieille cliente - 4. « Mimi tient bon » - 5. L'Argument du pylore - 6. Le Béret blanc - 7. « Demain, elle sera morte! » - 8. Un émouvant diptyque - 9. Celle qui ne devait pas mourir - 10. La Vandéenne a du cran - 11. Les Merveilles de Villepinte - 12. « Son Prêtre ».

Léon Boucher. *Notre-Dame de Beauraing.* Récit véridique et complet des célèbres apparitions (1932-1933). Vol. (12,5×20), 54 pag. Tournai, Editions Sub Rosa, 1933. fr. 4.

— *Ordo Divini Officii recitandi Missaeque celebrandae juxta Kalendarium Eccl. Univ. pro A. D. 1934.* Vol. (10×16), Neapoli, M. D'Auria, 1933.

PARS ALTERA

MONUMENTA

43. — Suprema Congr. S. Officii

Responsum 11 april. 1932

DE COPIA AQUAE IN CALICE ORDINATIONIS

Archiepiscopus N. sequens dubium Supremae Congregationi solvendum proposuit.

In ordinatione unici sacerdotis, clericus qui, pro instrumentorum traditione, calicem et patenam praeparabat, calicem in quem iam vinum infuderat submisit tubo ex quo plus aquae quam expectabat in calice receptum est. In mentem quidem eius venit ut copiam vini adderet, sed cogitationem istam repulit quia ipsi videbatur scrupulosa et existimabat vinum sufficienti quantitate infusum fuisse. Peracta ordinatione, non sine sui miratione animadvertit vini quantitatem minorem esse quam putaverat. Quare probabile nunc existimat maiorem habitam esse quantitatem aquae quam ad valide consecrandum haberi oportuit; etsi copia vini copiam aquae superaverat.

Inde praefatus Orator Supremae Congregationi dubium proposuit, utrum ordinatio in casu habenda esset valida annon.

Suprema autem Congregatio, die 11 april. 1932, respondit:

In plenario consessu habito Feria IV, die 16 mensis martii nuper elapsi, E.mi ac Rev.mi Patres huius Supremae S. Congregationis diligenti examini subiecerunt dubium ab Eccellentia tua Rev.ma propositum, de aqua infusa cum vino in calice pro sacra ordinatione novi sacerdotis adhibito, et omnibus perpensis respondendum mandarunt.

« Eccellentissimus Archiepiscopus ... acquiescat.

ANNOTATIO.

Cur Suprema S. Congregatio ita responderit neque ipsa revelare debuit, neque nos certo indicio demonstrare possumus. Si autem memores ab eadem S. Congregatione bis praeceptum esse ut tota ordinatio, ad cautelam, secreto et sub condicione iteraretur quia in calice ordinandis porrecto, copia aquae copiam vini *saltem aequaverat* (1), nonne probabiliter conicies in casu nunc proposito dubium ministri consideratum esse ut scrupulosum, praesertim cum fateretur *maiores mansisse* partes vini ?

Fas sit nobis hac occasione referre quantum in plurium votis sit ut prudenti provisione S. Sedes radicitus tollat dubia et anxietates quae quotannis recurrunt propter quempiam defectum in traditione instrumentorum, maxime in tactu calicis cum patena et hostia.

---

44. — Suprema Congr. S. Officii

Decretum 17 iun. 1933

DAMNATUR LIBER P. ALFARIC, P. L. COUCHOUD, A. BAYET, CUI TITULUS « LE PROBLÈME DE JÉSUS ET LES ORIGINES DU CHRISTIANISME ».

(A. A. S. 1, iul. 1933, XXV, 313)

Dies consessus (14 iun. 1933).

Feria IV, die 14 Iunii 1933

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis *Sancti Officii*, E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, audito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum qui inscribitur:

---

(1) Cfr *Periodica*, t. XXI (1932), p. 157*. 158*.

P. ALFARIC, PAUL-LOUIS COUCHOUD, ALBERT BAYET, *Le problème de Jésus et les origines du christianisme*. Paris, Les Œuvres Représentatives, 1932.

Et sequenti Feria V, die 15 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius divina Providentia Pp. XI, in solita audientia R. P. D. Adsessori *Sancti Officii* impertita, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicandam iussit.

Approbatio SS.i (die 15 iun. 1933).

Datum Romae, ex aedibus *Sancti Officii*, die 17 Iunii 1933.

Dies decreti (17 iun. 1933).

A. SUBRIZI, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

---

45. — S. Congr. Concilii

Variae Resolutiones

I. ALEXANDRINA 15 mart. 1930

IURISPATRONATUS

(A. A. S., 1 iun. 1933, XXV, 315)

Cum, die 9 Martii 1926, per obitum sac. Iosephi Malvicini, vacasset paroecia iurispatronatus in oppido *Castelspina*, Alexandrinae dioecesis, gravis exorta est quaestio de eiusdem parocho providendo. Quod non semel factum est, cum saeculis XVI et XVII plures eadem de causa controversias excitatas fuisse constet, per decisiones curiae Alexandrinae diremptas, et tandem compositas transactione diei 28 Maii 1756.

Controversiae iam antiquae de iure patronatus.

In hac conventione, inter alia, quoad eos qui ius praesentandi habent, haec statuuntur: « che il iuspatronato e ragioni di nominare il parroco del suddetto luogo di Castelspina spettar debba in l'avvenire al Consiglio ordinario di quella Comunità con l'agionta di tutti li capi di casa delle famiglie Malvicini, Buzzi, Grilli e Guglyni dello stesso luogo ed in esso abitanti, siccome anche di quei altri capi di casa delle stesse famiglie, i quali per puro accidente si trovassero fuori di luogo, ma che non avessero stabilito altrove il proprio domicilio ».

Memorata transactione 28 maii 1756.

In irritum cessis Episcopi penes patronos consiliis ut, ad normam canonis 1451, patronatui renuntiarent, Praeses eiusdem loci publico edicto diei 29 Iunii 1926 comitia indidit, in quo

Comitia indicta sunt.

cautum est quod si nullus ex candidatis una et altera vice numerum suffragiorum absolute maiorem retulisset, is electus renuntiaretur, qui tertia vice maiorem etsi relativum suffragiorum numerum obtinuisset.

Contentio de habitis comitiis.

Die statuta, duo habita sunt comitia, quorum in primis sacerdos I... novem ex viginti tribus suffragiis obtinuit, in alteris sacerdos A... tresdecim item ex viginti tribus suffragiis retulit. Quapropter idem Praeses pro canonica institutione sacerdotem A... Episcopo praesentavit.

Non acquieverunt tamen sacerdos I... eiusque asseclae, qui rata habentes priora suffragia, nullius esse momenti reclamarunt quae postea subsecuta sunt. Tunc Episcopus, die 17 Ianuarii 1927, decretum dedit, quo quaestione in iure et in facto perpensa, statuit « doversi ritenere valida l'elezione del sacerdote A... avvenuta nell'adunanza del 29 Giugno 1926; il decreto stesso venisse pubblicato per quindici giorni all'albo pretorio di Castelspina, trascorsi i quali senza giustificata e documentata opposizione, si procederebbe senz'altro alla canonica istituzione del sacerdote A... nel beneficio parrocchiale di Castelspina ».

Decretum Episcopi, 17 ian. 1927.

Recursus ad S. Cong.

Contra huiusmodi decretum penes hanc Sacram Congregationem duplex quaestio mota est, alia *iuris*, agi nempe in casu de iurepatronatus non collegialiter sed per singulares personas exercendo, quod regitur canone 1460 § 2; alia *facti*, nullam esse electionem, cum a suffragio ferendo plures cives prohibiti sint, vel quia extra oppidum Castelspina degerent, vel quia per procuratorem vel per epistolam suffragium ferre iis vetitum est.

Disceptatio causae Tituli iuris patronatus.

AD IUS QUOD ATTINET. — « Nullum ius patronatus — praescribit Codex in canone 1454 — admittatur, nisi authenticis documentis aut aliis legitimis probationibus evincatur ». Ante Codicem vero legitimi tituli, iuris patronatus alii erant originarii, alii translativi vel derivati, inter quos numerantur successio hereditaria, donatio, praescriptio, etc.

Ad praescriptionem quod spectat, « quia patronatus est ius temporale, usucapitur eo tempore eoque modo quo cetera iura temporalia usucapiuntur... sin ab ecclesia libera, opus est tempore immemorabili et multiplicatis praesentationibus » (D'Annibale, *Summ. theol. mor.*, p. III, n. 27).

Transfertur quoque iuspatronatus donatione, quae si fit ecclesiasticis, non opus est Ordinarii permissione ut communiter a Doctoribus traditur, secus si laicis. Species quaedam do-

nationis est transactio qua patroni, conventione inita, alios quibus ius non est, ad patronatum exercendum gratuito admittunt.

Modus ius exercendi.

Praeterea, quod exercitium spectat iuris patronatus, diversa regula statuitur in canone 1460 § 1 et 2, prout agitur de patronatu collegialiter exercendo, quo in casu praesentatus is habetur qui in primo vel in altero scrutinio suffragiorum numerum absolute maiorem retulit; quibus sine effectu institutis, satis est in tertio scrutinio suffragiorum maior relative pars; quod postremum obtinet, si patronatus sit penes singulares personas.

De valore transactionis 28 maii 1756,

His in iure perpensis, quaestio de qua agitur in duas dispescitur partes, utrum nempe sustineatur memorata transactio diei 28 Maii 1756, adeo ut ex ea desumi possit legitima iurispatronatus probatio, de cuius constitutione documenta originaria et authentica desunt; et an omnia, ad validitatem actus necessaria, in electione sacerdotis A... servata revera fuerint.

cui favet quaedam agnitio a curia Alexandrina,

Iamvero, quoad primum, patet transactionem nihil fuisse nisi conventionem, communi consensu initam, inter omnes ius patronatus in paroecia Castelspina exercere praesumentes. Quod si non constat de formali Episcopi approbatione, constat tamen curiam Alexandrinam eandem uti praecipuam normam semper habuisse, qua quaestiones decursu temporis exortae, diremptae sunt. Et in relatione historica, transactioni praemissa, mentio fit de pluribus sententiis ab eadem curia saeculis anteactis prolatis, in quibus ius patronatus tamquam res incontroversa admittitur, quamvis de legitimis patronis quaestio semper fuerit. Transactione inita, quia ab anno 1756 usque in praesens eandem servatam semper fuisse constat, ex hac quoque immemorabili eiusdem observantia iure arguitur patronatus legitima constitutio.

et immemorabilis eius observantia.

Videtur autem agi de iure patronatus collectivo.

Sed quaestionis caput potius est in ratione qua idem patronatus a ius habentibus exerceatur, utrum nempe collegialiter, ut in decreto Episcopi statuitur, an vero per singulares personas.

Attamen transactionem legenti statim patet agi in casu de patronatu collegiali. In narratione enim, eidem praemissa, dicitur, quod, anno 1751, vacante paroecia, quaestio de parochi praesentatione inter patronos orta est, qui quidem, non ut personae singulares, sed in partes vel in familias distributi, ius suum vindicabant. « Sia insorta lite tra la Città d'esso luogo per una parte, i particolari della famiglia Malvicina da un'altra, ed altri particolari della famiglia de' Buzzi, de' Grilli e Guglyni da un'altra parte, per causa della nomina del novo

parroco », quatenus hoc ius privative sibi spectare unusquisque patronorum contendebat.

Hanc rerum condicionem non immutavit, sed sanxit memorata transactio, cum statuerit quod « il iuspatronato... spettar debba in l'avvenire al Consiglio ordinario di quella Comunità con l'agionta di tutti li capi di casa delle famiglie Malvicini, Buzzi, Grilli e Guglyni dello stesso luogo ed in esso abitanti » simulque collegialis convocationis ac suffragiorum formam constituit. Res confirmatur eiusdem interpretatione ac saeculari observantia.

Parvi momenti sunt quae de nullitate electionis afferebantur.

Cetera denique quae de nullitate electionis allata sunt, cum a suffragio ferendo nonnulli prohibiti sint, maioris quidem momenti non sunt. Agebatur enim de iis qui vel nullo iure suffragii ferendi potiebantur, quia, etsi memoratis familiis pertinentes, atque in oppido Castelspina orti, domicilium tamen pluribus abhinc annis alio fovebant, vel qui, contra praescriptum canonis 163, per epistolam vel per procuratorem suffragium ferre praesumebant.

Dubium.

RESOLUTIO. — His omnibus perpensis, in plenario huius S. Congregationis conventu, die 15 Martii 1930 habito, dubium propositum est solvendum:

An decretum curiae Alexandrinae 17 Ianuarii 1927 sustineatur, in casu.

Responsum.

Et E.mi Patres responderunt:

Affirmative, seu standum decreto Ordinarii.

Confirmatio SS.i

Facta autem de his Ss.mo D.no Nostro div. Prov. Pio Pp. XI relatione per Secretarium huius Sacrae Congregationis in audientia diei 21 Martii 1930, Sanctitas Sua hanc resolutionem approbare et confirmare dignata est.

I. BRUNO, *Secretarius*

ANNOTATIONES.

1. Duplex quaestio in casu movebatur: alia *iuris* et alia *facti*. Quaestio *iuris* in eo erat, quod affirmabatur agi de iure patronatus exercendo non collegialiter, sed per singulares personas; quaestio *facti*, quatenus electio peracta, dicebatur nulla eo quod a suffragio ferendo plures cives prohibiti fuerant, vel quia extra oppidum Castelspina degebant, vel quia

per procuratorem aut per epistolam suffragium ferre iis vetitum fuerat.

2. Agitur in casu de iure patronatus, quod *populare* vocari solet, cuius exempla complura habentur in Italia. Dicitur *populare,* quia competit incolis alicuius oppidi vel paroeciae aut pagi.

3. Origo huiusmodi iuris patronatus, ordinarie loquendo, est fundatio, constructio vel dotatio ecclesiae, quatenus cives alicuius oppidi vel pagi stipem contulerunt ad ecclesiam aedificandam aut dotandam. Qua in re, sedulo inspicienda est intentio civium seu incolarum; videndum scil. utrum oblata stipes rationem habeat dotationis vel fundationis ecclesiae, an potius eleemosynae tantum. Huc spectant quae scite tradunt PIGNATELLI, *Consult.* 204, n. 4, tit. 4; VIVIANI, *De iure patronatus,* lib. I, cap. 2, n. 63; DE LUCA, *De iure patronatus,* disc. 42, n. 3.

4. Ius patronatus, quod inde oritur, est *unicum* ac *indivisibile.* Dicitur *unicum,* quatenus competit integrae communitati fidelium, non autem singulis familiis aut incolis pagi vel oppidi; *indivisibile,* quatenus exerceri debet per unum dumtaxat actum seu per unicam electionem aut praesentationem.

Id autem minime vetat quominus cives oppidi seu membra communitatis diverso tempore ac diversis materialiter actibus ius patronatus exerceant; nam unus actus unaque electio seu praesentatio *formaliter* accipi debet. Hoc sensu profecto intelligenda est resolutio S. Congregationis *Concilii* in *Consentina,* 19 nov. 1729 (1).

5. Quomodo huiusmodi ius patronatus exerceri debet? *collegialiter,* an *per singulares personas?* Ex supra dictis certa manifestaque sequitur responsio, scil. ius patronatus in casu est *unicum* ac *indivisibile,*

(1) Cfr CAPPELLO, *De visitatione SS. Liminum,* II, tit. 68, sect. II: *De modis quibus iuspatronatus acquiritur,* pag. 131.

ideoque non habentur plures singulares personae *qua patroni,* sed, proprie et accurate loquendo ad normam iuris, patronus est *unus,* nimirum communitas seu cives aut incolae quatenus illam constituant.

Hinc perspicue patet, ius patronatus in casu exercendum esse *collegialiter,* cum spectet ad collegium sive ad communitatem. Proinde in folio causae S. C. *Concilii* in *Albinganen.,* 30 mart. 1830, haec merito traduntur: « Ad validitatem nominationis *per communitatem* explendae, necesse est ut omnes communitatem efformantes, per eum cui ius est convocandi, rite vocentur, vel saltem omnes in eodem loco conveniant, et *collegialiter,* non vero separatim, nominationem peragant » (1).

6. Itaque in casu standum est praescripto can. 1460, § 1: « Si ius patronatus *collegialiter* exerceatur, ille praesentatus habeatur, qui maiorem suffragiorum numerum retulerit, ad normam can. 101, § 1; quod si duobus scrutiniis sine effectu institutis, in tertio scrutinio plures maiorem prae ceteris, sed aequalem inter se suffragiorum numerum habuerint, ii omnes praesentati censeantur ».

Verba autem: « qui maiorem suffragiorum numerum retulerit » sunt intelligenda de maiori numero *absolute,* non autem relative, ut manifesto liquet ex can. 101, § 1.

7. Quinam ferre valent suffragium, ubi agitur de iure patronatus communitatis? Num omnes et singuli qui actu versantur in territorio, ideoque etiam peregrini et vagi? Ulterius: quidnam de impeditis? Possuntne hi per procuratorem aut per litteras suffragium ferre?

Eo ipso quod ius patronatus competit communitati ab eaque exercetur, ii tantum possunt ferre suffragium, qui revera communitatem constituunt. Porro

(1) Cfr CAPPELLO, l. c., sect. VIII, *De iure patronatus populari,* pag. 152.

hi sunt *cives* seu *incolae,* qui nempe habent domicilium in loco (cfr can. 91). Igitur excluduntur non solum vagi et peregrini, sed etiam advenae, scil. ii qui habent in loco quasi-domicilium.

Ex iure *communi* suffragium in electione ferri nequit per procuratorem aut per epistolam. Sane can. 163 statuit: « Convocatione legitime secuta, ius eligendi pertinet ad eos qui *praesentes* sunt die in convocatione statuto, *exclusa facultate ferendi suffragia non solum per epistolam, sed etiam per procuratorem,* nisi lege peculiari aliud caveatur ». In casu autem lex peculiaris, quae facultatem faciat suffragium ferendi per epistolam vel per procuratorem, deest. Ergo urget applicatio iuris communis in cit. can. 163 contenti.

8. Quibus mature consideratis, certa et perspicua apparet resolutio S. Congregationis *Concilii* in *Alexandrina - Iuris patronatus,* 15 martii 1930, de qua agitur.

F. M. CAPPELLO S. I.

---

46. — S. Congr. Concilii

II. FESULANA 21 iun. 1930

IURIS PRAESENTANDI

(A. A. S., 6 f·b. 1933, XXV, 38).

Origo et prima constitutio.

SPECIES FACTI. — Exstat Fesulis unica paroecia, quae inde ab anno 9 6 Capitulo ecclesiae cathedralis unita fuit. Ab eo tempore Capitulum, sive per se sive per sacerdotes a se deputatos, animarum curam exercuit. Urgentibus postea decretis S. Tridentinae Synodi et Sacrae Congregationis *Concilii,* Episcopus Mancini, decreto diei 11 Octobris 1786, animarum curam ad tramitem iuris ordinavit, edicens ut eadem primo et principaliter esset penes Praepositum, eique adiungens duos canonicos curatos et unum cappellanum.

Nova ordinatio 1786.

Reformatio 1896.

Verum substantialis reformatio locum habuit anno 1896. Nam Episcopus Camilli, de consensu Capituli et Sancta Sede probante, totam actualem curam paroeciae cathedralis in perpetuum et exclusive primae Dignitati, id est Praeposito, commisit. Ex eo tempore in omnibus nominationibus Praepositi nunquam Capitulum ius praesentandi sibi vindicavit, ne tunc quidem quum Sacra Congregatio *Consistorialis*, decreto diei 26 Aprilis 1914, in ecclesia cathedrali Fesulana duas novas Dignitates creavit, Archidiaconatum nempe et Primiceriatum. Nominatio Praepositi, ut antea, libere facta fuit a S. Sede, praevia tamen designatione candidati ex parte Episcopi.

Reclamatio Capituli.

Novissime tantum, cum die 1 Martii 1929 vacaverit Praepositura, Capitulum ius suum reclamavit, ad normam canonis 471 § 2, C. I. C.

Argumenta Capituli.

SYNOPSIS DISCEPTATIONIS. — Argumenta quae Capitulum ad suum ius vindicandum attulit, ad haec reducuntur:

Capitulum per septem fere saecula curam actualem animarum exercuit. Anno 1896 eam quidem Praeposito transmisit, sed sibi omnia iura parochi habitualis reservavit. Sit post annum 1896 non participavit ad praesentationem Praepositorum, tamen iuri suo nunquam valedixit.

Cum autem vigente Codice I. C., nunc prima vice Praepositura vacaverit, ius suum praesentandi S. Sedi candidatum ad Praeposituram qua suum vicarium perpetuum Capitulum reclamat ad normam canonis 471 § 2. Et cum parocho habituali, vi eiusdem canonis, ius competat designandi Episcopo vicarium oeconomum, etiam hoc ius Capitulum sibi vindicat.

Argumenta opposita.

Ex adverso haec opponuntur argumenta:

Ius Capituli quoad designationem vicarii oeconomi fundamento caret, sicut constat ex resolutione Sacrae Congregationis *Concilii* diei 9 Septembris 1786 in *Urbevetana* (*Fontes*, VI, n. 3855, p. 140).

Enimvero canon 472 § 1 statuit « vacante paroecia Ordinarius loci in ea quam primum constituat idoneum vicarium oeconomum, de consensu Superioris, si de religioso agatur, qui eam tempore vacationis regat, assignata eidem parte fructuum pro congrua sustentatione ». Quapropter, ex canone 472 § 1, ius nominandi oeconomum curatum Ordinario exclusive pertinet, sicut iam disposuit S. Concilium Tridentinum, cap. 18, sess. XXIV, *de ref.*

Ius praesentandi vicarium actualem, qua parocho habituali, ex canone 471 § 2 Capitulo competit. At cum vicaria, de con-

sensu Capituli, in perpetuum unita fuerit Praeposituraе, haec, qua Dignitas, est Sedi Apostolicae reservata. Capitulum nec ante, nec post annum 1896, hoc ius sibi vindicavit, ideoque canon 471 § 2 nequit urgeri, ratione contrariae consuetudinis, iam ab anno 1786 inductae.

Nec potest Capitulum sibi vindicare ius praesentandi Praepositum vicarium, quia Capitulum nunquam eum praesentavit, et saltem ab a. 1896 S. Sedes libere instituit vicarium, praecipue quia etiam libere Praepositarum conferebat, unde legitima invaluit consuetudo ne Capitulum vicarium praesentaret. Cum haec consuetudo esset in favorem S. Sedis, non poterat per Capitulum auferri. Ceterum ex parte eiusdem S. Sedis non constat de approbatione actus capitularis anni 1896, quum verba: « rimanendo nella sostanza invariati i diritti che gli competono della parrocchialità abituale » sint generica, nec derogare valeant iuri S. Sedi, libere conferendi Praeposituram, cum qua simul nominaret vicarium actualem.

Insuper Praepositura eo tempore erat unica Dignitas in Capitulo Fesulano, lib re proinde a S. Sede conferebatur. Et quamvis nunc Praepositura sit tertia Dignitas propter alias duas, quae a Sacra Congregatione *Consistoriali* anno 1914 institutae fuerunt, eodem modo S. Sedi reservatur, quia hodie Codex non iam S. Sedi reservat ius nominandi primam Dignitatem in Capitulis, verum ius collationis omnium Dignitatum ad normam canonis 396 § 1.

Hinc dubia.

RESOLUTIO. — Proposita itaque fuerunt in plenario conventu diei 21 Iunii 1930 sequentia dubia:

I. *An Capitulo, vacante paroecia, competat ius nominandi vicarium oeconomum, in casu*;

II. *An eidem Capitulo competat ius praesentandi ad S. Sedem vicarium perpetuum, in casu.*

Resolutio.

Porro E.mi Patres respondendum censuerunt: *Negative ad utrumque.*

Approbantio (22 Iun. 1930).

Facta autem postridie de praemissis Ss.mo D.no Nostro Pio div. Prov. Pp. XI relatione per infrascriptum Sacrae Congregationis Secretarium, Sanctitas Sua resolutionem approbare et confirmare dignata est.

I. BRUNO, *Secretarius.*

ANNOTATIONES.

1. Haec resolutio in *Fesulana — Iuris praesentandi*, 21 iun. 1930, peculiare habet momentum, si accurate perpendantur iuris principia.

2. Imprimis distinguendum ius nominandi vicarium oeconomum, de quo in can. 472, a iure designandi vel praesentandi vicarium actualem seu perpetuum, de quo in can. 471. Praeterea distinguendum inter casum quo cura actualis commissa sit in perpetuum Dignitati, et casum quo sit concredita canonico aliive beneficiario.

3. Constitutio vicarii oeconomi, paroecia vacante, libere spectat ad loci Ordinarium, sive agatur de paroecia pleno iure unita Capitulo sive non; sive personae morali seu Capitulo competat ius praesentandi vicarium qui exerceat animarum curam actualem, sive non. Ratio manifesta. Sane can. 472 nullam facit mentionem de huiusmodi iure constituendi aut praesentandi vicarium oeconomum ex parte personae moralis; imo diserte edicit constituendum esse vicarium oeconomum ab Ordinario loci, addita clausula: « de consensu Superioris, si de religioso agatur ».

De hac re nulla profecto exsistit ratio, ne levis quidem, dubitandi.

Igitur S. Congregatio rectissime ad I dubium respondit: *Negative,* scil. Capitulo in casu, vacante paroecia, ius nominandi vicarium oeconomum nullatenus competere.

4. Si paroecia sit pleno iure unita Capitulo vel domui religiosae aliive personae morali, *per se* seu *de regula generali* ius praesentandi vicarium perpetuum qui actualem curam animarum exerceat, spectat ad Capitulum vel ad monasterium aut ad aliam personam moralem. Ordinarius loci vero sacerdotem praesentatum, si ad normam iuris idoneum illum repererit, instituit (can. 471, § 2).

Consulto dicimus: *per se* seu *de regula generali.* Nam citatus can. 471, § 2 expresse limitationes ponit hisce verbis: « Excepto casu tum legitimi privilegii aut consuetudinis, tum dotationis vicariae ab Episcopo factae, reservata sibi libera nominatione..... ». Itaque ex praescripto can. 471, § 2 triplex titulus assignatur, unde persona moralis caret iure praesentandi vicarium perpetuum, scil. 1. privilegium; 2. consuetudo; 3. dotatio vicariae facta ab Episcopo, cum libera nominatione sibi reservata.

5. Praeter huiusmodi titulos, alius quoque haberi potest, peculiaris equidem momenti, *ex ipsa rei natura* petitus. Sane, ubi forte actualis cura animarum gerenda sit a Dignitate, Capitulo competitne ius praesentandi vicarium? Prima fronte videretur *affirmative* respondendam. Sed immerito plane. Nam collatio Dignitatum reservatur, et quidem libere, S. Sedi, ut diserte statuit can. 396, § 1. Quare, si cura actualis animarum commissa sit Dignitati, haec prius rite constitui seu nominari debet, servatis servandis. Post legitime factam collationem, capitularis Dignitate insignitus ius et officium paroeciale obtinet.

Unde cura animarum exercenda consequitur Dignitatis collationem ex parte competentis Superioris, et eiusdem legitimam possessionem ex parte vicarii perpetui. Igitur officium paroeciale est adnexum Dignitati, et quidem ita adnexum, ut ratione temporis, gradus et ordinis censeatur tamquam secundarium et accessorium. Porro notissima est regula iuris: *Accessorium sequitur principale.*

Id verificatur in casu de quo agitur, nimirum actualis animarum cura concredita est Dignitati. Proinde, eo ipso quod collatio Dignitatis libere reservatur S. Sedi ad normam can. 396, § 1, Capitulo ius praesentandi vicarium perpetuum certo certius haud competit, ut S. Congregatio merito censuit.

F. M. CAPPELLO S. I.

[46]

47. — S. Congr. Concilii

III. GALLIPOLITANA 24 maii et 15 nov. 1930

FUNERUM

(A. A. S., 1 ap. 1933, XXV, 115)

Querelae parochorum.

SPECIES FACTI. — Die 28 Augusti 1928 parochi civitatis Gallipolitanae penes hanc S. Congregationem conquesti sunt quod generatim sui parochiani, post obitum, « sono trasportati per l'esequie a chiesa che non è mai quella della propria parrocchia; gli ascritti a confraternite vanno alla chiesa della propria confraternita, e per i non ascritti a confraternite la famiglia paga un tanto, qui detto *offerta*, a una confraternita, e il defunto è accolto per l'esequie nella chiesa di detta confraternita. Nell'uno e nell'altro caso il parroco non ha altro da fare che benedire la salma e accompagnarla alla chiesa dove han luogo le esequie; e per questa *associatio cadaveris* ha solo un meschinissimo compenso e nulla ha (*portio paroecialis*) per il suo diritto e dovere di esequie violato ».

Inde duae quaestiones: altera de electione ecclesiae funerantis, altera de portione paroeciali.

Quapropter duae circa funera proponebantur quaestiones, quarum altera ad electionem refertur ecclesiae funerantis cum adnexo iure exsequias in eadem persolvendi, altera solutionem spectat portionis paroecialis, proprio defuncti parocho debitae.

Usus Gallipolitanus.

Quoad primum, in civitate Gallipolitana praxis viguit, vi cuius si quis, dum in vivis est, alicui ex confraternitatibus ibi exstantibus sese adscribit, ipso facto ecclesiam funerantem hac adscriptione se elegisse praesumitur. Idipsum censetur, si quis ex heredibus, etsi nullo praehabito expresso mandato, certam pecuniae summam solvendo, quae *offerta* dicitur, alicui confraternitati defenctum adscribit.

In utroque autem casu, itemque quando funera a Capitulo in ecclesia cathedrali peraguntur, proprio defuncti parocho non solvitur portio paroecialis contra praescriptum canonis 1236 § 1 C. I. C., sed oblatio fit admodum modica.

Argumenta parochorum.

Censent proinde parochi corrigendas esse huiusmodi consuetudines ad normam iuris communis sive ratione quoque rei oeconomicae.

Argumenta Confraternitatum.

Confraternitates e contrario easdem confirmandas esse putant, utpote in Codice I. C. expresse non reprobatas, atque usque nunc ab Ordinario toleratas. Re enim vera, eligere ecclesiam sui funeris unicuique licere Codex statuit in canone 1223 § 1, idque sive per alium fieri potest, cui legitimum man-

datum quisque dederit (can. 1226 § 2). Cum vero haec electio necessario importet ius funerandi, quae res sunt inter se connexae, nihil in hac re innovandum esse contendunt, attenta etiam legitima consuetudine.

Et idem sentiendum de adscriptione defunctorum iisdem confraternitatibus. Vel enim agitur de defunctis qui antea propinquis et familiaribus hoc mandatum commiserunt, et nemo dixerit hanc electionem, ad normam citati canonis 1226 § 1, legitimam non esse. Si vero agitur de ceteris pro quibus arbitrario ab heredibus haec electio facta est, succurrit praesumptio, qua coniici potest hanc fuisse defunctorum voluntatem, quam heredes ipsi interpretati sunt atque ad effectum demandarunt.

Consuetudo immemorabilis, quam ipsum capitulum sequitur.

Denegant tandem eaedem confraternitates parocho solvendam esse his in casibus portionem paroecialem, ab immemorabili nunquam solutam.

Quem morem sequitur et Capitulum cathedrale in funeribus ab eo persolutis, provocans ad diuturnam consuetudinem a condito Capitulo, a saeculo nempe XV usque nunc servatam, atque hac ratione innixum, quod iisdem funeribus aliqua confraternitas semper interest, quae portionem paroecialem seu oblationem parocho persolvit.

Disceptatio causae.

AD IUS VERO QUOD ATTINET, perpendenda in primis sunt praescripta Codicis in subiecta materia. Iamvero « ecclesia in quam cadaver pro funere transferri debet, ex iure ordinario est ecclesia propriae defuncti paroeciae, nisi defunctus aliam funeris ecclesiam legitime elegerit » (can. 1216 § 1). Et « ecclesiam funeris... quis eligere potest per se vel per alium cui legitimum mandatum dederit; factamque electionem aut mandati concessionem quolibet legitimo modo probare licet » (can. 1226 § 1). Attamen « ut electio ecclesiae funeris valeat, cadat necesse est vel in ecclesiam paroecialem, vel in ecclesiam regularium..., vel in aliam ecclesiam funerandi iure praeditam » (can. 1225).

Quapropter ex facto adscriptionis alicui confraternitati non sequitur necessario eiusdem confraternitatis ecclesia pro funere legitima electio; sunt enim adscriptio et electio res quae necessario non cohaerent; nec confraternitates omnes, qua tales, iure funerandi sunt praeditae (Cfr Ferraris, *Bibl. can.*, v. *Confraternitates*, art. V).

At, in casibus peculiaribus, si hoc iure ecclesiae confraternitatum potiuntur, et ex receptis loci usu ac consuetudine

confratres omnes in propria funerantur ecclesia, iure arguitur eosdem, eo ipso quo alicui confraternitati nomen dant, ecclesiam sui funeris designasse. Et hoc satis est, ut ad normam citati canonis legitimo modo electa probetur ecclesia funeris.

Funerandi autem ius multipliciter acquiri potest, S. Sedis nempe aut Ordinarii concessione, legitima consuetudine et praescriptione. « Cum autem haec consuetudo, animadvertit S. *Rota* in una *Mediolanen. — Iuris funerandi* (*A. A. S.*, 1914, p. 556), mixta sit praescriptioni, quippe quae laedat iura tertii, planum est in ea requiri etiam conditiones praescriptionis ». Quod si in casu de quo agitur, omnes istae conditiones non inveniantur, adest tamen aliqua Episcopi concessio, siquidem, prout asseritur, plures Episcopi hanc praxim. funerandi nempe in ecclesiis confraternitatum, tolerari permiserunt. Qua admissa legitima praxi, roboratur quoque argumentum, quo fideles ex ipsa adscriptione alicui confraternitati ecclesiam funerantem elegisse praesumuntur.

Aliter sentiendum est, si de adscriptione defunctorum res sit, ab heredibus proprio marte peracta. Ius enim eligendi ecclesiam funeris, ex citato canone 1226 § 1, ad unum defunctum, non ad heredes pertinet, nisi legitimum mandatum acceperint; salva tamen contraria consuetudine, quae quominus submoveri possit nihil vetat, attentis laesione iuris parochorum, nec non incommodis inde facile orituris.

Quod denique attinet ad solutionem portionis paroecialis, in canone 1236 § 1 statuitur: « Salvo iure particulari, quoties fidelis non funeratur in ecclesia paroeciali propria, proprio defuncti parocho debetur portio paroecialis, excepto casu quo cadaver in ecclesiam propriae paroeciae commode asportari nequeat ». Ad quam denegandam, in casu, contraria immemorabilis consuetudo affertur.

Plura, ut notum est, in praescriptione et in consuetudine praescriptiva requiruntur, praesertim in iis quae habent tractum successivum. Ad rem in *Dianen. — Iuris funerandi* (*A. A. S.*, 1921, p. 534 sq.) haec leguntur: « Ad hoc ut intret praescriptio in habentibus tractum successivum, necessaria est *petitio, repulsa* et *acquiescentia* petentis; in casu agitur profecto de re habente tractum successivum, quum Capitulum teneatur toties dare portionem canonicam quoties funerat alienos: itaque probandum esset a Capitulo se cum effectu denegasse portionem petenti: quod minime praestat, cum immo testibus evincere contendat: *ch'egli non ha pagato mai la quarta funerale, e che mai dal parroco fu richiesta...* » Ideoque in casu haec Sacra Con-

gregatio non constare edixit de iure Capituli portionem paroecialem non solvendi.

Quae ad casum de quo agitur aptando, cum moderatores confraternitatum portionem paroecialem asserant nunquam solutam fuisse, nec unquam a parocho fuisse petitam, deest petitio, repulsa et acquiescentia petentis; quapropter praescriptio vel consuetudo praescriptiva nihil operatur. Nec eadem portio censeri potest suffecta ab oblatione illa quae a confraternitatibus parocho solvitur, attenta eiusdem exiguitate, nec non portionis paroecialis natura, quae, ut praescribitur in canone 1237 § 1, « detrahi debet ex omnibus et solis emolumentis, quae statuta sunt pro funere et tumulatione in taxa dioecesana ».

Plenarii coetus.

RESOLUTIO. — His omnibus perpensis, in plenariis comitiis huius Sacrae Congregationis, diebus 24 Maii et 15 Novembris 1930 habitis, proposita sunt enodanda haec dubia:

Dubia.

I. *An sustineatur consuetudo quod adscriptionem confraternitati sive vivorum per se, sive defunctorum per heredes, cum adnexo iure funerario, in casu;*

II. *An parocho defuncti debeatur portio paroecialis a rectoribus confraternitatum vel a Capitulo cathedrali, in casu.*

Responsa.

Porro E.mi Patres responderunt:

Ad I. *Ordinarius utatur iure suo ad normam canonis 5 Codicis I. C., et ad mentem.*

Ad II. *Affirmative.*

Confirmatio SS.i

Facta autem de praemissis Ss.mo D.no Nostro div. Prov. Pio Pp. XI relatione per Secretarium huius Sacrae Congregationis in audientiis dierum 31 Maii et 17 Novembris 1930, Sanctitas Sua easdem resolutiones approbare et confirmare dignata est.

I. Bruno, *Secretarius.*

ANNOTATIONES.

1. Complura animadvertenda videntur, eaque maximi momenti, ad rectam intelligentiam huius resolutionis.

2. Imprimis notandum, electionem sepulturae fieri posse *explicite* et *implicite*. Fit *explicite*, quando quis eligit per se vel per alium, cui legitimum dederit mandatum, ecclesiam funeris, ad normam can. 1226, § 1. Fit *implicite*, quando quis, v. g., nomen dat alicui confraternitati, cuius ecclesia habet ius funerandi, si,

attentis statutis eiusdem confraternitatis, eo ipso quod quis nomen dat, censeatur eligere, ut ecclesiam funerantem, ipsam ecclesiam confraternitatis.

Tres igitur conditiones requiruntur, ut fiat locus *implicitae* electioni sepulturae in casu, scil. 1° ut confraternitas habeat ius funerandi; 2° ut sodalis adscriptus contrariam voluntatem expresse non manifestaverit; 3° ut ex statutis confraternitatis legitime approbatis constet, sodales omnes *ipsa adscriptione* sibi eligere sepulturam in ecclesia eiusdem confraternitatis.

3. Ius funerandi acquiri postet non solum concessione facta a S. Sede vel ab Ordinario loci, verum etiam legitima consuetudine aut praescriptione, dummodo istae debitis vestitae sint conditionibus ad normam iuris.

5. Defuncti possuntne adscribi confraternitati, atque inde sepulturam electivam obtinere? Potestne legitima consuetudo de hac re introduci? Opportunae distinctiones faciendae.

Defuncti, proprie et accurate loquendo, profecto adscribi nequeunt confraternitati, attento can. 693, § 3. Nonnullis associationibus facultas concessa est adscribendi etiam defunctos, in eum tamen finem dumtaxat ut indulgentiis et suffragiis frui valeant (1). Inde patet, defunctos non posse adscribi confraternitati in eum finem, ut ope adscriptionis sepulturam electivam in ecclesia confraternitatis obtineant. Nec, addimus, legitima consuetudo induci potest, ut defuncti *proprio* et *stricto* sensu adscribantur confraternitati, quatenus vera ipsius membra efficiantur. Id tamen non prohibet quominus ex consuetudine etiam defuncti adscribi possint in finem praedictum, scil. ut ecclesiam funerantem confraternitatis inde nanciscantur.

Quae consuetudo, quamvis nec reprobata nec prohibita sit, nihilominus iuri adversatur eaque incommoda

(1) Cfr Cappello, *Summa iuris canonici*, II, n. 651.

haud levia practice affert. Hinc est quod, ad normam can. 5, si centenaria vel immemorabilis non sit, post Codicem non amplius exsistit, cum fuerit ab ipso Codice suppressa; si, contra, immemorabilis aut centenaria sit, potest *tolerari* ab Ordinario loci ob peculiaria rerum adiuncta. Sed eo ipso quod dicitur *tolerata* tantum et incommoda haud levia affert, utilius et opportunius erit illam submovere.

6. Parochus autem ius habet percipiendi portionem paroecialem, de qua in can. 1236, quoties fidelis non funeratur in ecclesia paroeciali propria, sed in alia ecclesia, v. g. electiva, excepto casu quo cadaver in ecclesiam propriae paroeciae commode asportari nequeat.

Potestne parochus huiusmodi iure privari consuetudine aut praescriptione aliove titulo? Responsio affirmativa certa est. Sane can. 1236 expresse dicit: « Salvo *iure particulari*, quoties fidelis non funeratur in ecclesia paroeciali propria, proprio defuncti parocho debetur portio paroecialis.... ». Hinc patet, eatenus portionem paroecialem solvendam esse, quatenus *ius particulare*, — v. g. consuetudo, privilegium, praescriptio, conventio — aliud non statuat (1).

Proinde indubitatum est, parochum in casu privari posse iure percipiendi taxam funeraticiam seu portionem paroecialem, ex consuetudine et praescriptione. Utraque legitima sit oportet.

7. Ut autem consuetudo et praescriptio *legitime* inducantur, conditiones *ordinariae* a iure communi praefinitae, requiruntur et sufficiunt. Nonnulla tamen videntur opportunae animadvertenda de hac re, ne periculum subsit erroris aut dubitationis:

1° Ut consuetudo legitima sit *qua consuetudo*, non postulantur conditiones quoque praescriptionis, licet

(1) Cfr Cappello, *Summa iuris canonici*, II, n. 755.

ex illa tertius damnum forte patiatur. Nam sicut ius in casu procedit ex lege, per legem idem ius auferri aut limitari potest. Quare norma recepta ex S. R. *Rota* in una *Mediolanen. — Iuris funerandi* (*A. A. S.* 1914, p. 556), in casu de quo agitur applicationem non obtinet, aut nonnisi cum congruis distinctionibus ea applicanda est.

2⁰ Item quae referuntur in folio causae in *Dianen. — Iuris funerandi* (*A. A. S.*, 1931, pag. 534 s.) in casu de quo agitur applicari nequeunt, aut solum, ut supra, cum necessariis distinctionibus. Nam ubi agitur de onere imposito ab ipsa lege canonica, scil. in casu de onere tradendi portionem paroecialem, *petitio* ex parte parochi personaliter facienda necessaria non est, cum ipsa lex *petat* et urgeat implementum oneris. Itaque probe distinguendum inter iura et officia, quae *directe* et *immediate* proficiscuntur ab *ipsa lege,* et iura ac officia quae *aliunde* directe et immediate proveniunt. Pro illis *petitio* ex parte interesse habentis non requiritur ut conditio omnino requisita ad inducendam praescriptionem, ita ut etiam ea omissa, modo adsint aliae conditiones, locus sit praescriptioni.

Fatendum tamen praefatas conditiones, praesertim bonam fidem, in foro canonico raro, immo forte rarissime verificari.

3⁰ Casus de quo agitur respicit dioecesim Gallipolitanam. Igitur ad normam can. 1508 attendenda est, ad praescriptionem quod spectat, ipsa quoque lex civilis italica.

8. Quibus maturae consideratis, perspecta habetur decisio data a S. Congregatione *Concilii* die 24 maii et 15 nov. 1930 in *Gallipolitana - Funerum.*

F. M. CAPPELLO S. I.

48. — S. Congr. Concilii

IV. MALACITANA 15 nov. 1930

VACATIONUM ET DISTRIBUTIONUM

(A. A. S., 4 mart. 1930, XXV, 83)

Dubiorum occasio: vacationes canonicorum.

SPECIES FACTI. — Canonici ecclesiae cathedralis Malacitanae in Hispania, e Bulla erectionis Innocentii Pp. VIII, ex veteribus statutis et ex consuetudine, per quatuor menses, quolibet anno, ius abessendi a choro vindicabant.

Cum vero Episcopus, ad normam Codicis I. C., vacationes trium tantum mensium permitteret, Capitulum, ad iura sua tuenda, rem S. Sedi detulit.

Dubia.

Tunc Episcopus haec dubia dirimenda proposuit: « 1) utrum residentia et absentia, recreationis causa, canonicorum et beneficiatorum ecclesiae cathedralis Malacitanae, iuxta decretum erectionis ecclesiae et privilegia apostolica, ut in veteribus statutis fiebat, vel ad normam canonicis 418 § 1 sit definienda. Et quatenus affirmative ad primum: 2) utrum lex de distributionibus quotidianis et de grossa praebendae sit desumenda ex erectione an ex iure communi, iuxta canonem 395 C. I. C.; 3) an canonici, de quibus in canone 421 § 1 n. 4, percipere possint etiam distributiones quotidianas ».

Causae disceptatio.

SYNOPSIS DISCEPTATIONIS. — Tridentini Patres, cap. 12, sess. XXIV *de ref.*, prohibuerunt ne vacatione ultra tres menses protraherentur. Attamen a Concilio Tridentino derogatum non fuit privilegiis fundationum, quibus ultra tres menses canonici abesse licet, neque statutis a Summo Pontifice confirmatis. Haec in Codice I. C. recepta fuerunt; nam in canone 418 § 1 statuitur: « Reprobata contraria consuetudine, canonici ac beneficiarii quotidiano choro adstricti, possunt singuli abesse tres tantum menses in anno, sive continuos sive intermissos, dummodo propriae ecclesiae statuta aut legitima consuetudo servitium diuturnius non requirant ».

Quapropter *consuetudo* abessendi a choro ultra tres menses non tantum fuit a Concilio Tridentino revocata et numquam a S. Congregatione permissa, sed etiam a Codice I. C. reprobata. Nec iuvat in casu canon 63 § 1, quia possessio, de qua est sermo, debet esse legitima, vel quasi-possessio iuris; quod in casu propter constantem reprobationem numquam fieri potuit.

Nec ullum *privilegium* e Bulla erectionis Innocentii VIII eruitur, quia hic Pontifex facultatem contulit Archiepiscopo

Toletano erigendi Capitula in locis Regni Granatensis. Idem Archiepiscopus, anno 1488 Capitulum cathedrale Malacitanum erigens, haec quidem circa residentiam et servitium chorale disposuit: « volumus... ut omnes et singulae dignitates, canonici et portionarii dictae ecclesiae cathedralis teneantur residere et servire in praedicta ecclesia cathedrali *ad minus per octo menses* continuos aut interpositos ». Non agitur itaque de vero privilegio abessendi per quatuor menses, nam in citata Bulla ne verbum quidem invenitur, quod innuat hanc extraordinariam potestatem in Delegato Archiepiscopo; unde idem Archiepiscopus nullum privilegium concedere poterat, sed munus sibi demandatum tantum explere. Ceterum verba ab eodem adhibita privilegium non innuunt, sed aliquid minimum praestandum: *ad minus*.

Capitulum cathedrale Malacitanum ad ius suum ostendendum, etiam *vetera statuta*, et Bullam Iulii Pp. II citat. Revera hic Pontifex anno 1508 Capitulo Malacitano vacationes « ad instar ecclesiae Hispalensis » concessit; attamen non constat de tempore vacationum, et de modo concessionis Hispalensi ecclesiae factae.

Specialis dispositio de fructibus beneficiorum.

De dubiis circa fructus beneficiorum adnotandum est quod in citato decreto erectionis, detracta quadam fixa portione pro singulis canonicis, omnes fructus tanquam distributiones inter praesentes statuebantur.

Quoad vero duos beneficiatos, quos Episcopus in suo servitio habere potest, in eodem decreto statuitur: « integre percipient fructus tam praebendarum suarum quam etiam distributionum quotidianarum, quae interessentibus et praesentibus distribuuntur ».

Cum mutatae nunc sint conditiones Capitulorum praesertim in Hispania, omnia suadent ut ius commune servetur ad normam canonis 395, sicut in casu duorum beneficiatorum Episcopo inservientium, quia non agebatur de vero privilegio, sed de norma statuta pro eorum remuneratione.

RESOLUTIO. Propositis itaque ex officio his, quae sequuntur, dubiis in plenario coetu 15 Novembris 1930:

Dubia.

I. *An constet de iure Capituli Malacitani ad quattuor menses vacationum, in casu;* II. *An sustineatur perceptio fructuum praebendae et distributionum, in casu;* III. *An canonici, de quibus in canone 421 § 1 n. 4, percipere possint etiam distributiones quotidianas, in casu;*

E.mi Patres respondendum censuerunt:

Ad I. *Non constare;* Ad II. *Servetur canon 395;* Ad III. *Negative.*

Responsum pro iure communi.

Facta autem postridie de praemissis Ss.mo D.no Nostro Pio div. Prov. Pp. XI relatione per subscriptum S. Congregationis *Concilii* Secretarium, Sanctitas Sua easdem resolutiones approbare et confirmare dignata est.

Approbatio Sanctissimi.

I. BRUNO, *Secretarius*

ANNOTATIO.

Ad II responsum. Dum can. 395, § 1 statuit ut ubi non essent distributiones cotidianae, nisi fortasse nimis tenues, Episcopi ex fructibus, proventibus, etc. tertiam partem separarent et in distributiones cotidianas converterent, hic, detracta quadam fixa portione pro singulis canonicis, omnes fructus erant ut distributiones cotidianae. Duo canonici qui Episcopi inserviunt, percipiebant distributiones inter praesentes, dum ex can. 421, § 1 4^0 solos praebendae fructus percipere possunt. Propter temporum adiuncta, reditus ad ius commune decretum est.

---

49. — S. Congr. Concilii

V. AVERSANA 13 iun. 1931

MATRICITATIS

(A. A. S., 2 maii 1933, XXV, 208).

Ter saecularis quaestio, utra duarum paroeciarum sit maior.

SPECIES FACTI. — In oppido cui nomen *Caivano*, intra fines Aversanae dioecesis, duae exstant paroeciae, altera S. Petri Apostolorum Principis nuncupata, cui in st maior pars territorii et incolarum, altera S. Barbarae Virginis et Martyris. A tribus iam saeculis, inter utramque quaestio exarsit — quae, interiectis silentii temporibus, pluries excitata est — quaenam earum esset maior.

Ordinatio Episcopi,

Nuper Episcopus Aversanus die 4 Februarii 1929 decretum tulit, quo « lasciando impregiudicata la questione, se la chiesa parrocchiale di S. Pietro Apostolo debba dichiararsi e riconoscersi quale *maggiore* relativamente a quella di S. Barbara »,

haec statuit: « 1) che ciascuno dei sigilli parrocchiali delle dette chiese porti nel mezzo la effigie del Santo titolare della parrocchia con la scritta: *Chiesa parrocchiale di... Caivano*; 2) che nella chiesa dell'Annunziata o Purgatorio, sita nell'ambito della parrocchia di S. Barbara, non abbia alcuna giurisdizione o diritto il parroco di S. Pietro; 3) che la processione del *Corpus Domini*, giusta l'immemorabile consuetudine, si faccia dalla sola parrocchia di S. Pietro; e che alla consueta processione di S. Pietro, patrono *aeque principalis* di Caivano, intervengano tutti quelli che son tenuti ad intervenire alla processione del *Corpus Domini*; 4) che il suono delle campane nel Giovedì Santo e Sabato Santo venga opportunamente regolato, in maniera che la parrocchia di S. Pietro abbia la preferenza su quella di S. Barbara ». Tunc parochus S. Barbarae ad hanc Sacram Congregationem provocavit.

cui parochus S. Barbarae reclamat.

Documenta allata a parocho S. Petri;

Utraque pars documenta ad sua iura tuenda exhibuit, quorum praecipua, a parocho S. Petri allata, haec sunt: 1) vetus quoddam documentum anni 1186, in quo fit mentio de terra ecclesiae Sancti Petri de Caivano, dum anno 1349 primum commemoratur ecclesia S. Barbarae de villa Caivani, in Bulla episcopali eiusdem anni; 2) praeterea usque ad saeculum XVI unicam fuisse ecclesiam paroecialem in eodem oppido, eamque Sancti Petri, ex actis colligitur sacrae Visitationis anno 1542, ab Episcopo Colonna initae, ubi haec leguntur: « Visitavit ecclesiam parochialem Sancti Petri de Caijvano et proprie visitavit Ss.mum Sacramentum, quod invenit etc..., visitavit ecclesiam S. Barbarae terrae Caijvani sine Sacramento »; 3) Episcopus Mansoli anno 1588 relationes inter utrumque clerum decreto moderavit, quo praecedentia fit cappellanis S. Petri; et anno 1676 contra parochum S. Barbarae actum est, cum processioni S. Petri non interfuisset. His accedunt plura documenta saeculorum XV et XVI, in quibus ecclesia S. Petri nuncupatur maior, principalis, matrix.

a parocho S. Barbarae

Ex adverso parochus S. Barbarae pervetustam esse suam ecclesiam in primis deducit ex quadam collectoria anni 1308, in qua cappellanus S. Barbarae de villa Caivani S. Sedi taros VII solvisse dicitur. Item ex Bulla Martini V diei 23 maii 1423 arguitur omnimoda independentia eandem frui, cum iurisdictio parochi S. Petri intra fines castri Caivani coerceretur, dum aliarum paroeciarum extra castrum pateret. Immo constat inter utramque exstitisse paroeciam S. Mariae de Campiglione, quo excluditur paroeciam S. Barbarae a S. Petro fuisse dismembra-

tam. Refutat denique allata a parocho S. Petri documenta, utpote non concludentia, vel ad aliam significationem detorsa.

resolutio causae affinis die 23 feb. 1907.

Ad rem quod attinet, memorare iuvat in plenariis comitiis diei 23 Februarii 1907 quaestionem quandam huic affinem propositam fuisse ac resolutam. Nam dubio: *an suppressus conventus Capuccinorum una cum ecclesia eidem adnexa spectet iurisdictioni parochi S. Petri loci Caivano, vel potius parocho S. Barbarae, in casu;* E.mi Patres huius S. Congregationis responderunt: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, salvo tamen parocho S. Petri, qua parocho ecclesiae matricis, iure peragendi consuetas sacras functiones in ecclesia Spiritus Sancti.*

Disceptatio causae.

Ad ius quod attinet. — Animadvertendum in primis est in memorata decisione diei 23 Februarii 1907, mentem non fuisse huius Sacrae Congregationis quaestionem, de qua nunc agitur, dirimendi. Decertabatur enim de iurisdictione paroeciali super antiquum Capuccinorum coenobium, idest intra cuius paroeciae territorium conventus ille ante secutam suppressionem exstaret. Et documenta, a partibus allata, proindeque rationes decidendi vel ex pervetusta delimitatione finium utriusque paroeciae deprompta sunt, vel ex actis iurisdictionis super idipsum coenobium, saltem ex legitime inducta consuetudine exercitis. Quaestio proinde de matricitate ecclesiae S. Petri, incidenter quidem, sed nec directe, nec formiter fuit obiectum resolutionis huius Sacrae Congregationis, et ratio dicendi nil influit in ipsam decisionem.

Quaestio non fuit anno 1907 soluta

Qua triplici ratione ecclesia dicitur matrix.

Quod vero matricitatem spectat, nomen *matricis*, uti notum est, univocum non est, sed modo largiore, modo strictiore significatione accipitur. Ad rem Card. De Luca: « Tripliciter ecclesia solet dici matrix. Primo nempe potius improprie..., quia ob parochiae amplitudinem aliae erigantur, vel destinentur ecclesiae inferiores intra eius limites exsistentes..., absque tamen earum formali erectione in titulum Et, tunc quamvis istae ecclesiae vulgo dici soleant filiales, ipsaque parochia antiqua comparative dicatur matrix, attamen ista est impropria locutio... Altera est species ecclesiae matricis, comparative ad alias parochias in loco exsistentes, ab ea tamen independentiam habentes, quae tales dicantur ratione antiquitatis, sive alicuius maioris praeeminentiae, et haec pariter improprie matrix dicitur.. Tertia demum est species casus praecisi, in quo proprie una dicitur matrix comparative ad alteram uti filiam, ubi scil. ex una parochia efficiantur duae vel plures, quoniam prima revera est aliarum mater, dum ex eius territorii ac populi parte aliae efformatae sunt » (*De Decimis*, disc. 12, nn. 12, 13).

Criteria verae matricitatis.

Quapropter, quamvis iurisprudentia canonica non semper sibi constans fuerit in definienda matricitate proprie dicta, ex supra relatis colligitur eandem tunc haberi, cum: 1) filialis paroecia per dismembrationem a matrice processit; 2) filialis in titulum erecta est; et proinde 3) omnino independens est a matrice in exercitio curae animarum (S. R. *Rota*, *Caietana-Matricitatis* diei 10 Augusti 1917). Nec satis; iuxta plures sententias Rotales, praeter recensita, requiritur quoque ut ecclesia filialis de reditibus et proventibus matricis sit dotata. Codex vero, haec simul componens, in can. 1427 § 4 praescribit: « Si vicaria perpetua aut nova paroecia dotetur ex reditibus ecclesiae a qua dividitur, debet matrici honorem deferre, modo et finibus ab Ordinario praestituendis ».

Requisitae probationes.

Quaestio proinde de vera et propria matricitate ecclesiae S. Petri omnis in hoc est, num ex ea dismembrata aut dotata fuerit ecclesia paroecialis S. Barbarae. Iamvero factum dismembrationis ab originario eiusdem documento praecipue probatur, et, cum hoc desit, aliis signis et documentis, quae tamen adeo concludentia et univoca esse debent, ut nec alium sensum aut interpretationem recipere, nec ad aliam causam referri omnino possint (cfr allatam decis. S. R. *Rotae*).

Signa recognitionis *et signa* reverentialia *distinguenda sunt.*

Nam ex his alia sunt signa *recognitionis*, quae praeseferunt nempe retentionem ne iquiarum antiqui dominii et iurisdictionis ecclesiae matricis, uti ius funerandi, ius decimandi, ius percipiendi a filiali annuum censum vel canonem etc.; alia sunt *simpliciter reverentialia*, quae nempe simplicem praerogativam et praeeminentiam important. Illa, uti plurimum, sunt signa univoca verae et propriae matricitatis, haec signa tantum aequivoca, ex quibus argui potest « illa matricitas, magis remota et impropria, resultans ex eo quod, vel ratione antiquitatis, vel ex alio respectu, esset ecclesia maior in loco, ideoque confunderetur terminus matricis cum illo maioris vel primae in ordine » (De Luca, *De praeem.*, disc. 42, n. 12).

Probationes deficere videntur.

In casu autem de quo agitur, nullum authenticum documentum allatum est, quo constet ecclesiam S. Barbarae a S. Petro fuisse dismembratam aut dotatam; signis proinde arguenda et probanda esset adserta huius ecclesiae matricitas. At ex his nullum prostat vestigium alicuius iuris decimandi vel funerandi, quo potita sit ecclesia S. Petri in ecclesiam S. Barbarae, vel alicuius annuae praestationis, ab hac solutae, in signum subiectionis, quod antiquitus maxime in usu erat. Allata signa et documenta, antea recensita, simpliciter esse reverentialia patet, utpote nempe referibilia ad quandam praee-

minentiam vel maioritatem ecclesiae S. Petri ratione antiquitatis ve' aliis circumstantiis. Et hanc praeeminentiam decreto diei 4 Februarii 1929 Episcopus Aversanus recognovit, firmavitque, relationes inter utramque paroeciam componendo.

RESOLUTIO. — His omnibus perpensis, in plenariis comitiis huius Sacrae Congregationis, die 13 Iunii 1931 habitis, proposita sunt haec dubia solvenda: *Dubia.*

I. *An constet de matricitate ecclesiae S. Petri, in casu.*

Et quatenus negative:

II. *An saltem constet de eius maioritate, in casu.* *Responsa.*

Et E.mi Patres responderunt:

Ad I: *Non constare.*

Ad II: *Ad mentem. Mens est ut servetur decretum Curiae diei 4 Februarii 1929.*

Facta autem de his Ss.mo D.no Nostro Pio div. Prov. Pp. XI relatione per Secretarium huius Sacrae Congregationis in audientia diei 24 Iunii 1931, Sanctitas Sua hanc resolutionem approbare et confirmare dignata est. *Confirmatio SS.i*

I. BRUNO, *Secretarius*

ANNOTATIONES.

Imprimis sedulo distinguenda est *matricitas* a *maioritate* seu *praeeminentia*; itemque accurate distinguenda matricitas *proprio* et *stricto* sensu dicta, a matricitate sensu *improprio* vel *latiore* nuncupata.

2. Vocabulam « *matricitas* » a *matre* ortum ducit, quatenus sicut filius aut filia a matre generatur, ita aliqua ecclesia censetur tamquam generata ab alia, ex eo quod ab illa suam habet originem. Unde ecclesia *matrix* et ecclesia *filialis* sunt termini correlativi, sicut mater et filius aut filia.

Porro quomodo ecclesia aliqua potest alteri originem praebere? Si agitur de matricitate proprio et stricto sensu dicta, duplici modo: 1^0 vel quatenus ecclesia filialis dotata fuerit ex integro aut saltem ex parte de reditibus ecclesiae matricis; 2^0 vel, ubi sermo sit de ecclesia paroeciali, quatenus ea processerit per dismembrationem ab ecclesia matrice.

Huc spectat praescriptum can. 1427, § 4: « Si vicaria perpetua aut nova paroecia *dotetur* ex reditibus ecclesiae a qua *dividitur*, debet *matrici* honorem deferre, modo et finibus ab Ordinario praestituendi ».

3. Vera et propria matricitas probatur: 1° ex tabulis fundationis sive ex decreto erectionis, unde constet de ecclesiae filialis dotatione aut saltem de peracta dismembratione ab ecclesia quae matrix dicitur; 2° deficientibus tabulis fundationis vel decreto, ex peculiaribus signis dominii et iurisdictionis ecclesiae matricis et subiectionis ecclesiae filialis (1).

Praecipua autem signa dominii et iurisdictionis, ex quibus dignoscitur matricitas proprie dicta, sunt ista: *a*) ius funerandi; *b*) ius percipiendi annuum canonem vel censum; *c*) ius decimandi; *d*) ius rectoris ecclesiae matricis peragendi sollemnes functiones statis anni diebus festis in ecclesia filiali; *e*) obligatio rectoris ecclesiae filialis assistendi functionibus, quae in ecclesia matrice fiunt in sollemnioribus anni festivitatibus; *f*) ius patronatus, scil. ius ecclesiae matricis nominandi seu praesentandi rectorem ecclesiae filialis (2).

Hisce signis addendum quoque est ius *fontis baptismalis*, quod in veteri disciplina frequentius reservari solebat ecclesiae matrici. Id ex iure Codicis hodie prohibetur. Nam can. 1427, § 3, post verba superius relata: « debet matrici honorem deferre modo et finibus ab Ordinario praefiniendis », addit: « *qui* (Ordinarius) *tamen vetatur baptismalem fontem matrici reservare* ». Ratio est quia ex praecripto can. 774, § 1 hodie quaelibet ecclesia paroecialis debet habere fontem baptismalem, « revocato ac reprobato quovis contrario statuto vel privilegio vel consuetudine ».

---

(1) Cfr Cappello, *De visitatione SS. Liminum*, vol. II, tit. 13, sect. V, *De ecclesia matrice*.

(2) Cfr Cappello, l. c.

4. Praedicta signa — quae passim e canonistis vocari solent *recognitionis* aut *demonstrativa*, utpote quae ostendunt revera ac demonstrant agi, in casu, de vera et propria matricitate in favorem alicuius ecclesiae — probe distinguenda sunt a signis mere honorificis, quae veram iurisdictionem ex parte ecclesiae matricis minime denotant, sed tantum praecedentiam quandam seu praeeminentiam. Quaenam vero sint huiusmodi signa apud CAPPELLO (l. c.).

5. Praesumptio favet libertati ecclesiae et exemptioni a iuribus matricitatis. Ex quo fit, ut, praeter ecclesiam cathedralem — de qua vide *cap. Venerabili 22 de verb. signif.* — nulla ecclesia habeat in iure fundatam intentionem quoad subiectionem et dependentiam erga alteram ecclesiam. Ita concors canonistarum doctrina et constans firmaque iurisprudentia S. R. *Rotae* et S. Congregationis *Concilii* (1).

6. In casu de quo agitur, nullum documentum exsistit dotationis vel dismembrationis, nec ulla habentur signa *demostrativa* matricitatis, sed tantum signa quaedam praeeminentiae et maioritatis. Idcirco rectissime lata est decisio, scil. *non constare de matricitate proprie dicta in casu,* sed solum de praeeminentia et maioritate quadam ad normam decreti curiae Episcopalis.

F. M. CAPPELLO S. I.

---

(1) Cfr CAPPELLO, l. c.

50. — S. Congr. de Prop. Fide

Responsum 28 iul. 1932

DE USU ADMINISTRATIONE ELEEMOSYNARUM PER UNION. MISSIONARIAM FRANCISCANAM COLLECTARUM.

(Ex *Apostolicum* (1), 1933, p. 186)

Quaestioni: « *Utrum eleemosynae per Unionem Missionariam Franciscanam collectae, subsint necne vigilantiae et visitationi Vicarii Apostolici?* »

Sacra Congregatio *de Propaganda Fide,* die 28 iulii 1932, ita respondit:

« Quas Unio Missionaria Franciscana colligit eleemosynas, oblationes, dona, etc. etc. aestimari sane nequeunt pertinere proprio iure ad Ordinem, tamquam ipsi data in proprium. Haberi haec omnia debent tamquam data Ordini : d subveniendum missionibus ipsi concreditis, sicuti vel ex ipsa denominatione « Missionaria Franciscana » elucet.

« Ordo proin ea omnia exclusive pro missionibus suis sive ad educandum ac formandum vel ad mittendum missionarios, sive ad variis missionum necessitatibus subveniendum impendere tenetur. Quae vero ab Ordine in subsidium missionis bonum fiunt.

Quumque Vicarius Apostolicus pleno iure missionis bona administret et pro missione erogat, Superior regularis nullum amplius ius in ea exercere valet (Cfr *Instruct. S. C. de Prop. Fide*, 8 dec. 1929).

« Quod spectat ad ea, quae ab oblatoribus pro determinata aliqua missione dantur, secundum offerentium intentionem, huic missioni fideliter tradenda sunt, quemadmodum quoque ea, quae pro speciali aliqua missionis opera, puta pro ecclesia aedificanda, pro hospitali aliquo, nosocomio, orphanatrophio, statione etc. erigendis, oblata fuere, in talem finem insumi debent, nec in alium finem vel ad alia opera declinari possunt. Subsunt tamen haec omnia vigilantiae et visitationi Vicarii Apostolici secundum dispositiones can. 296 et 533, § 1, 4° ».

G. M. Card. van ROSSUM, *Praefectus*
CAESAR PECORARI, *Sub Secr.*

(1) Periodicum pastorale et asceticum pro Missionariis. Tsinanfu, Shantung, China.

51. — S. Paenitentiaria Apostolica

(Offic. de indulgentiis)

DECRETA 18 MAII ET 2 IUN. 1933 NOVAE INDULGENTIAE

(A. A. S., 1 iul. 1933, XXV, 322, 323)

I. DECRETUM 18 MAII

DE INDULGENTIIS PER RECITATIONEM DIVINI OFFICII CORAM SSMO SACRAMENTO LUCRANDIS.

Decreti ratio.

Cum non omnibus qui tenentur, semper et ubique liceat *integrum* divinum Officium, etsi in partes distributum, coram Ssmo Sacramento, sive publicae adorationi exposito sive in tabernaculo adservato, ad mentem atque effectum praecedentium ad rem decretorum (A. A. S., vol. XXII, p. 493, vol. XXIII, p. 23, vol. XXIV p. 411), recitare; ne tot e clero peculiari hoc ad cultum Ssmae Eucharistiae incitamento absque eorum culpa priventur, Ssmus D. N. Pius divina Providentia Pp. XI, ad preces infra scripti Cardinalis Maioris Paenitentiarii, in audientia die 6 Aprilis currentis anni eidem impertita, benigne concedere dignatus est ut, firmis omnino manentibus praecedentibus concessionibus, omnes et singuli, pro eorum statu, ad divini Officii recitationem adstricti, si hanc peragant, etiam in parte tantum, coram Ssmo Sacramento, ut supra *indulgentiam quingentorum dierum* pro unaquaque, ut dicunt, hora canonica, ceteris paribus, adipiscantur. Praesentibus in perpetuum valituris absque ulla Brevis expeditione et contrariis quibuslibet non obstantibus.

Audientia SS i (6 apr. 1933).

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Paenitentiariae, die 18 Maii 1933.

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S.

I. Teodori, *Secretarius.*

II. DECRETUM 2 iunii

INVOCATIO IN CONFICIENDIS VEL REFICIENDIS SACRARUM AEDIUM SUPELLECTILIBUS AC LITURGICIS VESTIBUS RECITATA INDULGENTIIS DITATUR.

Ss.mus Dominus Noster Pius divina Providentia Pp. XI, in audientia infra scripto Cardinali Paenitentiario Maiori die XIX mensis Maii c. a. concessa, benigne indulsit ut ii omnes, qui in conficiendis vel reficiendis sacrarum aedium supellectilibus ac liturgicis vestibus, cum privatim tum in institutis hoc consilio conditis, operam suam gratuito praestent; itemque qui, ut Missionalium incepta provehant, iisdem vel manuum suarum operâ opitulentur, *partialem CCC dierum indulgentiam* toties lucrari queant, quoties, dum in huiusmodi opus incumbunt utque illud sanctius efficiant, precatiunculam *Iesu, via et vita nostra, miserere nobis*, saltem corde contrito recitaverint. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus S. Paenitentiariae, die 2 Iunii 1933.

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S.

I. TEODORI, *Secretarius.*

52. — Suprema S. Congr. S. Officii

Decreta: Proscriptiones librorum 14 iul. 1933

(A. A. S. 10 aug. 1933, XXV, 332)

I. DECRETUM

DE « CONGRÈS D'HISTOIRE DU CHRISTIANISME »

Feria IV, die 28 Iunii 1933

Dies consessus (28 iun. 1933).

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales, rebus fidei et morum tutandis praepositi, audito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt opus quod inscribitur:

Proscriptum opus.

Congrès d'histoire du christianisme (JUBILÉ ALFRED LOISY), publié sous la direction de P. L. COUCHOUD.

Approbatio SS.i 29 iun. 1933.

Et sequenti Feria V, die 29 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius divina Providentia Pp. XI, in solita audientia R. P. D. Adsessori Sancti Officii impertita, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicandam iussit.

Dies decreti 14 iul. 1933.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 14 Iulii 1933

A. SUBRIZI, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

II. DECRETUM

DE OPERIBUS C. GUIGNEBERT PROFESSORIS « À LA SORBONNE ».

Feria IV, die 12 Iulii 1933

Dies consessus (12 iul. 1933).

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales, rebus fidei et morum tutandis praepositi, audito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserenda mandarunt *Opera omnia* CAROLI GUIGNEBERT.

Proscripta opera.

Approbatio SS.i (13 iul. 1933).

Et sequenti Feria V, die 13 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius divina Providentia Pp. XI, in solita audientia R. P. D. Adsessori Sancti Officii impertita, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicandam iussit.

Dies decreti 14 iul. 1933.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 14 Iulii 1933.

A. SUBRIZI, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

53. — Suprema S. Congr. S. Officii

DECRETUM 29 IUL. 1933
(A. A S. 10 aug. 1933, XXV, 332)

SACERDOS PROSPER ALFARIC EXCOMMUNICATUS VITANDUS DECLARATUR ET PAENA DEGRADATIONIS DAMNATUR

Rationes severitatis.

Verbo, opere et scriptis veritatum fidei christianae fundamentalium oppugnator, imo et ipsius historicae Christi exsistentiae inficiator acerrimus, Sac. Prosper Alfaric e loco Livinhac-le-Haut dioecesis Ruthenensis in Gallia, olim e Societate Sancti Sulpitii et in Seminariis Bajocensi, Burdigalensi et Albiensi docendi munere successive auctus, deinde apostata ab ordine sacro et a fide, reus attentati matrimonii (quod dicunt) civilis, nunc in Universitate Argentoratensi historiae religionum professor, cum non semel antea a legitimis superioribus ecclesiasticis *paterne*, novissime vero per R. P. D. Ordinarium Argentoratensem, iussu et auctoritate Sancti Officii, *canonice* monitus, in sua sententia pertinaciter perseveraverit et perseveret, E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales, fidei morumque integritati curandae praepositi, aegre quidem sed ineluctabili sui muneris necessitate compulsi, in plenario consessu habito feria IV, die 19 Iulii 1933, statuerunt ac decreverunt:

Dies consessus 19 iul. 1933.

Sententia.

« Sac. Prosper Alfaric, de quo supra, praesenti Decreto, in excommunicationem latae sententiae ad praescriptum canonis 2314, § 1, n. 1 et in omnes contra publice excommunicatos latas paenas declaratur incursus; una vero simul excommunicatione nominatim et personaliter percellitur, vitandus edicitur ac degradatione damnatur. A qua quidem excommunicatione haud aliter absolutionem se obtenturum sciat, nisi exhibitis antea certis ac diuturnis sincerae resipiscentiae signis, errores suos omnes formiter retractaverit per declarationem a Sancto Officio probandam ac publici iuris faciendam; quibus omnibus tantum praestitis, et non antea, iterum admitti poterit, ceteris paribus, ad participationem Sacramentorum, more laicorum ».

Condiciones absolutionis.

Et feria V, die 27 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. Pius divina Providentia Papa XI, in solita audientia R. P. D. Adsessori S. O. impertita, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit ac publicari iussit.

Approbatio SS.i (die 27 iul. 1933).

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 29 Iulii 1933.

Decretum 29 iul. 1933.

A. SUBRIZI, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

54. — S. Congr. Caeremonialis

DECRETUM 24 IUN. 1933

De colore violaceo

(A. A. S. - 10 aug. 1933. XXV, 341)

Decreti ratio.

Sacrae huic Congregationi, cui maxime cordi est, ut quae ab Ecclesiae legibus statuuntur circa vestes et insignia Eminentissimorum Cardinalium, Excellentissimorum Episcoporum nec non Reverendissimorum Praelatorum, Familiarium Summi Pontificis et omnium eorum qui hac in re idem privilegium habent, fideliter custodiantur, non abs re visum est si in id eorum mentis attentio revocetur quod una eademque apud omnes sit ratio atque gradus illius *violacei* coloris quo ex benigna S. Sedis concessione insigniuntur.

Color violaceus in posterum adhibendus.

Qua in re ut omnes varietates vitentur et ille omnino statuatur color adhibendus qui vere violaceus sit et omnibus communis ad quos pertinet, Sacra Congregatio, Pio XI Summo Pontifice approbante et confirmante, decernit ut in posterum, quando vestes violaceae sive laneae sive sericae praescribuntur, illius coloris violacei rationem conditionemque adhibeant omnes, cuius exemplar ac modulus in adiuncto folio (1) proponitur, aliis quibuscumque coloris rationibus repudiatis atque interdictis.

Dies (24 iun. 1933).

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Caeremonialis, die 24 Iunii, anno 1933.

† I. Card. GRANITO PIGNATELLI DI BELMONTE
Episc. Ostiensis et Albanensis, *Praefectus*

L. ✠ S.

B. NARDONE, *Secretarius.*

---

(1) Qui folium habere cupiunt, adeant Secretariam S. Congregationis Consistorialis.

55. — S. Paenitentiaria Apostolica.

DECRETUM 1 aug. 1933.

DE NON PERMISCENDIS OPERIBUS PRO MULTIPLICI IUBILAEI ACQUISITIONE

(A. A. S. 10 aug. 1933, XXV, 343)

Dubium in audientia 21 iul. 1933 propositum.

Infra scriptus Cardinalis Paenitentiarius Maior, in Audientia diei 21 mensis Iulii 1933, Ss.mo D. N. Pio Pp. XI sequens dubium exposuit, saepenumero Sacrae Paenitentiariae pro opportuna solutione exhibitum, ut mentem Suam hac de re aperire dignaretur:

« Utrum nonnulla vel etiam omnia opera pro altero iubilaeo acquirendo fieri possint antequam inchoata opera pro primo absolvantur ».

Responsio negativa.

Cui dubio Sanctitas Sua respondere dignata est:

« Negative ».

Dies (1 aug. 1933).

Datum Romae, ex aedibus S. Paenitentiariae, die 1 Augusti 1933.

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S. I. TEODORI, *Secretarius.*

ANNOTATIO.

Cum generaliter statuatur opera quolibet ordine peragi posse, atque Const. *Quod nuper*, quo iubilaeum indicitur, expresse permittat ut tres visitationes in singulis basilicis faciendae ilico in una repetantur antequam in alia essent perfectae vel inchoatae, dubitari potuit, ac re vera plures quaesierunt utrum qui bis vel pluries iubilaeum lucrari voluerint possint utiliter sex vel plures visitationes peragere in una basilica antequam opera iubilaeo requisita semel perfecerint, annon.

Motus factis instantiis Em. Cardinalis Paenitentiarius maior quaestionem authentice solvendam proposuit SS. D.no, qui opera sic permisceri posse negavit.

Corrigenda igitur est solutio benignior in quam supra, p. 112* inclinavimus. A. VERMEERSCH S. I.

N. B. - De pag. 104. 105*, cfr declarationem in proximo fasciculo.*

PARS ALTERA

MONUMENTA

52. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Epistola Encyclica 3 iun. 1933

DE INJUSTA REI CATHOLICAE CONDICIONE IN HISPANIA (1)

(A. A. S., 5 iun. 1933, XXV, 261.)

PIUS PP. XI

VENERABILES FRATRES AC DILECTI FILII
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Gens Hispaniae dilectissima S. Pontifici. Cur.

Dilectissima Nobis nullo non tempore fuit nobilis Hispanorum gens cum ob insignia in catholicam fidem civilemque christiani nominis cultum promerita, tum ob avitam flagrantissimamque cum Apostolica hac Sede animorum coniunctionem, tum nominatim ob magna eius instituta et apostolica incepta, per quae et ferax exstitit sanctorum virorum mater et missionalium inclytorumque religiosorum Ordinum Conditorum altrix; decus ii quidem atque firmamentum Ecclesiae Dei.

Maeror de conatibus qui simul fidei et Civitati sunt fatales.

Quoniam igitur praeclara Hispaniae gesta cum catholica Religione tam arcte coniunguntur, geminato Nos maerore idcirco afficimur, quod miserandi ii conatus obversantur Nobis qui eo sane exitu iterantur, ut, una cum maiorum fide, effectrices etiam eripiantur civilis amplitudinis causae. Quapropter Civitatis huius moderatores, ut paternus postulabat animus, deesse Nobis non potuimus quin haud semel adhortaremur, ut diligenter perpenderent, fallacem se viam rationemque perse-

Quae S. Pontifex per Nuncium saepius fecit, et paternis verbis ad Hispanos directis.

(1) Ad E.mos PP. DD. Franciscum S. R. E. Presb. Card. Vidal et Barraquer Archiepiscopum Tarraconensem, Eustachium S. R. E. Presb. Card. Ilundain et Esteban Archiepiscopum Hispalensem, ceterisque RR. PP. DD. Archiepiscopis et Episcopis atque universo clero et populo Hispaniae.

qui; non enim, populorum animos laedendo vulnerandoque, eam possunt, ad cuiusvis Nationis prosperitatem adipiscendam omnino necessariam, civium omnium concordiam in usum deducere.

Id fecimus per Legatum Nostrum, quotiens novae praescriptionis edendae ingruere periculum videbamus, sacrosanctis Dei animarumque iuribus infensae. Utque dilectis Hispaniae filiis, cum ex sacrorum, tum ex laicorum hominum ordine, amantissimi animi Nostri sensus in huiuscemodi angustiis magis magisque paterent, vel publice ad eosdem paterna verba Nostra convertere, occasione data, non praetermisimus.

Nova lex contra religiosae fidei professiones et Congregationes, Pontificem cogit ut vocem iterum attollat,

At nunc temporis, quam nuper « in religiosae fidei professiones Congregationesque » legem sanxerunt, in eam Nos temperare Nobis non possumus quin iterum vocem, reprobando conquerendoque, attollamus Nostram, cum novam ea iniuriae notam gravioremque inurat non modo Ecclesiae Religionique, sed ipsis etiam civilis libertatis praeceptis atque institutis, quibus, ut iactant, recens nititur Hispaniae regimen.

non animo alieno a nova regiminis politici ratione: Ecclesia enim nullam politicam ordinationem per se potiorem habet,

Neque — quod ut intento cupimus perpendant animo — hanc suadent sententiam Nostram consilia, quae iniverimus, ut nonnulli falso dictitant, et aliena a nova Hispanicae Civitatis gubernandae ratione et a politicis inibi haud ita pridem habitis immutationibus aversa.

Omnibus siquidem in comperto est Catholicam Ecclesiam, cum prae aliis nullam rei publicae ordinationem potiorem habeat, dummodo Dei christianaeque conscientiae iura sarta tectaque evadant, tum quibusvis civilibus societatibus, ulla non interposita difficultate, convenire; sive eaedem Regni, sive Reipublicae formam induant, sive denique ab optimatium, sive a popularium dominatu pendeant.

ut probant varia « Concordata » recens admissa,

Cuius rei argumento sunto, ut recentiora tantummodo attingamus facta, non pauca ea pactiones et « Concordata », quae vocant, postremis etiam hisce temporibus digesta: itemque necessitudinis rationes, quae Apostolicae Sedi cum variis Civitatibus intercedunt; cum iis etiam, quae, post proximum maximumque bellum, regio imperio reiecto, in Reipublicae ordinationem coaluerunt.

sine ullo detrimento civitatum,

Iamvero, numquam hae Respublicae — et ad sua instituta et ad iustae amplitudinis studia et ad gentis suae prosperitatem quod attinet — numquam, dicimus, neque ex susceptis amicitiae officiis cum Apostolica hac Sede, neque ex inito consilio, conventiones scilicet, horum temporum condicioni consentaneas, iis de rebus mutua fide transigendi, quae ad civilem et ad ec-

clesiasticam societatem pertinent, ulla procul dubio detrimenta ceperunt.

immo cum non exiguo bono rei publicae.

Quin immo, cum de re agatur omnino explorata ac certa, asseverare possumus ex hac fiduciae plena, Ecclesiae Civitatumque concordia, non exigua orta esse civilibus consortionibus commoda atque utilitates.

Perturbationis socialis fluctibus nemo aptiorem opponit aggerem quam Ecclesia catholica.

Etenim, ut omnes norunt, socialis perturbationis fluctibus, usque quaque omnia permiscentibus, firmior atque aptior ullus non opponitur agger, quam Catholica Ecclesia, quae, maxima populorum altrix, legitimae auctoritatis observantiam humanaeque libertatis iura, rationes iustitiae optataeque pacis bonum salubriter feliciterque conciliare numquam destitit.

Ac rectores rei publicae certiores facti sunt de prona voluntate S. Sedis et Episcoporum ad iuvandos praesides in tutanda tranquillitate.

Haec omnia qui Hispanorum Reipublicae praesunt in comperto non habere non poterant; immo etiam certiores iidem facti sunt percupere Nos ac vos, venerabiles in episcopatu fratres, ad civilem ordinem tranquillitatemque tutandam adiutricem operam navare.

Cum Episcopis et sacris ministris consensere laici fideles.

Ac Nobiscum et cum Hispaniae Episcopis fere omnes consensere non modo ex sacrorum administrorum, saecularium ac regularium, sed ex laicorum etiam hominum ordine, hoc est universa paene Hispanorum gens; qui quidem, etsi alius aliam propriam amplectebatur sententiam, etsi ab Ecclesiae osoribus lacessebantur ac vexabantur, constitutis tamen rei publicae moderatoribus quieto animo obtemperantes, a vi violenter repellenda, a conflandis turbis et a conturbationibus excitandis, nedum a civili bello, abstinuere. Iure igitur meritoque, disciplinae huic obtemperationique, quam Catholicae Religionis praecepta suadent, illud est potissimum tribuendum, quantumcumque pacandae rei publicae incolume adhuc exstat, quodque repugnantia factionum rerumque novarum amatorum studia evertere connituntur, omnia utique Civitatis iura atque officia violantium.

Calumniam retundit eorum qui insectationem Ecclesiae tuendae rei publicae necessitate excusatam velint.

Ac summa Nos miratione vehementique maerore idcirco commoti sumus quod nonnulli, impiam, quae in Ecclesiam invehitur, insectationem veluti comprobare conantes, novae Reipublicae tutandae necessitatem esse suscepti consilii causam publice professi sint.

Conflictatio explicanda est odio occultarum sectarum.

Quapropter liquido patet, quod proferunt huius rei argumentum, commenticium esse ac prorsus vanum, ita ut merito inde colligere possimus eiusmodi Hispanicae Ecclesiae conflictationem non tam ex catholicae fidei eiusque bene factorum ignoratione profectam esse, quam ex odio simultateque, quod « adversus Dominum et adversus Christum eius » totius religiosi civilisque ordinis subversores, in occultas sectas coale-

scentes, ut in Mexicana, ut in Russiarum Republica, fovent atque urgent.

S. Pontifex dolet edictum esse ut nulla esset propria Civitatis religio, civilisque societas ab Ecclesia separaretur.

Iamvero, ut ad luctuosam eam redeamus legem « de religiosae fidei professionibus deque Congregationibus latam », haud mediocri sane dolore comperimus aperte legumlatores imprimisque edicere nullam esse Civitati religionem propriam, atque adeo, quod iam Hispaniae moderandae « Constitutio » inique sanxit de Civili Societate ab Ecclesia seiungenda, id confirmare ratumque habere.

Illicita sane seiunctio, maxime in Hispania.

Ne diu heic multumque moremur, longius persequi nolumus quam remoti a veritate ii aberrent, qui huiusmodi discidium licitum in se probatumque habeant; idque praesertim, cum de Natione agatur, quorum cives fere omnes catholico nomine gloriantur. Haec siquidem nefasta seiunctio, si rem intento animo consideremus — ut non semel, occasione data significavimus, ac nominatim per Encyclicas Litteras « Quas primas » — *Laicistarum* commenta necessario consequitur, qui se hominumque consortionem a Deo ideoque ab Ecclesia abalienare contendunt.

Seiunctio ista Laicistarum commenta necessario consequitur.

Peculiari tamen modo Ecclesia penes Hispanos operosa.

At si cuilibet populo perabsurdum est, nedum impium, Deum Creatorem providentemque ipsius Civilis Societatis Rectorem a re publica prohibere, id tamen, peculiari modo, Hispanorum genti adversatur, quos penes Ecclesia, cum in legibus tum in scholis inque ceteris privatis publicisque institutis nullo non tempore meritoque potiorem ac feliciter actuosiorem locum obtinuit.

Impietatis inceptum vim simul auctoritati Civitatis subtrahit.

Animadvertendum praeterea est hoc impietatis inceptum non modo ipsimet christianae populi conscientiae — iuventutis praesertim, quae, Religione posthabita, educari iubetur, ac domestici convictus, cuius sacrosancta praecepta violantur — non reparabili esse detrimento, sed auctoritati etiam Civitatis moderatrici haud minus incommodi ac damni inferre; quae quidem cum ita praesidium dimiserit, quod eam populis commendabat, cum doctrinam scilicet de divina origine, sanctione obtemperandique ratione omnino respuerit, prorsus necesse est ut et validiorem obligandi vim et firmiorem obedientiae observantiaeque titulum una simul amittat.

Testes sunt Nationes quae, experientia edoctae, tam pacifice cum Ecclesia conversantur.

Huiuscemodi damna ex hoc discidio proficisci, eae non paucae testantur Nationes, quae, cum id ipsum in suam rei publicae ordinationem induxissent, haud ita multo post rei medendi opportunitatem professae sunt, seu leges Ecclesiae infensas — ad interpretationem saltem et ad usum quod pertinet — com-

mutando temperandoque, seu id efficiendo, ut, quamvis haec seiunctio permaneat, Civitas tamen et Ecclesia pacate inter se conversentur mutuamque sibi operam praestent.

Hispaniae legumlatores, nomine libertatis, discidium imponunt usque ad negandum commune ius Ecclesiae eiusque sacris administris.

Nihilo secius Hispaniae legumlatores, haec parvi pendentes quae historia docet, id genus discidium decrevere, quod illi reapse adversatur fidei, quam cives paene omnes profitentur; discidium dicimus vel eo calamitosius atque iniquius, quod, illud libertatis nomine impositum usque ad communis iuris infitiationem ipsiusque libertatis urget, quam tamen certam pariter omnibus tutamque spondent. Ecclesiam sacrosque administros iniustis exceptionibus ita obnoxios reddidere, ut eosdem subiicere magistratuum arbitrio eniterentur.

Dum omni opinioni plena libertas sancitur, catholica religio plurimum vexatur.

Etenim, « Constitutionis » ceterorumque decretorum vi, si quaevis opinio, vel omnino falsa, et publice exprimi, et in apertum potest prosilire campum, at Catholica Religio una, cui se filios addictissimos profitentur Hispani, quam impertit institutionem, videt invidiose observatam iudicatamque, et litterarum ludos ceteraque de hispanicae doctrinae optimarumque artium processu tam bene merita opera multis vexata impedimentis.

Ipsa divini cultus perfunctio coercitionibus obnoxia est.

Ipsa divini cultus perfunctio, in praecipuis etiam rebus ex moreque traditis ritibus, coërcitionibus non caret; ut Religionis traditio ac cura in institutis, quae a Civitatis moderatoribus pendent; ut religiosae, quae ducuntur, pompae, indebitae publicorum magistratuum temperationi omnino permissae: ut denique sacramentorum etiam administratio morientibus funerisque exsequiae vita functis.

Dum leges tuentur usum proprietatis, Catholica Ecclesia possessionibus suis est exclusa; posthabita largitorum voluntate, Nationi addicta aedificia quae pertinent ad Ecclesiam, et obnoxia facta tributis.

In iis vero rebus, quae ius proprietatis spectant, vel luculentius discrepantia patet. Siquidem « Constitutio » civibus omnibus legitimam possidendi facultatem attribuit, itemque, quemadmodum in quibuslibet accidit excultis Civitatibus, gravissimi huiuscemodi iuris usum, quod ex ipsa natura profluit, spondet atque tuetur. Attamen hac etiam de causa in Catholicae Ecclesiae detrimentum exceptionem decrevere; eam videlicet, non sine manifesta iniuriae nota, possessionibus suis omnibus excluserunt. Itaque largitorum voluntas posthabetur; finis, ad quem eiusmodi bona destinantur, spiritualis equidem ac sacrosanctus, prorsus neglegitur; ac reiiciuntur iura, iam diu acquisita, certissimisque rationibus innixa. Aedificia omnia, episcoporum domicilia, parochorum sedes, seminaria denique ac monasteria, ut integra ac libera Catholicae Ecclesiae res non agnoscuntur: immo potius, eâ adhibitâ sententiâ quae occupationis iniustitiam dissimulare contendit, publica Nationis possessio denuntiantur. Praeterea, tametsi circumscriptum aedifi-

ciorum usum, quorum integrum proprietatis ius Ecclesia eiusque administri obtinuere, ecclesiasticis institutis lege attribuunt, dummodo fini, cuiusque proprio, divino nempe cultui, inserviat, decernunt tamen ut iis tributis, quae rerum non moventium usui imperantur, haec eadem aedificia obnoxia fiant; atque ita Ecclesiam, ob bona illa per vim erepta, vectigalia pendere cogunt.

Qua via Ecclesia adducetur ad precarium rerum suarum usum amittendum, cum, spoliata bonis, tributis solvendis impar fiat.

Iamvero, hoc inducto agendi modo, Civitatis rectores eam sibi viam rationemque compararunt, qua ad precarium etiam suarum rerum usum amittendum Ecclesiam adducerent; quandoquidem eidem, possessionibus omnibusque subsidiis exspoliatae, ac multis coactae impedimentis, imposita tributa solvendi quaenam facultas erit?

Civilium magistratuum iudicio permittitur definitio bonorum quae ad obeunda religionis officia necessaria sint: quae sola bona ab Ecclesia retineri possunt.

Neque asseverari potest quamdam, privatam saltem, possidendi potestatem in posterum esse Catholicae Ecclesiae ex lege permissam; verba enim, quae in exarata lege sequuntur — ea nempe bona « posse Ecclesiam dumtaxat retinere, quae ad obeunda religionis officia necessaria sint » — definitam eiusmodi iuris facultatem inanem propemodum efficiunt; itemque Ecclesiam ipsam eo compellunt, ut quae sint divino muneri suo necessaria civilium magistratuum iudicio subiiciat. Itaque ii, qui Civitati praesunt, in illis definiendis rebus, quae ab Ecclesia, ad spirituales perfunctiones suas quod attinet, exigi possint, supremos iudices se iactant. Atque adeo timendum profecto est ne arbitrii huius sententia factiosis legis legumlatorumque propositis omnino faveat.

Etiam sacrae res mobiles denuntiatae sunt publicae civitatis possessiones;

At neque id satis habuere; sed res etiam moventes, quibus quidem — rationariis studiosissime confectis ne aliquid praetermitteretur — liturgicas vestes, imagines, pictas tabulas, vasa, pretiosa ornamenta aliaque id genus, catholicae religionis cultui eiusque splendori atque utilitati expresse perpetuoque destinata diligenter adnumeraverunt, publicae civitatis possessiones denuntiatae fuerunt.

ac rectores reipublicae immodicam abutendi his rebus facultatem sibi vindicant.

Quodsi Ecclesiae ius paene eripiunt utendi possessionibus suis, quas aut ipsamet legitime sibi comparavit, aut pie eidem Christifideles dono dederunt, at contra Reipublicae rectores immodicam sibi sacris hisce rebus abutendi facultatem vindicant, earum etiam, quae, peculiari ritu, a profano usu prohibentur; idque nulla adhibita condicione, nullaque futuri damni compensatione Ecclesiae provisa.

Denuntiata quoque sunt propria Nationis possessio ipsa templa,

Atqui haud expleverunt haec omnia impium legumlatorum exspoliandi studium: quod templa etiam attigit, templa dicimus, liberalium artium ornamentum, eximia gloriae historiaeque

monumenta, Hispanicae Nationis laudem ac decus: templa, Dei precationisque domus; templa denique, quae Catholica Ecclesia nullo non tempore rem propriam iure meritoque habuit, quaeque — optime de iisdem merendo — actuosa cura adservavit diligenter et omni ope exornavit.

quorum non pauca scelesto furore igne absumpta sunt.

Etenim sacrae illae aedes — quarum non paucas scelesto incendiariorum furore absumptas iterum lamentamur — ut propria Nationis possessio denuntiatae fuerunt, ita iis obnoxiae factae sunt, qui, neglecta vel contempta catholica Hispanorum fide, rei publicae moderantur.

Quas igitur, venerabiles fratres ac dilecti filii, condiciones apud vos Ecclesiae fecerunt, eaedem tristissimae utique sunt.

Clerus iniusta ea agendi ratione, quae a nobilissimo Hispanorum animo omnino abhorret, reditibus suis ita privatus est, ut non modo officium, ex « Concordati » lege susceptum, violetur, sed absoluta etiam iustitiae iura laedantur, quandoquidem Civitatis rectores, qui hoc genus proventus decreverant, non id gratuito statuerant, sed ut, ex parte saltem, detrimenta, ob bonorum ereptionem ante acto tempore Ecclesiae illata quodammodo resarcirent.

Iniuste, spreta Concordati vi, clerus spoliatus est reditibus qui, ut partialis compensatio anteriorum spoliationum, ei addicti erant.

Ac praeterea Religiosae etiam Congregationes, ex huiuscemodi infausta lege, impiissime affectae vexataeque fuerunt. Siquidem iniuriosae inuritur suspicionis nota, posse nempe eas adversus Reipublicae incolumitatem periculosam operam conferre; quam ob rem delationibus insectationibusque infensa plebis studia commoventur; quod procul dubio facilis videtur via ac ratio ad funestiora in eas suscipienda consilia.

Religiosae Congregationes iniuriosis suspicionibus obnoxiae, fiscalibus molestiis praegravantur, et prohibentur a docendi iure et a qualibet arte qua honeste victum sibi comparare possint.

Tot tantisque enim relationibus, perscriptionibus inspectionibusque subiiciuntur, ut earum res omnes, his coactae impedimentis, fiscalibus molestiis praegraventur; ac denique, postquam a docendi iure et a qualibet etiam arte exercenda prohibitae sunt, qua honeste possint sibi victum comparare, tributariis legibus obnoxiae fiunt, quamvis explorata res habeatur vectigalia imposita pendendi facultatem iisdem esse necessario defuturam, quibus cuncta bona fuerint erepta; quod quidem tecta videtur ratio, qua nullus vivendi modus relinquatur.

Iamvero, istiusmodi decreta religiosos viros solummodo non opprimunt, sed universam etiam Hispanorum gentem; quandoquidem maxima illa beneficentiae caritatisque incepta non restinguere non possunt, quae pauperiori plebi opitulantur, quaeque saeculorum decursu cum Religiosas Congregationes tum catholicam Hispaniam praeclaris gloriae laudibus honestarunt.

Oppressio haec universam Hispanorum gentem afficit.

Solacio Pontificis est conatus Hispanorum ad relevandum pro facultate inopiae incommodum.

Verumtamen in afflictis rebus, ad quas saecularis regularisque cleri administri detrusi sunt, hoc Nobis solacio est, generosos nempe Hispaniae populos, quamvis gravissimis in praesens oeconomicis negotiis distringantur, ita tamen esse digne ad iniquis hisce factis medendum elaboraturos, ut, quo Catholica Ecclesia conflictatur, inopiae incommodum pro facultate relevare contendant.

Ita enim et religionis cultui et pastoralibus cuiusque muneribus, renovatis viribus, consulere poterunt.

Valde dolet, tamquam infesto religioni et Deo animo profectam, decretam dissolutionem Ordinum qui aliis ac reipublicae rectoribus oboedientiam vovent.

Quodsi, ut diximus, ob huiusmodi nefas, haud mediocri dolore afficimur, at Nos et vos Nobiscum, venerabiles fratres ac dilecti filii, ob iniurias Divinae Maiestati illatas vel vehementius angimur. Cum enim illos Religiosorum hominum Ordines dissolvunt, qui aliis, ac Reipublicae rectoribus, obedientiae votis obstringantur, nonne inimicos atque infestos Deo ab eoque traditae religioni animos manifesto significant?

Hoc modo lacessita Societas Iesu,

Hoc enim modo rationeque Societatem Iesu, quae Apostolorum Principis Cathedrae unum se esse ex fulciminibus validioribus iure meritoque gloriari potest, dirimere ac dimittere voluere; ea forte spe freti posse se in posterum Catholicae Religionis fidem ac praecepta in Hispanorum gentis animis restinguere, quae praeclarum illud Ecclesiae iubar, Ignatium nempe Loyoleum, edidit. At praeterea — ut iam pridem a Nobis publice denuntiatum est — supremum ipsum Catholicae Ecclesiae Moderatorem laedere ac veluti percellere voluerunt. Romani equidem Pontificis nominatim mentionem facere non ausi sunt; re tamen vera ab Hispanicae Nationis regimine Iesu Christi Vicarii auctoritatem extraneam esse edixere. Idque, perinde ac si Pontificis munus, eidem a Divino Redemptore concreditum, in quavis terrarum orbis parte extraneum asseverari possit; vel tamquam si divinam Iesu Christi auctoritatem agnoscere ac vereri, legitimae auctoritatis humanae deminutio evadat atque impedimentum; vel denique haud secus ac si civili potestati aliquo modo adversetur spiritualis ac supernaturalis potestas. Quod profecto dissidium ex eorum dumtaxat improbitate haberi potest, qui idcirco hoc ipsum discupiunt, quod exploratum habent, miseras oves nullo ductas Pastore, et e veritatis via aberraturas, et in fallacium pastorum praedam facilius esse cessuras.

non sine iniuria summo Pontifici delata, dum auctoritas Christi Vicarii ab Hispanicae Nationis regimine extranea edicitur.

Sic oves nullo ductae Pastore facilius fallacium pastorum fient praeda.

Sed fideles populi quo acrius a I. C. Vicario eos avertere conantur,

Etsi tamen iniuriae nota, divinae Romani Pontificis auctoritati inusta, grave vulnus paterno animo Nostro non inferre non potuit, minime tamen dubitavimus quin eadem avitam stu-

diosamque Hispanorum in Beati Petri Cathedram observantiam vel parum remittere posset.

eo arctius eidem adhaerere contendunt.

Immo potius, quemadmodum ad recentiora usque tempora ex historiae fide experti sumus, quo acrius Ecclesiae osores a Iesu Christi Vicario populos avertere connituntur, eo arctius iidem — providentissimi Dei consilio, qui ex malis potest trahere bona — Romano Pontifici adhaerere contendunt; studiosiusque adserunt ab eo uno mentibus tot errorum caligine obumbratis affulgere lucem posse, qui quidem, ut Christus Dominus, « verba vitae aeternae » (1) habet.

Vexatio aliarum religionum, erepta religiosis facultate docendi, quamvis eorum scholae zelo magistrorum, collectis fructibus et parentum fiducia commendentur.

Neque solummodo in praeclaram optimeque meritam Societatem Iesu tam aspere fecerunt, sed Religiosi etiam Ordines Congregationesque omnes acerbe, recenti lege, divexati sunt; quandoquidem iisdem — ingrata sane, iniusta lamentabilique opera manifesto perpetrata — docendi ius est ereptum. Cur etenim civium ordines, ob eiusmodi tantum causam, quod perfectioris vitae institutum amplexi sunt, a docendi muneribus arcentur, quae ceteris omnibus attribuuntur? Ecquid aliquis dixerit eos, qui, Religiosam Congregationem ingressi, iuvenum institutioni educationique apostolico ardore se dedunt, hac eadem ratione esse ad instituendi educandique perfunctionem minus aptos atque instructos? Atqui experiendo edocemur quam diligenti cura, quam sagaci doctrinae perspicuitate Religiosi hi viri officio satisfecerint suo; et quos uberes fructus mentibus erudiendis conformandisque animis operoso labore pepererint. Qui ex eorum scholis — et humanarum omnium disciplinarum praestantia enitentes, et catholico spiritu in exemplum praediti — non pauci prodierunt, luculentissime iidem hoc testantur; itidemque non mediocre, immo etiam permagnum, incrementum, quod eorum doctrinae domicilia in Hispania consecuta sunt, nedum discipulorum frequentia, id feliciter ostendit.

Parentum tamen ius est deligendi eos quos velint institutionis filiorum sibi adiutores.

Rem denique patres matresque familias sua agendi ratione confirmant, cum iisdem litterarum ludis filios suos fidenti animo concrediderint; patres dicimus matresque familias, qui, quemadmodum suam cuiusque subolem educandi ius atque officium a Deo exceperunt, ita sanctissimae illius libertatis facultatem obtinent, eos nempe deligendi, a quibus hac eadem in causa adiutricem operam postulent.

Praeterea iura proprietatis ipsorum proculcata sunt.

At neque, ad Religiosos Ordines Congregationesque quod attinet, gravissimum hoc patrare facinus habuerunt satis, sed iura etiam proprietatis certissima legumlatores proculcaverunt

(1) Cfr Ioan., VI, 69.

liberamque conditorum et largitorum idcirco aperte violaverunt voluntatem, quod eas aedes per vim occuparunt inque eas disciplinarum ludos, Deo remoto, induxerunt, in quibus a conditoribus ipsis, ut iuvenes ad germana catholicae fidei dogmata instituerentur, erat praeceptum.

Inde manifestarunt consilium traducendi Hispanorum mentes ad «Laicistarum» commenta.

Ex quo facile coniicitur id genus consilii legumlatores inivisse, ut succrescentes hominum aetates religionis quadam neglectione, ne sacrarum dicamus contemptu rerum, imbuerent; ut ex adolescentium animis catholicos sensus a maioribus quidem acceptos, tamque alte in Hispanorum mentibus insitos, convellerent; vires denique omnes eo convertisse suas, ut iuventutis eruditionem atque doctrinam, quae ad hoc profecto tempus fide christianisque moribus alebantur, ad *Laicistarum* commenta traducerent.

Improbatio, damnatio istarum legum.

Quibus praescriptionibus promulgatis, tam acriter Ecclesiae iuribus libertatique inimicis atque infestis, iuribus dicimus, quae integra servari oportet, Apostolico muneri Nostro deesse prorsus arbitramur, si eamdem legem, quae tantopere divinam Ecclesiae constitutionem praepedit, non improbamus.

Quocirca legem ipsam vehementer sollemniterque expostulamus atque damnamus: eamque nullam posse in Ecclesiae Catholicae firmissima iura vim habere edicimus.

Spes ut zelus Hispanorum legum reformationem obtineat.

Hortatur eos Pontifex ut maxime curent morum puerorum christianam conformationem, praesertim cum impendeat periculum ne inducatur divortium civile.

Attamen abstineri heic minime possumus, quin magnam iterum spem aperiamus Nostram, fore ut suavissimi Nobis ex Hispania filii, horum edictorum iniquitate incommodisque penitus perspectis, ea omnia experiantur, quorum vel natura vel lege habituri sint facultatem, ut legumlatoribus ea praescripta emendanda suadeant, quae cuiusvis civis at praesertim christifidelium iuribus adversantur; idque praeterea efficiant ut in eorum locum aliae edantur leges, quae cum catholicorum hominum sensu cohaereant atque congruant. Interea vero, Patris ac Pastoris animo compulsi, Episcopos, Sacerdotes, eosque universos, qui adulescentibus instituendis operam navant, maximopere hortamur, ut, quam diligentissimis adhibitis curis, ad religionis praecepta atque ad christianos mores puerorum mentes impensius conformentur. Id sane vel maiorem necessitatem habere censemus, quod proxime in Hispania editae leges, divortio in rem publicam inique inducto, familiae sacrarium polluere conantur, atque aperto aditu ad domestici convictus discidium, in civilem hominum consortionem ipsam gravissimorum malorum semina iniicere non desistunt.

Hispanos maxime vult commonefactos

Hoc igitur ingruente detrimentorum discrimine, omnes ex Hispania christifideles iterum enixeque commonefactos volumus

ut, querelis ac privatis studiis posthabitis, patriae religionisque commoda propriis cuiusque consiliis potiora habentes, unanimi in fidem tuendam, in rem publicam ex periculis eripiendam strenue contendant.

ut, postpositis discidiis, unanimi in fidem et patriam tuendam contendant.

Peculiari vero ratione christifidelibus omnibus, in Catholicam Actionem, iterum et saepius a Nobis commendatam, ut coëant, vehementer suademus, quae, etsi tam longe abest ut politicam factionem efficiat, ut contra a quarumlibet partium studiis sit prorsus aliena, christifidelium tamen animos catholicis praeceptis conformare ita enititur, ut eos collustrando confirmandoque ad finem sartam tectamque servandam actuose excitet.

Operam appellat Catholicae actionis.

Finem denique Nostris hisce ad vos litteris, venerabiles fratres filiique carissimi, imponentes, nihil opportunius esse ducimus quam ut vos etiam atque etiam adhortemur ad fiduciam omnes magis quam in humana ope, in perpetuo perennique auxilio collocandam, quod Christus Dominus Ecclesiae suae pollicitus est, inque immensa Dei erga redamantes bonitate. Quapropter animo ea reputantes Nostro, quae apud vos acciderunt, et moestissime prae primis affecti ob pergrave nefas, quod Deo illatum est — tum sacrosanctis eius violatis iuribus, tum eius praeceptis nefarie perfractis — enixas ad aeternum Numen admovemus preces, ut clementer iisdem concedat iniuriis. Qui cuncta moderatur, Civitatis rectorum mentes superna luce perfundat, voluntatesque ad meliora convertat ac dirigat. Atque iam Nobis spes tuta arridet, futurum ut supplices tot filiorum Nobiscum comprecantium voces — hoc praesertim Anni Sancti decursu, undevicesimo revoluto saeculo a peracta humani generis Redemptione — caelestis Pater benignissime admittat.

Fiducia sit in promisso auxilio a Christo.

Supplicatio Pontificis.

Qua quidem spe freti, atque hoc etiam consilio ducti, ut divinorum munerum copiam, cum vobis, venerabiles fratres ac dilecti filii, tum universae dilectissimae Nobis Hispanorum Nationi conciliemus, horum auspicem Apostolicam Benedictionem effuso animo impertimus.

Spe etiam ex hoc sancto anno concepta benedictionem Apostolicam impertit.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die III mensis Iunii, anno MDCCCCXXXIII, Pontificatus Nostri duodecimo.

Dies (3 iun. 1933).

PIUS PP. XI

53. — Inter Sanctam Sedem et Germanicam rempublicam

Sollemnis Coventio 20 iul. 1933

(A. A. S. 10 sept. 1933, XXV, 389)

Ut stabili et aequabili modo relationes Ecclesiae catholicae et Status (Reich) Germaniae componerentur (ita in Introductione monumenti) S. Pontifex et Praeses « Reich » Germanici, e communi desiderio firmandi et augendi amicum commercium quod inter S. Sedem et « Reich » Germanicum viget, sollemnem voluere conventionem inire quae compleat concordias factas cum quibusdam regionibus, et aliis criterium uniforme tractandi huc pertinentes quaestiones suppeditet. Em. Card. PACELLI, *a Secretis Status, et* Fr. VON PAPEN, *vice-cancellarius « Reich » repraesentarunt S. Pontificem et Praesidem « Reich ».*

Pro momento suo, cum ista Conventio existimetur esse ex optimis quae initae sunt, damus hic textum italicum qui ut textus Germanicus est aeque officialis.

Libertas religionis catholicae.

ART. 1. - Il Reich Germanico garantisce la libertà della professione e del pubblico esercizio della religione cattolica.

Potestas legislativa Ecclesiae.

Riconosce il diritto della Chiesa Cattolica, nell'ambito delle leggi generali vigenti, di regolare e di amministrare liberamente i propri affari, e di emanare, nel campo della sua competenza, leggi e ordinanze che obbligano i suoi membri.

De aliis Concordatis.

ART. 2. - I Concordati conclusi con la Baviera (1924), la Prussia (1929) ed il Baden (1932) rimangono in vigore, ed i diritti e la libertà della Chiesa Cattolica, in essi riconosciute, restano invariate entro i territori dei rispettivi Stati. Per i rimanenti Stati si applicano integralmente le disposizioni convenute nel presente Concordato. Queste sono obligatorie anche per i suddetti tre Stati, in quanto riguardano materie che non furono regolate nei succitati Concordati particolari o ne completano l'ordinamento già stabilito.

In avvenire, la conclusione di Concordati con gli Stati particolari si effettuerà soltanto d'accordo col Governo del Reich.

Nuntius et Legatus politicus.

ART. 3. - Per coltivare i buoni rapporti fra la Santa Sede ed il Reich Germanico, un Nunzio Apostolico risiederà come finora nella capitale del Reich Germanico e un Ambasciatore del Reich Germanico presso la Santa Sede.

ART. 4. - La Santa Sede gode piena libertà di comunicare e corrispondere con i Vescovi, col clero e con quanti appartengono alla Chiesa Cattolica in Germania. Lo stesso vale per i Vescovi e per le altre Autorità diocesane nelle loro comunicazioni con i fedeli per tutto ciò che ha attinenza col loro ministero pastorale.

Libertas colloquii et litterarum.

Le istruzioni, ordinanze, lettere pastorali, bollettini diocesani ufficiali e tutti gli atti riguardanti il governo spirituale dei fedeli, che vengono emanati dalle Autorità ecclesiastiche nell'ambito della loro competenza (art. 1 cap. 2), possono essere pubblicati liberamente e portati alla conoscenza dei fedeli nelle forme finora usate.

Libera divulgatio actuum de spirituali fidelium regimine.

ART. 5. - Nell'esercizio della loro attività sacerdotale gli ecclesiastici godono della protezione dello Stato allo stesso modo come gli impiegati dello Stato. Questo impedirà, a norma delle leggi generali dello Stato, le offese alla loro persona e alla loro qualità di ecclesiastici, come pure che essi siano disturbati negli atti del loro ministero, e si renderà garante, ove occorra, della protezione da parte delle Autorità civili.

Tutela ecclesiasticorum.

ART. 6. - I chierici ed i religiosi sono esenti dall'obbligo di assumere pubblici uffici ed incombenze che, secondo le norme del Diritto Canonico, non sono compatibili con lo stato ecclesiastico o religioso. Ciò vale in modo particolare per l'ufficio di scabino, di giurato, di membro di Commissioni d'imposta o di tribunali di finanza.

Immunitas a publicis muneribus.

ART. 7. - Per assumere un impiego od ufficio dello Stato o di enti pubblici dipendenti dal medesimo, si richiede per gli ecclesiastici il *nulla osta* del loro Ordinario diocesano, come pure dell'Ordinario del luogo; il *nulla osta* rimane sempre revocabile per gravi motivi d'interesse ecclesiastico.

Clausula « Nihil obstat » necessaria ecclesiastico qui officium publicum assumat.

ART. 8. - Le entrate, di cui godono gli ecclesiastici per ragione del loro ufficio, sono esenti da pignorabilità, nella stessa misura in cui lo sono gli stipendi e gli assegni degli impiegati del Reich e degli Stati.

Reditus ecclesiasticorum immunes a coacto pignore.

ART. 9. - Gli ecclesiastici non possono essere richiesti da magistrati o da altre autorità a dare informazioni su cose o materie, che sono state ad essi confidate nell'esercizio della cura d'anime, e che perciò cadono sotto il segreto del loro ufficio spirituale.

Protectio secreti ex officio.

ART. 10. - L'uso dell'abito ecclesiastico o religioso da parte di secolari o da parte di ecclesiastici o di religiosi, ai quali sia stato interdetto dalla competente Autorità ecclesiastica con provvedimento definitivo ed esecutivo, comunicato ufficial-

Sanctio prohibitionis induendi habitum ecclesiasticum vel saecularem.

mente all'autorità dello Stato, è punibile con le stesse pene con le quali è punibile l'uso abusivo della divisa militare.

De ordinandis et circumscribendis dioecesibus,

ART. 11. - L'attuale organizzazione e circoscrizione diocesana della Chiesa Cattolica in Germania rimane conservata. L'erezione di una nuova Diocesi o Provincia ecclesiastica od altri cambiamenti di circoscrizioni diocesane, che apparissero eventualmente necessari in avvenire, rimangono riservati, trattandosi di un nuovo ordinamento entro i confini di uno Stato particolare della Germania, ad accordi col competente Governo del rispettivo Stato. Per nuove erezioni o cambiamenti, che sorpassano i confini di uno Stato particolare della Germania, avrà luogo un accordo col Governo del Reich, al quale sarà lasciata la cura di assicurarsi il consenso dei Governi degli Stati interessati. Lo stesso vale per la nuova erezione od il cambiamento di Provincie ecclesiastiche, qualora vi siano interessati più Stati particolari della Germania. Queste norme non si applicano nei casi di mutamenti di confini ecclesiastici, che si fanno unicamente nell'interesse della cura locale delle anime.

et mutandis finibus paroeciarum.

Nel caso di eventuali cambiamenti nella struttura territoriale interna del Reich Germanico, il Governo del Reich si metterà in comunicazione con la Santa Sede per il nuovo ordinamento della organizzazione e circoscrizione diocesana.

Nova erectio officiorum.

ART. 12 - Salvo le disposizioni dell'art. 11, gli uffici ecclesiastici possono essere liberamente eretti o mutati, qualora non si richieggano contributi dai fondi dello Stato. Il concorso dello Stato nella erezione e nel cambiamento di parrocchie o di simili comunità ecclesiastiche avrà luogo secondo direttive che si fisseranno d'accordo coi Vescovi diocesani; il Governo del Reich si adoprerà presso i Governi degli Stati particolari per la maggior possibile uniformità di tali direttive.

Personalitas iuridica ordinis sive privati sive publici consociationum, etc.

ART. 13. - Le parrocchie e altre simili comunità ecclesiastiche cattoliche, le associazioni parrocchiali e diocesane, le Sedi vescovili, le diocesi ed i capitoli, gli Ordini e le Congregazioni religiose, come pure gli istituti, le fondazioni ed i cespiti patrimoniali della Chiesa Cattolica, amministrati da organi ecclesiastici, conservano od acquistano la personalità giuridica per il foro civile secondo le norme comuni del diritto statale. Rimangono enti di diritto pubblico quelli che lo sono: agli altri possono essere concessi uguali diritti, a norma delle leggi generali vigenti.

Collatio officiorum et beneficiorum. Provisio ecclesiarum.

ART. 14. - La Chiesa Cattolica ha in massima il diritto di conferire liberamente tutti gli uffici e benefici ecclesiastici, senza il concorso dello Stato o dei Comuni, ad eccezione dei

casi previsti dagli accordi stabiliti nei Concordati di cui all'art. 2. Per quel che riguarda la provvista delle Sedi vescovili delle due diocesi suffraganee di Rottenburg e di Magonza, come pure della diocesi di Misnia, si applica ad esse, corrispondentemente, la norma fissata per la Sede di Friburgo, Metropolitana della Provincia ecclesiastica dell'Alto Reno. Lo stesso vale, nelle due diocesi suffraganee suddette, per la provvista dei canonicati del Capitolo vescovile e per il regolamento del diritto di patronato.

Condiciones sacerdotibus necessariae.

Inoltre si è d'accordo sui seguenti punti:

1. I Sacerdoti cattolici, che coprono in Germania una carica ecclesiastica o che esercitano un'attività nella cura d'anime o nell'insegnamento, devono

a) essere cittadini germanici;

b) avere ottenuto un attestato di maturità che abiliti allo studio in una scuola superiore germanica;

c) avere almeno per un triennio compiuto gli studi filosofico-teologici in un'alta scuola germanica dello Stato od in un istituto accademico germanico ecclesiastico od in un'altra scuola Pontificia in Roma.

Praevia nominum communicatio.

2. Prima di spedire le Bolle di nomina per gli Arcivescovi, Vescovi, per un coadiutore *cum iure successionis* o per un Prelato *nullius*, si comunicherà al Luogotenente del Reich (*Reichsstatthalter*) nel competente Stato il nome della persona prescelta per accertare che contro di essa non esistono obbiezioni di carattere politico generale.

Mediante intesa tra le Autorità ecclesiastica e governativa si potrà prescindere dai requisiti enumerati nel num. 1) capoverso 2, lett. *a*), *b*), *c*).

De Ordinibus et Congregationibus religiosis.

ART. 15. - Gli Ordini e le Congregazioni religiose non sono sottoposti da parte dello Stato, ad alcuna speciale restrizione riguardo alla loro fondazione, alle loro residenze, al numero e — salvo l'art. 15, capov. 2 — alle qualità dei loro membri, alla loro attività nella cura d'anime, nell'insegnamento, nell'assistenza ai malati e nelle opere di carità, nel regolamento dei loro affari e nell'amministrazione dei loro beni.

Requisita in Superioribus.

I Superiori religiosi, che hanno la loro residenza nel Reich Germanico, devono avere la cittadinanza tedesca. I Superiori provinciali e generali, residenti fuori del territorio del Reich Germanico, hanno, anche se di altra nazionalità, il diritto di visitare le loro case situate in Germania.

La Santa Sede avrà cura che per le case religiose esistenti nel territorio del Reich l'organizzazione provinciale sia regolata in modo che esse non siano, possibilmente, soggette a Superiori provinciali stranieri. Eccezioni possono essere ammesse, di intesa col Governo del Reich, specialmente in quei casi, in cui per il numero esiguo delle case non sia consigliabile la costituzione di una provincia germanica o in cui esistano particolari ragioni per conservare una orgazizzazione provinciale storicamente fondata e dimostratasi praticamente buona.

Iuramentum Episcoporum.

ART. 16. - I Vescovi, prima di prendere possesso delle loro Diocesi, presteranno nelle mani del Luogotenente del Reich (*Reichsstatthalter*) nel competente Stato oppure del Presidente del Reich un giuramento di fedeltà secondo la formula seguente:

« Davanti a Dio e sui Santi Vangeli, giuro e prometto, come si conviene ad un Vescovo, fedeltà al Reich Germanico e allo Stato... Giuro e prometto di rispettare e di far rispettare dal mio clero il Governo stabilito secondo le leggi costituzionali dello Stato. Preoccupandomi, com'è mio dovere, del bene e dell'interesse dello Stato Germanico, cercherò, nell'esercizio del sacro ministero affidatomi, di impedire ogni danno che possa minacciarlo ».

Cautio de proprietate et iuribus personarum iuridicarum.

ART. 17. - La proprietà e gli altri diritti degli enti di diritto pubblico, degli istituti, delle fondazioni e delle associazioni della Chiesa Cattolica sui propri beni saranno garantiti a norma delle leggi generali dello Stato.

Demolitio templorum quo pacto fieri queat.

Per nessun motivo potrà avere luogo la demolizione di un edificio dedicato al culto, senza previo accordo con le competenti Autorità ecclesiastiche.

Exoneratio praestationum Status erga Ecclesiam amico foederi et aequae compensationi subiecta.

ART. 18. - Qualora si volesse procedere allo svincolo delle prestazioni dello Stato alla Chiesa Cattolica fondate su legge, convenzione o particolari titoli giuridici, si addiverrà tempestivamente ad una intesa amichevole tra la Santa Sede ed il Reich prima di determinare i criteri da stabilirsi per tale svincolo.

Fra i particolari titoli giuridici va annoverata anche la consuetudine fondata in diritto.

Lo svincolo deve procurare agli aventi diritto al medesimo un congruo compenso per la cessazione delle attuali prestazioni dello Stato.

De catholicis Facultatibus theologiae.

ART. 19. - Le Facoltà di teologia cattolica nelle Università dello Stato rimangono conservate. I loro rapporti con l'Autorità ecclesiastica sono regolati secondo le disposizioni stabilite nei rispettivi Concordati ed annessi Protocolli finali, ed a norma

delle relative prescrizioni ecclesiastiche. Il Governo del Reich avrà premura di assicurare per tutte le anzidette Facoltà cattoliche della Germania una pratica uniforme che corrisponda a tutte le disposizioni vigenti in materia.

Erectio et administratio scholarum philosophiae, theologiae pro clero; seminariorum et « convictuum ».

ART. 20. - Salvo altri accordi vigenti, la Chiesa ha il diritto di erigere, per la formazione del clero, scuole di filosofia e di teologia, che dipendono esclusivamente dall'Autorità ecclesiastica, qualora non si richiedano sussidi dello Stato.

L'erezione, la direzione e la gestione dei Seminari e dei Convitti ecclesiastici spettano unicamente alle Autorità ecclesiastiche, nell'ambito delle leggi generali vigenti.

Institutio religionis in scholis.

ART. 21 - L'insegnamento della religione cattolica nelle scuole elementari, professionali, medie e superiori è materia ordinaria d'insegnamento e sarà impartito in conformità con i principii della Chiesa Cattolica.

Nell'insegnamento religioso si curerà particolarmente l'educazione alla coscienza dei doveri patrii, civili e sociali, secondo le massime della fede e della legge morale cristiana, ciò che si farà anche nel rimanente insegnamento.

Ratio studiorum et delectus librorum.

Il programma dell'insegnamento religioso e la scelta dei relativi libri di testo verranno fissati d'accordo con l'Autorità ecclesiastica superiore. Alle Autorità ecclesiastiche superiori sarà dato modo di esaminare, d'accordo con le Autorità scolastiche, se gli scolari ricevono l'istruzione religiosa in conformità con le dottrine e le esigenze della Chiesa.

Nominatio docentium.

ART. 22 - L'assunzione di insegnanti della religione cattolica avviene di comune intelligenza fra il Vescovo ed il Governo dello Stato particolare.

Gli insegnanti, che il Vescovo, per la loro dottrina o condotta morale, abbia dichiarati non idonei ad impartire ulteriormente l'istruzione religiosa, non possono essere adibiti a tale insegnamento, finchè perduri questo impedimento.

Conservatio et nova erectio scholarum confessionalium catholicarum.

ART. 23 - La conservazione e la nuova erezione di scuole confessionali cattoliche rimangono garantite. In tutti i Comuni, nei quali i genitori, o chi per essi, lo richiedono, saranno erette scuole elementari cattoliche, qualora il numero degli alunni, tenute nel dovuto conto le condizioni dell'organizzazione scolastica locale, fa ritenere possibile, a norma delle prescrizioni dello Stato, un ordinato funzionamento della scuola.

Delectus magistrorum.

ART. 24. - In tutte le scuole elementari cattoliche saranno impiegati soltanto maestri, che appartengano alla Chiesa Cattolica e che offrano la garanzia di corrispondere alle particolari esigenze della scuola confessionale cattolica.

Nel quadro della formazione professionale generale degli insegnanti dovranno esservi istituti, i quali assicurino una formazione di insegnanti cattolici corrispondente alle particolari esigenze della scuola confessionale cattolica.

Scholae Ordinum et Congregationum religiosarum.

ART. 25. - Gli Ordini e le Congregazioni religiose sono autorizzate a fondare e a dirigere scuole private, a norma del diritto comune e delle condizioni fissate dalla legge. Tali scuole private dànno le stesse abilitazioni delle scuole dello Stato, qualora adempiano alle condizioni vigenti per queste ultime in materia di programmi d'insegnamento.

Per l'ammissione all'insegnamento e per la nomina ad insegnante nelle scuole elementari, medie e superiori, valgono per i membri degli Ordini e delle Congregazioni religiose i requisiti comuni.

In variis casibus permissa prior celebratio matrimonii religiosi.

ART. 26. - Senza pregiudizio di un ulteriore e più ampio regolamento delle questioni di diritto matrimoniale, si è d'accordo che il matrimonio religioso possa esser celebrato prima dell'atto civile, oltre che nel caso di malattia mortale di uno degli sposi che non consenta dilazione, anche nel caso di grave necessità morale, la cui esistenza deve essere riconosciuta dalla competente Autorità vescovile. In questi casi, il parroco è tenuto ad informarne senza indugio l'ufficio di Stato civile.

Cura animarum in exercitu.

ART. 27. - All'esercito del Reich Germanico sarà concessa una cura d'anime esente per gli ufficiali, funzionari e militari cattolici ad esso appartenenti e rispettive famiglie.

La direzione dell'assistenza spirituale dell'esercito spetta al Vescovo militare. La sua nomina ecclesiastica sarà fatta dalla Santa Sede, dopo che Essa si sarà messa in comunicazione col Governo del Reich per la designazione, d'accordo con lui, di una persona idonea.

La nomina ecclesiastica dei parroci militari e degli altri ecclesiastici militari è fatta dal Vescovo militare, dopo aver udito la competente Autorità del Reich. Il Vescovo militare può nominare solo quegli ecclesiastici, che abbiano ottenuto dal loro Vescovo diocesano il permesso di entrare nella cura d'anime dell'esercito ed il relativo certificato d'idoneità.

Gli ecclesiastici aventi cura di anime presso l'esercito, hanno competenze parrocchiali sulle truppe e rispettive famiglie, loro affidate.

Le norme precise per l'organizzazione dell'assistenza spirituale cattolica presso l'esercito saranno emanate con Breve Apostolico.

Il regolamento della situazione dei cappellani militari in quanto funzionari dello Stato sarà fatto dal Governo del Reich.

Ministerium spirituale in hospitiis, etc.

ART. 28. - Negli ospedali, nei penitenziari e negli altri stabilimenti tenuti da enti pubblici, la Chiesa sarà ammessa, nel quadro dell'orario generale della casa, a provvedere ai bisogni spirituali delle anime ed a compiervi le funzioni religiose. Se in tali istituti viene stabilita una regolare assistenza spirituale e se a tale scopo verranno assunti ecclesiastici, come impiegati dello Stato o comunque pubblici, ciò sarà fatto d'accordo con l'Autorità ecclesiastica superiore.

Usus propriae linguae a minoribus globis ethnicis non germanicis.

ART. 29. - I cattolici residenti nel Reich Germanico ed appartenenti a minoranze etniche non tedesche avranno, riguardo all'ammissione della loro lingua materna nel culto, nell'insegnamento religioso e nelle associazioni ecclesiastiche, un trattamento non meno favorevole di quello che corrisponde alla condizione di diritto e di fatto dei cittadini di origine e di lingua tedesca nel territorio del rispettivo Stato estero.

Oratio pro « Reich » et populo germanico.

ART. 30. - Nelle domeniche e nelle feste di precetto, nelle chiese cattedrali, come pure in quelle parrocchiali, filiali e conventuali del Reich Germanico si reciterà alla fine del servizio religioso principale, in conformità con le prescrizioni della Sacra Liturgia, una preghiera per la prosperità del Reich e del popolo germanico.

Consociationes religiosae et mixtae.

ART. 31. - Le organizzazioni e associazioni cattoliche, che abbiano scopi esclusivamente religiosi, culturali e caritativi e che come tali dipendano dall'Autorità ecclesiastica, saranno protette nelle loro istituzioni e nella loro attività.

Le organizzazioni cattoliche, che, oltre quelli religiosi, culturali e caritativi, hanno pure altri scopi, fra i quali anche i sociali o i professionali, godranno, senza pregiudizio della loro eventuale inserzione nelle unioni dello Stato, della protezione, di cui all'art. 31 capov. 1, in quanto diano garanzia di svolgere la loro attività fuori di ogni partito politico.

De faciendo earum elencho.

Il catalogo delle organizzazioni e associazioni, che cadono sotto le disposizioni di questo articolo, verrà fatto d'accordo fra il Governo del Reich e l'Episcopato tedesco.

Officia religiosa et moralia catholicorum qui pertinent ad circulos officiales.

In quanto vi siano organizzazioni giovanili — sportive od altre — sostenute dal Reich e dagli Stati particolari, si avrà cura che ai loro membri sia reso possibile il regolare adempimento dei loro doveri religiosi nelle domeniche e negli altri giorni festivi e non siano obbligati a fare cose non compatibili con le loro convinzioni e coi loro doveri religiosi e morali.

Exclusio ecclesiasticorum et religiosorum a partibus politicis.

ART. 32. - A causa delle attuali particolari circostanze della Germania, e in considerazione delle garanzie, create dalle disposizioni del presente Concordato, di una legislazione che salvaguardi i diritti e le libertà della Chiesa Cattolica nel Reich e nei suoi Stati, la Santa Sede emanerà disposizioni, le quali escludano per gli ecclesiastici ed i religiosi l'appartenenza a partiti politici e la loro attività a favore dei medesimi.

Ad alias res normae iuris canonici valent pro personis et negotiis ecclesiasticis.

ART. 33. - Le materie, relative a persone e cose ecclesiastiche, delle quali non si è trattato negli articoli precedenti, saranno regolate nel campo ecclesiastico secondo il diritto canonico vigente.

Dubia de interpretatione, amice solvenda.

Se in avvenire sorgesse qualche divergenza sull'interpretazione o sull'applicazione di una disposizione del presente Concordato, la Santa Sede ed il Reich Germanico procederanno di comune intelligenza ad una amichevole soluzione.

Authentia duplicis textus. Proxime habebuntur rati. Dies a quo vigebit concordia.

ART. 34. - Il presente Concordato, il cui testo tedesco e italiano fanno medesima fede, dovrà essere ratificato e gli istrumenti della ratifica dovranno essere scambiati quanto prima. Esso entrerà in vigore il giorno dello scambio di detti istrumenti.

[Subscriptiones

In fede di che i Plenipotenziari hanno firmato il presente Concordato.

Dies (20 iulii 1933).

Fatto in doppio originale.

Città del Vaticano, 20 Luglio 1933.

L. ✠ S. EUGENIO Cardinale PACELLI

L. ✠ S. FRANZ VON PAPEN

Protocollo finale

Complentes declarationes.

Al momento di procedere alla firma del Concordato oggi conchiuso fra la Santa Sede ed il Reich Germanico i sottoscritti Plenipotenziari, dovutamente autorizzati, hanno fatto le seguenti concordi dichiarazioni, che formano parte integrante del Concordato medesimo.

Addita

Nuntius Apostolicus est decanus corporis Legatorum.

All' art. 3. Il Nunzio Apostolico presso il Reich Germanico è, in conformità colle Note scambiate fra la Nunziatura Apostolica in Berlino e il Ministero degli Esteri in data dell'11 e del 27 marzo 1930, il decano del Corpo Diplomatico ivi accreditato.

All'art. 13. Si è d'accordo che il diritto della Chiesa di riscuotere tasse rimane garantito.

Ius percipiendi tributa.

All'art. 14 capov. 2 n. 2. Si è d'accordo che se esistono obiezioni di natura politica generale, dovranno essere comunicate nel più breve tempo possibile. Se nessuna dichiarazione del genere verrà presentata nel termine di venti giorni, la Santa Sede avrà il diritto ritenere che contro il candidato non esistono tali obiezioni. Fino alla pubblicazione della nomina sarà mantenuto il più stretto segreto sulla persona in questione.

Quomodo obiectiones politicae movendae sint.

Questo capoverso non importa un diritto di veto da parte dello Stato.

Nullum ius « vetandi ».

All'art. 17. Gli edifici ed i fondi dello Stato, destinati a scopi della Chiesa, sono ad essi lasciati come finora, salvo i contratti eventualmente esistenti.

De aedificiis et pecuniis Status, nunc addictis destinationibus ecclesiasticis.

All'art. 19 periodo 2. La regola fondamentale è costituita, al momento della stipulazione del Concordato, specialmente dalla Costituzione Apostolica « Deus scientiarum Dominus » del 24 maggio 1931 e dalla Istruzione del 7 luglio 1932.

Norma ex C. Deus scientiarum, *et Instr. 7 iul. 1932.*

All'art. 20. I Convitti, soggetti alla direzione della Chiesa, presso alte scuole e ginnasi saranno riconosciuti, per quanto riguarda le tasse, come istituzioni essenziali della Chiesa in senso proprio e come parti costitutive dell'organizzazione diocesana.

Qualitas convictuum quos Ecclesia regit.

All'art. 24. Qualora col nuovo ordinamento delle scuole magistrali istituti privati posseggano i requisiti generalmente richiesti dallo Stato per la formazione di maestri e di maestre, si avrà nell'ammissione dei medesimi conveniente riguardo anche ad istituti esistenti degli Ordini e delle Congregazioni religiose.

Instituta religiosa non exclusa a conformandis magistris.

All'art. 26. Si verifica una grave necessità morale, quando difficoltà insormontabili, o che non si possono rimuovere senza eccessivo incomodo, impediscono di poter produrre a tempo debito i documenti necessari alla celebrazione del matrimonio.

Necessitate morali premuntur sponsi qui necessaria documenta civilia tempestive colligere nequeunt.

All'art. 27. capov. 1. Gli ufficiali, impiegati e soldati cattolici, e le loro famiglie, non appartengono alle parrocchie locali e non sono tenuti alle rispettive contribuzioni.

Exemptio praefectorum militarium, inferiorum et militum cum familia, a tributis localibus.

Capov. 4. Il Breve apostolico sarà emanato, dopo aver udito il Governo del Reich.

Brevis Apostolici promulgatio.

All'Art. 28. Nei casi urgenti deve permettersi all'ecclesiastico l'ingresso in qualsiasi momento.

In casu urgenti patet accessus ministri catholici.

All'Art. 29. Essendosi il Governo del Reich dimostrato pronto ad accettare tale disposizione favorevole per le minoranze non tedesche, la Santa Sede dichiara che, a conferma dei principii

Sollicitudo de minoribus glo-

bis germanicis extra Germaniam, quod ad linguam.

da Lei sempre difesi circa il diritto alla lingua materna nella cura delle anime, nell' istruzione religiosa e nella vita delle organizzazioni cattoliche, procurerà, in occasione della stipulazione di future Convenzioni concordatarie con altri Stati, di fare inserire in esse una eguale disposizione per la tutela dei diritti delle minoranze tedesche.

Extensio ad impositum laborem.

All'Art. 31. capov. 4. I principii fissati all'articolo 31 capov. 4 valgono anche per l'organizzazione del lavoro obbligatorio.

Cautio de excludenda actione politica a coetibus cultus non catholici.

All'Art. 32. Resta inteso che saranno simultaneamente prese dal Governo del Reich, a riguardo delle confessioni non cattoliche, eguali disposizioni circa l'attività politica nei partiti.

Non coartatur libertas tradendi dogmata et praecepta moralia Ecclesiae.

Il contegno, di cui, in esecuzione dell'articolo 32, si farà obbligo ai sacerdoti ed ai religiosi, non significa limitazione di alcuna sorta nell'insegnare e spiegare pubblicamente, come è loro dovere, le dottrine e le massime della Chiesa, non solo dommatiche, ma anche morali.

Dies (20 iul. 1933).

Città del Vaticano, 20 Luglio 1933.

N. B. *Sollemnis haec Conventio est 10 Septembris rata habita in Palatio Vaticano.*

L. ✠ S. EUGENIO CARDINALE PACELLI

L. ✠ S. FRANZ VON PAPEN

---

54. — S. Cong. De Seminariis et studiorum Universitatibus

Decretum 1 Sept. 1933

CANONICE ERIGITUR ROMAE PENES PONT. ATHENAEUM URBANIANUM INSTITUTUM MISSIONALE SCIENTIFICUM CUM IURE GRADUS CONFERENDI.

(A. A. S. 2 oct. 1933, XXV, 445).

Orator.

Ut sacrorum alumni, quos Dominus ad Evangelium inter Gentes praedicandum advocet, in omnibus disciplinis, tum sacris cum profanis, quae Missionariis opus sint, erudiantur,

Postulatum ratione stipatum.

E.mus D. Cardinalis Praefectus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide suppliciter postulavit ut Institutum Missionale Scientificum, penes Pontificium Athenaeum Urbanianum nuperrime conditum, canonica erectione rite donaretur, facta eidem

in perpetuum potestate gradus academicos conferendi. Summus Pontifex Pius Pp. XI feliciter regnans, referente infrascripto Cardinali Sacrae huius Congregationis Praefecto, petitionem benevolenti animo excepit eidemque satisfieri iussit.

Benevolus Pontificis assensus.

Quapropter haec Sacra Congregatio praesenti decreto Institutum Missionale Scientificum apud Pontificium Athenaeum Urbanianum canonice erigit atque erectum declarat cum iure gradus academicos conferendi secundum Statuta ab hoc Sacro Dicasterio approbata. Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Canonica erectio.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Callisti, die 1ª Septembris 1933.

Dies (1 sept. 1933).

C. Card. BISLETI, *Praefectus.*

L. ✠ S. E. RUFFINI, *Secretarius*

---

55. — S. Congr. de Seminariis et studiorum Universitatibus.

Decretum 17 maii 1933.

ANTONIANUM ATHENAEUM O. F. M. CANONICE ERIGITUR.

(A. A. S. 3 nov. 1933, XXV, 476).

Fr. Bonaventura Marrani, Minister generalis Ordinis Fratrum Minorum, qui inter primos Constitutioni Apostolicae « Deus scientiarum Dominus » d. d. XXIV Maii a. MDCCCCXXXI pleno corde adhaeserat, expostulavit ut Athenaeum Antonianum de Urbe, nova sede ad domum Ordinis principem nuper auctum, quod veluti altiorum studiorum coenaculum docendique Institutum pro minoritis alumnis selectis undique confluentibus iamdudum exstat, omnibus studiis suis ad laudatae Constitutionis Apostolicae praescripta omnino accommodatis, canonice erigatur cum iure conferendi gradus academicos — nempe Baccalaureatum, Licentiatum, Doctoratum — in sacra Theologia, in lure canonico et in Philosophia, solum tamen et exclusive alumnis Ordinis Minorum.

Orator.

Postulatum erectionis canonicae ad gradus exclusive alumnis Ord. Minorum conferendos.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa XI, infrascripto Cardinali Sacrae huius Congregationis Praefecto referente, omnibus rei adiunctis probe exploratis matureque perpensis, precibus perlibenter annuit.

SS. D. perlibenter annuit.

Itaque haec eadem Sacra Congregatio, auctoritate a Sanc-

Canonica erectio.

tissimo Domino Nostro Papa sibi facta, Athenaeum Antonianum de Urbe pro Ordinis Minorum Franciscanorum alumnis praesenti decreto canonice erigit et erectum declarat cum tribus optatis Facultatibus, servatis adamussim Statutis ab hac Sacra Congregatione approbatis. Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Clausula.

Datum ex aedibus Sancti Callisti, die XVII Maii, in Festo Sancti Paschalis Baylon, anno MDCCCCXXXIII.

Dies (17 maii 1933).

C. Card. BISLETI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

E. RUFFINI, *Secretarius.*

---

56. — S. Cong. de Propaganda Fide.

Responsum 28 iul. 1932

DE USU ET ADMINISTRATIONE ELEEMOSYNARUM PER UNIONEM MISSIONARIAM FRANCISCANAM COLLECTARUM.

(Ex « Apostolicum » 1933, p. 186).

Responsum istud iam dedimus supra p. 162. Sed pauca verba exciderunt quae significationem tollunt. Quare, pro rei momento, mendum hic corrigere visum est. Itaque:

Corrigitur mendum.

Ad finem § 4 sic legi debet ultima sententia:

« Quae vero ab Ordine in subsidium Missionis dantur, eo ipso missionis bonum fiunt ».

Exciderunt igitur haec verba: « dantur, eo ipso ».

---

57. — S. C. de Prop. Fide

Responsiones 18 maii et 7 nov. 1932

DE CALENDARIO IN MISSIONIBUS (1)

De mandato S. Congregationis de Propaganda Fide publici iuris fit responsum ab eodem S. Dicasterio traditum cuidam Superiori Religioso dubium proponenti circa usum Calendarii pro Missionibus.

---

(1) Ex Ephem. *Sacerdos in Sinis,* aug. 1933.

Documento de quo infra S. Congregatio respondere intendit aliis quoque dubiis quoad eiusdem Calendarii usum propositis, omnesque Superiores Religiosos Ordinum vel Congregationum seu Societatum in Sinis laborantium monet ut sese conformare velint ad practicam observantiam praescriptionum quae circa Calendarium in Missionibus datae fuerunt per Rescriptum N. 1672/32 diei 18 Maii 1932, ab Apostolica Delegatione per epistolam N. 503/32 diei 6 Iunii 1932 (1) omnibus Rev.mis Sinarum Ordinariis Superioribusque Religiosis communicatum.

Auditor delegationis apostolicae

HILDEBRANDUS ANTONIUTTI

Dubium

Dubium.

Narcissus Alonso, Superior Regularis S. I. in Vicariatu Apostolico de Anking (Anhwei), humiliter petit ut S. Congregatio velit solutionem dare sequenti dubio: « Nuper accepi epistolam Delegàtionis Apostolicae diei 6 Iunii 1932 (N. 503/32), quam transcriptam mitto; aliunde adest responsum diei 23 Martii 1929, quod transcriptum itidem includo. — Dubium mihi est an sit contradictio in secundo quaesito Delegationis Apostolicae, scilicet:

« 2 — Utrum Missionarii Religiosi qui, ad Officium recitandum, proprium sequuntur calendarium, possint celebrare Missam, in calendario sui Instituti signatam, etiam in ecclesiis (Vicariatus vel Praefecturae) quae de iure non pertinent ad eorundem Ordinem vel Congregationem; an e contra ipsi quoque debeant in his ecclesiis missam celebrare quae signatur in calendario proprio Missionis in qua commorantur?

Resp.

R). *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam* ».

Resp. datum R. P. Rutten memoratur.

Et in primo quaesito a P. Ioseph Rutten proposito, scilicet:

« In locis autem Missionum, quae certo cuidam Instituto missionali sunt concredita, ecclesiae erectae sunt quasi paroeciales vel stationis missionalis nondum in quasi paroeciam erectae, quibus missionarius, ex eodem Instituto religioso, tamquam rector praeest:

Quaesitum.

« Quaeritur utrum ecclesiae quasi paroeciales vel stationis missionalis nondum in quasi paroeciam erectae, aestimentur

(1) Cfr Collectanea C. S. pag. 657/8; *Per.*, XXI, 248; XXII, 30*. 133*.

Congregationi concreditae, an personae privatae tantum: ideoque utrum in istis ecclesiis calendarium Congregationis sit sequendum an Vicariatus Apostolici?

Responsum. R). « Et Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, omnibus perpensis, ita respondendum censuit: Adhibeatur calendarium Congregationis religiosae proprium donec hierarchia ecclesiastica ibi fuerit instituta ».

Siquidem dubium esse potest an ecclesiae Vicariatus considerentur de iure ad Ordinem pertinentes, utpote concreditae, an non ita considerentur etsi concreditae.

Nos hucusque adhibebamus calendarium Congregationis religiosae proprium, utpote hierarchia ecclesiastica nondum constituta et quia Missio de Anking est Societati Iesu concredita.

Novum quaesitum. Quaero quomodo considerentur et quod calendarium sequendum ».

Responsio 7 nov. 1932 ex litteris Excell. Secretarii.

Responsio S Congregationis de Propaganda Fide

Patri Narcisso Alonso, Superiori Regulari Societatis Iesu in Vicariatu Apost. de Anking.

(Prot. 3984/32 — sub dat. 7 Novembris 1932). « Epistolam a P. T. huic Sacrae Congregationi missam circa usum calendarii Congregationis Religiosae recepi, et modo tuae petitioni satisfacere satago.

Varia acta memorantur. « Velim in primis recolas haec verba quae leguntur in Litteris Encyclicis *Rerum Ecclesiae*: — « Ordines et Congregationes meminerint, se territoria missionum non iure quodam proprio ac perpetuo accepisse, sed ad Apostolicae Sedis nutum habere... quae quotiescumque necessarium vel opportunius utiliusque duxerit territoria missionum cum de altera in alteram sodalitatem transferre, tum iterum iterumque partiri, et clero indigenae aliisve sodalitatibus novos vicariatus ac praefecturas committere neutiquam cunctabitur ».

« Item quae continentur in Litteris Encyclicis *Maximum Illud*, quaeque in Primo Concilio Sinensi, Decr. 643, referuntur: « Qui vero Ordinibus Institutisve religiosorum praesunt exteras colentibus missiones..., cum missionarios suos cognoverint in aliquo populo ab impura superstitione ad christianam sapientiam traducendo feliciter esse versatos, ecclesiamque ibi satis firme

fundasse, eos, ut electos milites Christi, ad aliam gentem ex diaboli manibus eripiendam transferant, et quidquid ab illis iam quaesitum Christo sit, aliis, cultura promovendum in melius, haud inviti relinquant. Quo pacto, optimam facientes tamquam messem animarum, uberrima quoque suis familiis divinae bonitatis munera acquirent ».

Stadium missionis est transitorium.

« Haec retuli ut plene constet — quod de cetero Tibi iam plane persuasum est — Sanctam Sedem considerare stadium in quo religiosae familiae in aliquo territorio missionis adlaborant utpote mere transitorium, quia finis ad quem tendit totus labor religiosorum missionariorum est fundatio ecclesiae localis sacerdotibus indigenis concredendae.

« Sequitur proinde ecclesias alicuius Vicariatus de iure ad Ordinem non pertinere sed Vicariatui ipsi, qui serius ocius hierarchiae indigenae transibit.

Suadenda erectio conventuum pro religiosis.

« Propterea Sancta Sedes suadet in locis missionum erectionem domorum et conventuum proprie dictorum pro religiosis, quia hae domus etiam quando Vicariatus a clero indigena dirigendus suscipietur, manebunt ibi, atque auxilium pretiosum presbyteris indigenis ferent. Istae domus et ecclesiae adnexae vere de iure ad Ordinem pertinent, ibique licebit uti calendario Ordinis, non vero in aliis ecclesiis Vicariatus.

Quomodo resp. 18 maii 1932

« Haec est mens, qua ducta Sacra haec Congregatio (Sacra Rituum Congregatione approbante) die 18 mensis Maii huius anni 1932, Delegationi Apostolicae in Sinis responsum misit quod Tu refers.

componatur cum resp. S. Rituum Cong.

« Nulla vero oritur difficultas si S. Rituum Congregatio, in particularibus adiunctis, veluti in responsione a Te relata, quam dedit Rev. Patri Rutten, omnibus peculiaribus adiunctis in casu occurrentibus perpensis, facultates latiores concedendas esse putaverit.

« Cupit enim S. hoc Dicasterium, quod etiam in parvis adiunctis eluceat conceptus fundamentalis omnis actionis missionalis, nempe necessitas maturandi fundationem hierarchiae stabilis indigenae in territoriis missionum.

Qualitas missionarii praevalet prae qualitate religiosi.

« Iterum mens est S. huius Congregationis quod inter duos characteres quibus religiosus missionarius insignitur, scilicet religiosi et missionarii, iste ultimus (absque sane prioris detrimento) emineat et praevaleat. Nam ministerium missionale per quod « pro Christo legatione fungimini » novum, idemque conspicuum, lumen professioni religiosae addit.

Responsum.

« Propterea Tuo dubio respondere praestat hoc modo, nempe: » In Missis celebrandis sequimini calendarium Ordinis in ecclesiis cui adiacet verus conventus, ita ut omnes functiones celebrentur a Patribus conventus, et ab ipsa communitate: in ceteris vero sequimini calendarium Vicariatus.

« Ita iam Sacra haec Congregatio respondit recenter Vicario Apostolico de Bac-Ninh ».

. . . . . .

† Carolus Salotti
Archieppus Tit. Philippop.
Secretarius S. C.

Annotatio

Responsis istis finis, ni fallimur, imponitur controversiis de calendario de quibus cfr *Periodica* XXII, 30* ss. et 133* ss.

Observes declaratione S. C. de Propaganda Fide confirmari modum componendi inter se bina responsa *S. C. Rit.* et *S. C. de Prop. Fide* quem supra, p. 30* ss. proposuimuus.

---

58. — S. Paenitentiaria Apostolica (Off. de indulg.)

Declaratio 20 sept. 1933 (ex aud. SS.i)

DE CLAUSULIS « VISITANDI ECCLESIAM VEL ORATORIUM » ET « PRECANDI AD MENTEM SUMMI PONTIFICIS ».

(A. A. S. 2 oct. 1933, XXV, 44 b)

Declaratio

Controversiae, quae declarationi locum dederunt.

Disputantibus nec in eandem sententiam convenientibus viris doctis circa sensum ac vim clausularum « visitandi ecclesiam aut oratorium publicum vel (pro legitime utentibus) semipublicum » et « precandi ad mentem Summi Pontificis », quae indulgentiarum concessionis non raro addi solent, SS.mus D. N. Pius divina Providentia PP. XI, ad instantiam infra scripti Cardinalis Paenitentiarii Maioris, in audientiis, die 16 Iunii ac die 8 Iulii c. a. eidem impertitis, ad omnem in posterum dubieta-

tem anxietatemque auferendam benigne declarare dignatus est, per visitationem ecclesiae vel (ut supra) oratorii, intelligi « accessum ad hoc vel ad illam saltem cum intentione quadam generali seu implicita honorandi Deum in se vel in Sanctis suis, aliqua adhibita prece, et quidem prece praescripta, si aliqua imposita fuit ab indulgentiae largitore, vel aliqua qualibet sive orali sive etiam mentali pro cuiusque pietate ac devotione »; clausulae vero « precandi ad mentem Summi Pontificis » plane satisfieri adiiciendo ceteris operibus praescriptis recitationem ad eam mentem unius, ut aiunt, *Pater, Ave* et *Gloria* relicta tamen libertate singulis fidelibus, ad normam can. 934 § 1, quamlibet aliam orationem recitandi iuxta uniuscuiusque pietatem aut devotionem erga Romanum Pontificem.

Audientia 16 iun. et 8 iul. Declaratio de visitatione Ecclesiae

de prece ad mentem Pontificis.

Datum Romae, ex Sacra Paenitentiaria Apostolica, die 20 Septembris 1933.

Dies (20 sept. 1933).

L. Card. LAURI,
Paenitentiarius Maior.

L. ✠ S.

I. TEODORI,
Secretarius.

ANNOTATIONES

Declaratio authentica quae nobis per S. Paenitentiariam promulgatur ut valde benefica a nobis excipienda est. De indulgentiis enim S. Pontifex perspicue definire dignatus est bina puncta quae diuturnis et periculosis controversiis obnoxia erant. *Periculosis* inquam, non quod ignoranti vel erranti morale detrimentum timendum sit, sed quod error etiam non imputabilis pretiosum indulgentiarum fructum tollit, si leges praescriptas ut condiciones non fuerint ad amussim observatae. Sic, v. g. de Litaniis, S. Paenitentiaria, 21 iul. 1919 respondit indulgentiis earum recitationi coniunctis frustrari fidelem qui, in initio litaniarum, omiserit *Kyrie eleison* quod post *Christe eleison* addendum est. (A. A. S., XII, 18; vel *Per.*, X, 245. 246)

Binae autem quaestiones nunc autoritative solvuntur. In utraque autem, ut liquet e prima sententia De-

clarationis, agitur, non de opere principali cui indulgentiae conexae sunt, sed de superaddita condicione secundaria. Frequentissime enim, praeter opus aliquod principale, ut est communio, praescribitur visitatio cuiuspiam ecclesiae vel oratorii publici vel semipublici, vel oratio ad mentem S. Pontificis. Inde quaeritur:

I. Quid opus est ut visitatio ecclesiae (vel oratorii) peracta censeatur? Ac respondit SS. Pater sufficere accessum qui ex intentione saltem implicita dici queat pius, cum aliqua prece sive orali, sive etiam mentali, nisi definita oratio sit praescripta. Qui casus est indulgentiae toties quoties ecclesiam visitantibus concessae: namque tunc taxative praescribitur recitatio sex Pater, sex Ave et sex Gloria Patri. (Cfr Resp. *S. Paenitentiariae* 13 ian. 1930. A. A. S., XXII, 43 vel *Per.* XIX, p. 219). Visitat igitur templum qui illud ingreditur ad confitendum, ad recipienda vel ministranda sacramenta, ad ornandum altare, immo ad quidpiam reficiendum, dummodo aliquam precem addat.

II. Quid vel quantum orandum est, cum oratio ad mentem S. Pontificis praescribitur? Ac benignus Pater declaravit plane clausulae satis fieri recitando semel, Pater, Ave, Gloria, ita tamen ut quaelibet alia oratio, pro cuiusque pietate vel devotione erga Pontificem surrogari possit. Quia tamen observanda dicitur norma can. 934, §1, substituta oratio debet saltem ex parte esse vocalis. Canone enim pure mentalis excluditur.

A. VERMEERSCH S. I.

S. Paenitentiaria Apostolica (Officium de indulgentiis).

Decreta 24 iul. et 25 sept. 1933

Variae indulgentiarum largitiones.

59. — NOVIS INDULGENTIIS DITANTUR PIUM XL HORARUM EXERCITIUM FREQUENTANTES.

(A. A. S., 1 sept. 1933, XXV, 381).

DECRETUM

Commemoratis miris fructibus collectis ex invecto sub initium saec. XVI more adorandae publice per XL. Horas expositae SS. Eucharistiae,

Invecto feliciter sub initium saeculi XVI piissimo more Sacrae Eucharistiae e sublimi throno in triduum per XL circiter continuas horas publice adorandae, satis verbis significari nequit, quot et quanta ex tam praecellenti divini cultus exercitio caelestia charismata cuncto christiano populo obvenerint. Nec mirum: haud enim dubitandum erat, quin accedentes tam proxime ad fontes Salvatoris, salutares ex eis aquas superabundanter hausturi forent.

SS. D., de cultu SS. Sacramenti tam bene meritus, cupiens ut XL Horarum exercitium praecipue ad reparationem dirigatur, etiam pro expositione ad instar *indulgentias augere voluit.*

Haec animo penitus reputans, Ss.mus D. N. Pius divina Providentia Pp. XI, adeo de cultu erga augustissimum divini amoris Sacramentum praeclare meritus (ut plures in eundem finem iam latae ordinationes luculenter testantur), et vehementissimo flagrans desiderio, ut hoc ipsum XL Horarum exercitium praecipue dirigatur ad iniurias huic almo Sacramento a perditis hominibus illatas, quantum fieri possit, reparandas, secum ipse adnexas a Decessoribus suis huic pientissimae praxi indulgentias augere et amplificare constituit. Idque nedum pro expositione XL Horarum proprie dicta, ad normam Clementinae ad rem datae Instructionis, sed etiam pro expositione, quam dicunt, *ad instar,* ad normam decreti *Augetur,* Sacrae Congregationis S. Officii sub die 22 Ianuarii 1914.

Intendit potissimum ut visitantes numero crescant qui dignae satisfactionis officium exhibere studeant.

In huiusmodi indulgentiarum augmento eadem Sanctitas Sua id in primis prae oculis habuit, ut piorum visitantium numerus succrescat, qui tantae caritatis memores, Sacratissimo Cordi Iesu, tot peccatis vulnerato, exoptatum solamen praestent dignaeque satisfactionis officium exhibere studeant.

Quare die 16 iun. 1933, confirmatis superioribus conces-

In exsecutionem igitur sui huius propositi idem Ss.mus Dominus Noster, in audientia infra scripto Cardinali Maiori Paenitentiario die 16 Iunii anni currentis impertita, confirmatis

sionibus, indulgentiam plenariam semel in die, singulis expositionis diebus lucrandam, iis qui ss. Eucharistiam visitaverint et recitaverint quinque Pater, Ave et Gloria, et semel Pater, Ave et Gloria ad mentem S. Pontificis, largitur.

Qui saltem corde contrito SS. Sacram. visitaverint, indulg. partialem 15 annorum, toties quoties expositione durante lucrari queunt.

Dies (24 Iul. 1933).

omnibus et singulis praecedentibus ad rem concessionibus cum relativis praescriptionibus, extensionibus et declarationibus huic Decreto non repugnantibus, impertitas antea indulgentias ita extendere atque augere dignatus est, ut qui, confessi ac sacra Synaxi refecti, in posterum divinam Eucharistiam publice adorationi, modo quo supra, sive in forma proprie dicta XL Horarum sive in forma (quam vocant) *ad instar,* solemniter expositam visitaverint ad normam Brevis Ap. *Litteris Nostris,* scilicet recitando quinque *Pater, Ave* et *Gloria* addita quoque unius *Pater, Ave* et *Gloria* ad mentem Summi Pontificis recitatione, consequi valeant *Indulgentiam plenariam* semel in die, singulis expositionis diebus; qui autem saltem corde contrito eandem visitationem peregerint, *Indulgentiam partialem quindecim annorum* toties quoties, expositione durante, lucrari queant. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione et contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus S. Paenitentiariae, die 24 Iulii 1933.

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S. I. TEODORI, *Secretarius.*

ANNOTATIO

1. Indulgentiae cum expositae in forma XL Horarum SS. Eucharistiae, tum expositioni dictae *ad instar,* ad normam decreti *Augetur* conceduntur. Decretum istud datum est, regnante PIO Pp. X, 22 ian. 1914, per S. C. S. *Officii,* cui tunc sectio de indulgentiis erat annexa, et prodiit in *Acta Ap. Sedis,* 24 feb. 1914, VI, 74 et in *Per.,* VII, 258. Forma *ad instar* haec est, ut expositio fiat per tres continuos dies, prima die ab hora aliqua matutina aut circa meridiem ad vesperam; secunda die a mane ad vesperam; tertia die, a mane ad meridiem aut horam vespertinam (1).

2. Hae porro sunt indulgentiae: *a)* Confessi (nisi propter usum quasi cotidianum communicandi vel propter confessionem bis in mense factam ab hac con-

(1) Ex annotationibus R. P. I. PAUWELS S. I. in decretum *Augetur* (*Per.*, VII, 258). Haec forma decreto *Augetur* ad consequenda privilegia et indulgentias permittitur ubi forma XL Horarum, iudice Ordinario loci, servari nequit.

dicione eximantur) et S. Synaxi refecti, consequi possunt, singulis expositionis diebus, *semel in die* indulgentiam plenariam, recitando in visitanda sic exposita SS. Eucharistia, quinque *Pater, Ave* et *Gloria,* addito semel *Pater, Ave* et *Gloria* ad mentem S. Pontificis; qui saltem contrito corde eandem visitationem peregerint, partialem quindecim annorum *toties quoties.*

A. VERMEERSCH S. I.

---

60. — II. INDULGENTIA PLENARIA IIS CONCEDITUR QUI SOLLEMNIBUS PROCESSIONIBUS EUCHARISTICIS PIE INTERSUNT

(A. A. S., 3. nov. 1933, XXV, 478)

Laus et fructus Processionum.

In sacris ritibus, qui catholicam fidem refovendam maximopere conferunt, illae profecto annumerantur pompae, quae vulgo « processiones » vocantur, dummodo eaedem non modo ad liturgiae normas, sed intento etiam pioque animo ducantur.

Maxime si populari pietati ipse Rex gloriae sive per templorum saepta, sive per vias publicas proponitur.

Quas inter procul dubio « processiones » excellunt, in quibus non sacra vel Sanctorum caelitum, vel Deiparae Virginis vel D. N. Iesu Christi reliquiae aut simulacra populari pietati proponantur, sed ipsemet Rex gloriae vere, realiter ac substantialiter ineffabili modo eucharisticis velis delitescens; sive per templorum saepta, sive per vias public fiant, ut fidelium multitudo, pio desiderio flagrans, suas deferre possit adorationes ac preces, sive denique ad infirmorum domos sollemniter procedant, ut eis caeleste pabulum ac levamentum in aegritudine, qua afficiuntur, in suaeque vitae discrimine afferant.

Ad haec propensus SS. D.

Iamvero Ss.mus D. N. Pius Pp. XI die 8 mensis Iulii c. a., in audientia infra scripto Cardinali Paenitentiario Maiori concessa, ad « processiones » huiusmodi ac praesertim ad sollemniores, quae aptius valent fidei caritatisque sensus, Sacro Iesu Christi Cordi pergratos, in christifidelibus excitare, animum curamque suam convertit.

Sicut auxit indulgentias piae adorationis XL Horarum, ita indul-

Ac quemadmodum recens iis omnibus, qui, servatis servandis, pium exercitium XL horarum participant, novas indulgentias dilargitus est, (1) ita in praesens, ut fidelium pietas

(1) Cfr Acta Ap. Sed. vol. XXV, pag. 381.

gentiis ditare vult qui eucharisticas processiones participant.

in Augustum Sracamentum, ad sacrae liturgiae normas triumphali pompa ductum, magis magisque revirescat, eiusque cultus adaugeatur, idem Summus Pontifex hoc in perpetuum concedere dignatus est: eos scilicet, qui confessi ac sacra Synaxi refecti, « eucharisticis processionibus », sive introrsum in sacris aedibus, sive publice ductis intersint, atque ad mentem Suam de more precentur, indulgentiam plenariam lucrari posse.

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Dies (25 sept. 1933).

Datum Romae, ex Aedibus eiusdem S. Paenitentiariae, die 25 Septembris 1933.

L. Card. Lauri, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S.

I. Teodori, *Secretarius.*

Annotatio

Indulgentia plenaria conceditur iis qui *eucharisticae* processioni sive intra sive extra ecclesiam celebratae intersunt, sed requiruntur praeterea suetae condiciones: confessio (nisi quis hac condicione eximatur ut modo supra dictum est), communio et oratio ad mentem S. Pontificis. Huic condicioni satisfit recitando semel *Pater, Ave, Gloria.*

A. Vermeersch S. I.

---

61. — III. invocatio beatae mariae virgini indulgentiis ditatur

(A. A. S., 2 oct. 1933, XXV, 447)

Aud. SS.

Ssmus D. N. Pius div. Prov. Pp. XI, in audientia infra scripto Cardinali Paenitentiario Maiori die 21 Iulii c. a. concessa, omnibus christifidelibus benigne largiri dignatus *indulgentiam partialem trecentorum dierum* toties lucrandam quoties invocationem *Maria, Mater gratiae, Mater misericordiae, Tu nos ab hoste protege et mortis hora suscipe* saltem corde contrito recitaverint et *plenariam* suetis conditionibus semel in mense acquirendam, si quotidie per integrum mensem eandem reci-

Indulgentia partialis.

Invocatio praescripta.

tationem persolverint. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione et contrariis quibuslibet non obstantibus.

Plenaria suetis condicionibus, praeter cotidianam per mensem recitationem.

Datum Romae, ex Aedibus S. Paenitentiariae, die 25 Septembris 1933.

Dies (25 sept. 1933).

L. Card. LAURI. *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S.

I. TEODORI, *Secretarius.*

---

62. — Commissio Pontificia de Re Biblica.

Responsa rata habita in aud. S.i 1 iul. 1933.

DE FALSA DUORUM TEXTUUM BIBLICORUM INTERPRETATIONE

(A. A. S., 10 aug. 1933, XXV, 344)

Propositis sequentibus dubiis Pontificia Commissio de Re Biblica ita respondendum decrevit:

I. De Ps. XV, 10. 11.

I. Utrum viro catholico fas sit, maxime data interpretatione authentica Principum Apostolorum (Act. II, 24. 33; XIII, 35. 37), verba Psalmi XV, 10. 11: « Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitae », sic interpretari quasi auctor sacer non sit locutus de resurrectione Domini Nostri Iesu Christi?

Resp. Negative.

Resp.

II. De S. Matth. XVI, 26.

II. Utrum, asserere liceat verba Iesu Christi quae leguntur apud S. Matthaeum, XVI, 26: « Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? », et pariter ea quae habentur apud S. Lucam, IX, 25: « Quid enim proficit homo si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat et detrimentum sui faciat? », sensu litterali non respicere aeternam salutem animae, sed solum vitam temporalem hominis, non obstantibus ipsorum verborum tenore eorumque contextu, necnon unanimi interpretatione catholica?

Resp. Negative.

Resp.

Die autem 1 Iulii 1933, in audientia infrascripto R.mo Consultori ab Actis benigne concessa, SS.mus Dominus Noster Pius Pp. XI praedicta responsa rata habuit et publici iuris fieri mandavit.

Approbatio SS.

IOANNES BAPTISTA FREY, C. S. Sp.
Consultor ab Actis.

[61. 62]

63. — Pont. Commissio de Cod. interpretando.

Responsa 17 iul. 1933

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

(A. A. S. 10 aug. 1933, XXV, 345)

E.mi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula :

I. De authenticandis reliquiis.

I. — DE SACRARUM RELIQUIARUM AUTHENTICITATE

I. An Vicarius generalis, ad normam canonis 1283 § 2, speciali mandato Episcopi indigeat ad authenticandam partem sacrae reliquiae ex authentica extractam.

II. An Vicarius generalis, vi canonis 1285 § 1, sine speciali mandato Episcopi novum authenticitatis documentum tradere vel sacrae reliquiae novum sigillum apponere possit.

R. Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Negative.*

II. De accusatione matrimonii.

II. — DE MATRIMONII ACCUSATIONE

I. An, ad normam canonis 1971 § 1 n. 1, habilis sit ad accusandum matrimonium coniux, qui metum aut coactionem passus sit.

II. An, ad normam eiusdem canonis 1971 § 1 n. 1, habilis sit ad accusandum matrimonium etiam coniux, qui fuerit causa culpabilis sive impedimenti sive nullitatis matrimonii.

III. An causa impedimenti honesta et licita a coniuge apposita obstet quominus coniux ipse habilis sit ad accusandum matrimonium, ad normam canonis 1971 § 1 n. 1.

IV. An, vi canonis 1971 § 2, promotor iustitiae vi muneris sui agat in iudicio.

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Negative.*

Ad IV. *Affirmative.*

Dies (17 iul. 1933).

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 17 mensis Iulii anno 1933.

P. Card. GASPARRI, *Praeses.*

L. ✠ S.

I. BRUNO, *Secretarius.*

ANNOTATIONES

I. De iure accusandi matrimonium satis fuse iam egit R. P. CAPPELLO, in *Per.*, XVI, 228 ss; eiusque placita confirmata sunt, cum resp. ad V Pont. Commiss. 12 mart. 1929 (*Per.* XVIII, 176 ss.), tum praesenti declaratione.

Memoranda quoque est resp. *Pont. Commiss.*, 17 febr. 1930 ad VI, qua declaratum est, coniuges qui iure accusandi excluduntur ius tamen servare, nullitatem matrimonii denuntiandi Ordinario vel Promotori iustitiae (*Per.*, XIX, 267).

II. Canone 1971, § 1, haec norma generalis posita est: « Habiles ad accusandum (matrimonium) sunt: 1. Coniuges, in omnibus causis separationis et nullitatis, nisi ipsi fuerint impedimenti causa; 2. Promotor iustitiae in impedimentis natura sua publicis. - § 2. Reliqui omnes, etsi consanguinei, non habent ius matrimonium accusandi, sed tantummodo nullitatem matrimonii Ordinario vel Promotori iustitiae denuntiandi ».

Hac norma prae oculis habita, satis prono alveo, tamquam aequae eius applicationes, fluunt responsa Pont. Commissionis.

1. Qui metum aut coactionem passus sit, ipse impedimenti causa esse dici nequit. Quare ius accusandi ei merito primo responso agnoscitur.

2. Contra, qui culpanda est causa impedimenti matrimonii, tale ius non habet, cum canon expresse excludat eum qui impedimenti causa fuerit.

Huic autem Pont. Commissio aequiperat eum qui culpanda fuerit causa nullitatis.

Quaeres fortasse quo pacto nullitatis causa esse possit, qui simul sit causa impedimenti?

Resp. Id esse poterit, v. g. ille qui *ficte* tantum in matrimonium externe consenserit.

Porro observes a Pontificia Commissione sic esse responsum de eo solo qui *culpando* modo fuerit impedimenti causa.

III. Quare Pont. Commissio ad III ius accusandi addicit coniugi qui honestam et licitam causam apposuerit impedimenti. Quo responso temperant sententiam magis absolutam Codicis, qui omnem coniugem cui impedimentum ascribendum erat simpliciler excludere videtur.

Temperamentum hoc apponimus etiam ei qui causa fuerit *nullitatis* sine peccato. V. G. ficte consentire interdum licet. Quare, qui honeste fictionem adhibuerit, intactum ius servat accusandi.

Huiusmodi temperamentum esse ad mentem Codicis inde efficitur, quod exclusio a iure accusandi habeat quidpiam poenale quod, si in innocentem caderet, videretur parum congruens.

IV. Vis quarti quaesiti melius ex ista declaratione perspicitur. Quaeritur enim num, recepta denuntiatione, promotor iustitiae matrimonium accusare possit propter impedimentum occultum quod ipsi fuerit denuntiatum, quamvis § 2 eius ius accusandi ad impedimenta natura sua publica restrinxerit.

Quod affirmandum est. Resp. enim 17 febr. 1930 ad VI (Per. XIX, 267) coniuges qui accusare prohibentur minime prohibentur impedimentum vel nullitatem denuntiare. Ut autem id utiliter fiat, debet promotor iustitiae pro conscientia officii sui partes accusatoris assumere posse. Hic est sensus responsi ad IV.

N. B. Etsi denuntiatio sive Ordinario sive promotori iustitiae fieri potest, solus tamen promotor iustitiae matrimonium accusare poterit.

64. — Excell. Nuntius Hispaniae

Litterae 1. aug. 1933 ad Ordinarios Hispaniae

Suppressio tribunalis Rotae Hispanae (1)

Adiuncta infausta Rotae.

Difficilis condicio cui ex violato regimine concordatario, et absoluta matrimonii saecularizatione, cui Ecclesia Catholica in Hispania obnoxia est, secum affert ex parte Status, contemptum Supremi Tribunalis Rotae: saeculare, extraordinarium atque unicum privilegium, ex benignitate Sanctae Sedis concessum.

Hinc suppressio.

Perspectis his circumstantiis, quae simul ad nihilum fere reduxerunt materiam et operam Supremi tribunalis, Sancta Sedis, etsi vehementer reluctans, propter sincerum et multis argumentis probatum amorem erga catholicam Hispaniam, statuere cogitur ut regimen appellationis in causis ecclesiasticis, ad iuris communis vias in Hispania redeat. Consequenter desinit officium praedicti Tribunalis Rotae Hispaniae, quod ab hac die, novas appellationes non suscipiet; pendentes autem ad finem, intra annum Forma ab hac Nuntiatura opportune determinanda, perducere et absolvere debet.

Laudantur Rotales; privilegiaque et honores ad vitae finem servant.

Dum hoc Sanctae Sedis statutum dolenter E. V. communico, meum esse puto, eius nomine, maximam laudem gloriosae historiae Tribunalis Rotae Hispaniae tribuere, eiusdemque membris, ob assiduum sapientemque laborem gratias amplissimas agere; propensa autem Sanctae Sedis voluntate, omnibus dignitatibus, honoribus praeeminentiis et privilegiis quibus hactenus utebantur, ad finem vitae frui, benigne ipsis conceditur.

Annotationes.

1. Exstingitur igitur saeculare Nuntiaturae apostolicae Hispaniae privilegium; primo initio saeculi XVI concessum, et methodice demum ordinatum auctoritate Clementis XIV anno 1771. Constituit Tribunal *appellationis:* non ergo poterat causas in *prima instantia*

(1) Ex Eph. « Sal Terrae » 1933, pag. 1007, ex Hispanica lingua latine conversum.

suscipere; *supremum*, quatenus ab ipsius sententiis appellatio ad aliud tribunal non admittebatur, salvo, ut patet, iure omnium fidelium recurrendi ad Sanctam Sedem, canone 1569 § 1 expressum. Quo fiebat ut causae omnes absolverentur in Hispania, sine appellatione ad tribunal Rotae Romanae. Potestas civilis plenum valorem agnoscebat quod ad omnes effectus, decisionibus Rotae.

2. Causa autem suspensionis affertur ab Exmo. Nuntio: violatio regiminis concordatarii ex parte Gubernii novae Hispaniae reipublicae, ex una parte; ex altera vero, lex de matrimonio civili, qua omnis vis aufertur Tribunali Rotae in foro civili; quod necessario secum affert imminutionem causarum matrimonialium, quae maxime constituebant tribunalis provinciam.

3. Quia vero sperare licet condicionem praesentem in Hispania, non esse multum duraturam, instaurato regimine concordatario, spes quoque affulget Hispanicam Nuntiaturam non diu absque iudiciali ista potestate esse mansuram.

Hoc bonum maxime inde consequitur, quod causae omnes matrimoniales, etiam circa effectus civiles decentius et sanctius ab hoc tribunali quam a civili tractantur. Fideles autem Hispaniae, qui tenaciter matrimonio civili repugnant, praemium suae constantiae habebunt si, renovato concordatario regimine, agnitis iuribus Ecclesiae, omnia quae ad sacramentum matrimonii pertinent, coram solis Ecclesiae ministris cum effectibus plenis in foro civili, absolvere poterunt.

V. LOPEZ S. I.

ACTA SUMMATIM RELATA

65. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Sollemnis canonizatio B. Andreae Fournier.

A. In sacra Pentecostes die 4 iun. 1933, SS. D. N. sollemnem canonizationem peregit B. ANDREAE FOURNIER, sacerdotis saecularis, qui, dum, exeunte saec. XVIII, atrox procella divina humanaque iura in Gallis evertebat, impavidus omnes veri apostoli partes assumpsit ac religiosam etiam condidit sanctimonialium familiam quae a Cruce vel a S. Andrea nomen habet.

Instans postulatio.

Pro more Cardinalis Praefectus S. Rituum Congregationis per advocatum Consistorialem *instanter* canonizationem postulavit. Secretarius litterarum ad Principes postulationi nomime S. Suae respondit, S. Pontificem propensa voluntate supremos honores S. Andreae exoptare, verum cupere ut prius ab omnibus astantibus supplices preces fiant ad Deum, adhibito patrocinio B. M. V., S. Ioseph, SS. Apost. Petri et Pauli, totiusque Curiae caelestis.

Instantior.

Canuntur Sanctorum litaniae. Tum, ad iteratam *instantius* postulationem, respondetur nomine Pontificis adhuc paulisper supersedendum esse et omnes astantes moneri ut instantius Spiritus Paracliti lumina sibi impetrant. Praecinente SS. D.o nostro cantatur hymnus *Veni Creator* cum congrua oratione. Fit tertia *instantissima* postulatio. Cui respondetur sollemne momentum advenisse, omnesque moneri ut assurgant, dum inerrans B. Petri oraculum, in successore suo viventis sub amplissimo Tholo intonabit.

Instantissima.

Decretum et Definitio.

Tum, in cathedra sedens, SS. D. B. Andream *Sanctum* esse decernit et definit, eiusque memoriam iubet in universa Ecclesia eius die natali, 13 maii esse recolendam.

Missa et Homilia.

Celebratur Missa Papalis, post cuius Evangelium S. Pontifex Homiliam pronuntiat (*A. A. S.*, XXV, 288).

Nova paroecia Regina Pacis in regione Monteverde (Roma).

B. Bulla *Iam pridem*, 25 mart. 1932, ob tam auctum Almae Urbis incolarum numerum, et ad maiora gregi spiritualia subsidia procuranda, a S. Mariae trans Tiberim et S. Francisci pa-

roeciis territorium seiungitur ac separatur; atque ex eo nova et distincta paroecia, e Beatissima Maria Virgine *Regina Pacis* appellanda atque curis cleri saecularis ad iuris normam committenda, in regione quam vulgo *Monteverde* nuncupant, erigitur et constituitur (*A. A. S.*, XXV, 293).

Em. Capotosti litteris 25 annos episcopatus gratulantibus honestatur.

C. Epistola 25 mai. 1933, S. Pontifex E.mo Card. Aloisio Capotosti, Sanctitatis suae Pro-Datario, XXV appetente natali episcopatus eius gratulatur eumque laudibus honorat (*A. A. S.*, XXV, 312).

Regimen temporale et spirituale Basilicae S. Antonii Patavensis.

D. Bulla *Iam annus*, 13 iun. 1933, S. Pontifex Basilicae Patavensis, normas administrationis *cum in spiritualibus, tum in temporalibus* auctoritate sua constituit. A iurisdictione Ordinarii Patavini in omnibus exempta, directo subicitur iurisdictioni S. Pontificis quam per peculiarem Delegatum Apostolicum, cui omnes *in spiritualibus et temporalibus* facultates conceduntur, ipse exercet. Exsecutor Litterarum deputatur Exc. Nuntius Apostolicus in Italia (*A. A. S.*, XXV, 325).

Recognitio et repositio in ornatiore theca reliquiarum SS. VII Fundatorum O. S. M.

E. Septimo recurrente saeculo a condito Servorum B. Mariae Virginis Ordine, omnes istius Ordinis domus stipem contulerunt ut ampliore atque ornatiore forma aedificaretur sacellum in quo asservatur urna reliquias septem SS. Fundatorum continens. Quare, pro hac tantum vice derogans Brevi 24 iul. 1888 quo sacrae exuviae sub potestate ac protectione R. Pont. et S. Sedis in perpetuum ponuntur, ita ut urnam aperire vel quidpiam ex ea detrahere nemini liceat, SS. D. Brevi *Ad Senarium Montem*, 31 iul. 1933, facultatem concedit ss. exuvias recognoscendi easque in ornatiore capsa collocandi. Ad recognitionem nomine atque auctoritate sua faciendam, SS. D. Card. Alexium Lépicier O. S. M. deputat (*A. A. S.*, XXV, 333).

F. *Litterae de Beatificandis et canonizandis servis Dei.*

Ven. Serv. Dei Maria a Sancta Euphrasia Pelletier Beata renuntiatur.

1. Brevi *Bonus Pastor*, 30 apr. 1933, Venerabilis Dei Famula Maria a Sancta Euphrasia Pelletier, monialis professa ex Ordine Dominae Nostrae a Caritate, Instituti Sororum a Bono Pastore fundatrix, Beata renuntiatur. (*A. A. S.*, XXV, 295).

Ven. Serv. Dei Vincentia Gerosa Beata renuntiatur.

2. Brevi *Mirabilis Deus*, 7 mai. 1933, Venerabilis Dei Famula Vincentia Gerosa, instituti Sororum Caritatis a Maria Infante, altera fundatrix, Beata renuntiatur. (*A. A. S.*, XXV, 360).

Ven. Serv. Dei Gemma Galgani Beata renuntiatur.

3. Brevi *Crucifixi Domini Nostri*, 14 mai. 1933, Venerabilis Dei Famula Gemma Galgani, virgo saecularis Lucensis, quae miram vitae innocentiam pari cum paenitentia sociavit et im-

pensissimo famulatu Iesum Crucifixum prosecuta est, Beata renuntiatur. (*A. A. S.*, XXV, 363).

Ven. Serv. Dei Iosephus Pignatelli Beatus renuntiatur.

4. Brevi *Ardore inexplebili*, 21 mai. 1933, Venerabilis Dei Servus Iosephus Maria Pignatelli, presbyter professus Societatis Iesu, Beatus renuntiatur. (A. A. S., XXV, 304).

Ven. Serv. Dei Catharina Labouré Beata renuntiatur.

5. Brevi *Horti conclusi*, 28 mai. 1933, Venerabilis Dei Famula Catharina Labouré, quae Puellarum Caritatis in S. Vincentii a Paulo Societate humillimis muneribus functa, usque ad mortem, licet pluribus charismatibus donata, voluntarie abscondita in Deo atque occulta permansit, Beata renuntiatur. (*A. A. S.*, XXV, 367).

B. A. Hubertus Fournet Sanctorum fastis accensetur.

6. Bulla *Inclita Pictavorum Ecclesia*, 4 iun. 1933, B. ANDREAE HUBERTO FOURNET, qui in salutiferae Crucis mysterium pietatis aestu flagrans, tot tantisque honoribus redemptionis humanae signum omni ope exaltare studuit et ipsa sanctimonialium a se conditam familiam a Cruce nuncupari voluit, Sanctorum honores decernuntur. (*A. A. S.*, XXV, 417).

G. *Litterae de Dioecesibus.*

Dioeces. Zamboangen. dismembratio et novae dioec. Cagayan. erectio.

1. Bulla *Zamboangen.*, 20 ian. 1933, dioecesis Zamboangensis in Philippinis insulis bifariam dividitur et ad partem ad occidentem meridiemque spectantem coartatur. Pars vero septemtrionalis ab ipsa dioecesi seiungitur et ea in novam ac distinctam dioecesim, Cagayanam nuncupatam, erigitur. (*A. A. S.*, XXV 360).

Nov. dioec. de Bomfim erectio.

2. Bulla *Ad aptius Christifidelium*, 6 apr. 1933, ab archidioecesi S. Salvatoris in Brasilia, territorii pars distrahitur et nova erigitur dioecesis quae ab urbe *Bomfim* in qua sedes episcopalis statuta est *de Bomfim* appellatur. (*A. A. S.*, XXV, 429).

Nov. dioec. de Bacolod erectio.

3. Bulla *Iaren. et Caebuan.*, 15 iul. 1933, a dioecesi Iarensi, insula vulgo *Negros* distrahitur, item a Nominis Iesu seu Caebuna dioecesi insula Siqujior avellitur. Ex territoriis ab iisdem dioecesibus dismembratis nova erigitur dioecesis et *de Bacolod* nuncupatur. (*A. A. S.* XXV, 357).

Paroeciae ex nonnullis dioecesibus aliis traductae in Italia.

H. Bulla *Quo Christi fideles*, 10 febr. 1933 SS. D. aliquot paroecias dioecesium Gurcensis et Labacensis has dismembrando aggregat dioecesibus Utinensi, Goritiensi et Tergestinae. (*A. A. S.*, XXV, 456)

Erectio paroeciae S. Franc. Xaver. in Urbe, Garbatella.

I. Bulla *Quod omnes* 1 mai. 1933, SS. D. in Urbis regione vulgo « Garbatella » novam S. Francisci Xaverii paroeciam erigit, eamque clero saeculari addicit. (*A. A. S.*, XXV, 458).

S. Consistorii 16 oct. 1933 secreti acta.

K. *Consistorii secreti*, 16 oct. 1933 acta ex ordine referuntur I. Perula sacri Collegii a SS. D. traditur Card. Achilli Locatelli Camerario S. Collegii pro hoc anno. II. Allocutio S. Pontificis suffragia exquirit de canonizatione B. Mariae Soubirous et B. Antidae Thouret, praemissa brevi relatione Card. Laurenti. III. Brevis relatio. IV. Card. Gasparri Henricus optat Ecclesiam suburbicariam Veliternam, de qua eum Pontifex providet. V. Provisio Ecclesiarum. VI. Confirmatio non nullarum electionum in ecclesia Orientali factarum. VII. Card. H. Gasparri praestat iuramentum et quaedam pallia postulantur. In *Consistorio publico* 18 oct. 1933, instantia facta est pro canonizatione. SS. D. per praelatum Baccii propensam voluntatem significat, sed sententiam suam reservat donec in Consistorio semi publico omnes praesentes Cardinales, Episcopi mentem suam aperuerint. (*A. A. S.*, XXV, 449).

In Consistorio publico 18 oct. instantia facta est pro canonizatione. SS. D. sent. reservat donec in consistorio semipublico omnes praesentes Card. Episcopi mentem suam aperuerint (A. A. S., XXV, 449).

66. — S. C. Consistorialis.

I.

Fines dioecesium Treviren. et Limburgen. mutantur.

1. Decreto 17 mart. 1933, districtus *Wetzlar*, comprehendens paroeciam Wetzlar et vicariam paroecialem *Braunfels*, a dioecesi Trevirensi, ad quam modo pertinet, dismembratur atque dioecesi Limburgensi incorporatur. (*A. A. S.*, XXV, 465).

Dioeceses Sipontina, Vestana, Troiana atque Fodiana Beneventanae eccl. assignantur.

2. Decreto 29 sept. 1933, metropolitana ecclesia Sipontina eiusque suffraganea dioecesis Vestana, itemque dioeceses atque Troiana et Fodiana a regione Apula separantur atque Beneventanae assignantur. (*A. A. S.* XXV, 466).

II.

De consistorio semip. ad exquirenda suffragia.

Decreto 20 oct. 1933, decernitur Consistorium semipublicum die *decima mensis Novembris* fieri, ad exquirenda suffragia pro canonizatione beatarum Mariae Bernardae Soubirous et Ioannae Antidae Thouret, virginum. (*A. A. S.*, XXV, 468).

III.

Monitum Praefecti Ap. Caeremoniarum.

R.mi Archiepiscopi et Episcopi qui semipublico consistorio vel sacris sollemniis pro Canonizationibus intererunt per epi-

stolam significent quo die venturi sunt et de suo quisque domicilio Caeremon. Praefectum certiorem faciant. Iidem Antistites deferant vestes laneas violaceas, etc. (*A. A. S.*, XXV, 469).

67. — S. Congregatio Orientalis

Brevior et brevissima formula unctionis infirmorum apud Coptos patriarchatus Alexandrini.

Decreto 26 iun. 1933, ad preces Excellentissimi P. Marci Khouzam, Ep. Thehani, et administatoris Ap.ci Patriarchatus Alexandrini Coptorum, S. C. Orientalis breviorem et brevissimum ordinem « Lampadis » (1) seu unctionis infirmorum, id ratum habente S. Pontifice, approbat ad commoditatem et usum sacerdotum totius Patriarchatus.

Simul sacerdotibus facultatem benedicendi Oleum, *materiam* sacramenti concessit; et declaravit pro forma sacramentali illam esse retinendam quae hactenus in usu est, quam anno 1898 synodus Alexandrina Coptorum, Cairi celebrata, adhibendam confirmavit. Latine approbatarum formularum textum praelaudatus Administrator Ap.cus coptice et arabice typis mandabit ad usum sacerdotum Patriarchatus Alexandrini (*A. A. S.* XXV, 335 ss).

68. — S. C. Rituum

Causae beatificationis et canonizationis :

B. Bernarda Soubirous.

1. *Nivernen. seu Tarbien. et Lourden.* Decretum 31 maii 1933, super miraculis in causa canonizationis B. M. Bernardae Soubirous, e Congregatione Sororum Caritatis et Institutionis christianae Nivern. (*A. A. S.*, XXV, 318).

B. Bernarda Soubirous.

2. *Nivern. seu Tarbien. et Lourden.* Decretum 2 iul. 1933, super *tuto* in causa canonizationis B M. Bernardae Soubirous, e congr. Sororum Car. et Inst. christianae « de Nevers ». (*A. A. S.*, XXV, 977).

Ven. Serv. Dei Dominicus Savio.

3. *Taurinen.* Decretum 9 iul. 1933, super virtutibus in causa Beatificationis Venerabilis Servi Dei Dominici Savio, adolescentis laici. (*A. A. S.*, XXV, 439).

B. Gemma Galgani.

4. *Lucen. in Italia.* Decretum 26 iul. 1933, reassumptionis causae canonizationis Beatae Gemmae Galgani Virginis. (*A. A. S.*, XXV, 380).

---

(1) Ordo lampadis vocatur, quia penes aegrotum lampas olei olivarum cum septem ellychniis collocatur. Possunt tamen in locum lampadis olei cum septem ellychniis substitui septem candelae non accensae (in casu necessitatis una sufficere potest.

Beata Ioanna Antida Thouret.

5. *Neapolitana seu Bisuntina,* Decretum 6 aug. 1933, super miraculis in causa Canonizationis B. Ioannae Antidae Thouret, virginis fundatricis Instituti Sororum a Caritate. (*A. A. S.*, XXV, 422).

B. Ioanna Antida Thouret.

6. *Neapolitana seu Bisuntina,* Decretum 15 aug. 1933, super dubio de *tuto* in causa Canonizationis B. Ioannae Antidae Thouret, virginis fundatricis Instituti Sororum a Caritate. (*A. A. S.*, XXV, 468).

69. — Provisio Ecclesiarum.

A. *Decretis S. Congr. Consistorialis nominati sunt:*

Villa Reale (Portogallo).

31 maii 1933, R. P. D. Antonius Valente da Fonseca, cathedrali ecclesiae Villaregalensi.

Santa Fè (U. S. A.).

2 iun. 1933, R. P. D. Rodulphus Aloysius Gerken, ecclesiae metropolitanae S. Fidei in America Sept.

Queretaro (Messico).

2 iun. 1983. R. D. Marcianus Tinajero, cathedrali ecclesiae de Queretaro.

Northampton (Inghilterra).

16 iun. 1933, R. D. Laurentius Youens, cathedrali ecclesiae Northantoniensi.

Bacolod (Is. Filippine).

23 iun. 1933, R. D. Casimirus Lladoc, cathedrali ecclesiae de Bacolod.

Helena (U. S. A.).

23 iun. 1933, R. D. Raphaël Hayes, cathedrali ecclesiae Helenensi.

Lavant (Jugoslavia).

27 iunii 1933, R. P. D. Ioannes Iosephus Tomazić, cathedrali ecclesiae Lavantinae.

Seattle (U. S. A.).

1 iul. 1933, R. C. Gerardus Shaughnessy S. M., cathedrali ecclesiae Seattlensi.

Manizales (Colombia).

3 iul. 1933, R. D. Emmanuel Gonzalez, cathedrali ecclesiae Manizalensi.

Saint Joseph (U. S. A.).

21 iul. 1933, R. D. D. Carolus Hubertus Le Blond, cathedrali ecclesiae S. Iosephi in America.

Bari (Italia).

31 iul. 1933, R. P. D. Marcellus Mimmi, metropolitanae ecclesiae Barensi.

Massa (Italia).

8 aug. 1933, R. D. Faustinus Baldini, cathedrali ecclesiae Massanae.

Todi (Italia).

10 aug. 1933, R. P. D. Alphonsus Maria De Sanctis, cathedrali ecclesiae Tudertinae.

Fiume (Italia).

10 aug. 1933, R. D. Antonius Santin, cathedrali ecclesiae Fluminensi.

Rochester (U. S. A.).

28 aug. 1933, R. P. D. Eduardus Money, cathedrali ecclesiae Roffensi.

5 sept. 1933, R. P. D. Valentinus Comellas et Santamaria, athedrali ecclesiae Celsonensi. *Solsona (Spagna).*

8 sept. 1933, Carolus Maria della Torre, metropolitanae ecclesiae Quitensi. *Quito (Equatore).*

12 sept. 1933, R. D. Iesus Villareal, cathedrali ecclesiae Tehuantepecensi. *Theuantepec (Messico).*

18 sept. 1933, R. P. D. Petrus Paschalis Franciscus Farfan, metropolitanae ecclesiae Limanae. *Lima (Perù).*

18 sept. 1933, R. P. D. Franciscus M. Franco, cathedrali ecclesiae Cremensi. *Crema (Italia).*

18 sept. 1933, R. P. D. Salvator Ballo Guercio, cathedrali ecclesiae Mazariensi. *Mazzara del Vallo (Italia).*

18 sept. 1933, Aemilius Giorgi, cathedrali ecclesiae Montis Politiani. *Montepulciano (Italia).*

B. *Decretis S. Congr. Orientalis nominati sunt:*

5 aug. 1933, R. P. D. Iacobus Nessimian, episcopali ecclesiae Alexandrinae Armenorum. *Alessandria (Egitto).*

5 aug. 1933, R. D. Aloisius Batanian, archiepiscopali ecclesiae Mardensi. *Mardin (Turchia).*

10 aug. 1933, R. P. Gregorius Hindié, archiepiscopali ecclesiae Aleppen. Armenorum. *Aleppo (Turchia).*

30 aug. 1933, R. P. Maximus Saygh, archiepiscopali ecclesiae Beryten. et Gibailen. *Beirut e Gibail (Siria).*

70. — Nominationes

A. *Brevibus Apostolicis renunciati sunt:*

23 mai. 1933, R. P. Georgius M. Iosephus Hubertus Gislenus de Jonghe d' Ardoye S. P., epis. elect. Amathunt., Vicarius Ap.cus de Yennanfu. *Yennanfu (Cina).*

23 mai. 1933, R. P. Joseph Lörks S. V. D., episc. elect. Medelit., Vicarius Ap.cus Novae Guineae Centralis. *Nuova Guinea Centrale (Melanesia).*

23 mai. 1933, R. P. D. Bartholomaeus Stanislaus Wilson, episc. Acmon., Vicarius Ap.cus Sierrae Lionis. *Sierra Leone (Africa).*

23 mai. 1933, R. P. Ludovicus Joie O. F. M. episc. design. Ceram., Coadiutor cum iure futurae successionis Episcopi Portus Victoriae. *Port Victoria (Australia).*

30 mai. 1933, R. P. Franciscus Filippini O. F. M., episc. elect. Thinis., Vicarius Ap.cus de Mogadiscio. *Mogadiscio (Africa).*

---

(1) In *Acta Ap. Sed.* mendose legitur Caeremonialis.

B. *Decretis S. C. de Prop. Fide nominati sunt:*

Kagoshima (Giappone). 5 mai. 1933, R. P. Aegidius M. Roy O. F. M., Praefectus Ap.cus de Kagoshima.

Iubbulpore (India). 29 mai. 1933, R. P. Conradus Dubbelmann O. Praem., Praefectus Ap.cus de Iubbulpore.

Bikoro (Africa Centr.). 3 iun. 1933, R. D. Felix De Kempeneer C. M., Superior eccl.cus Missionis de Bikoro.

Kodok (Africa). 8 iul. 1933, R. P. Matthaeus Michelon C. SS. C., Superior eccl.cus Missionis de Kodok.

Swaziland (Africa). 8 iul. 1933, R. P. Romualdus Migliorini O. S. M., Praefectus Ap.cus de Swaziland.

Montana (Isole Filippine). 14 iul. 1933, R. P. Octavius Vandewalle C. I. C. M., Praefectus Ap.cus de Montana.

71. — Necrologium

Angoulême (Francia). 15 mai. 1933, D. Henricus Arlet, episcopus Engolismensis.

Rochester (U. S. A.). 22 mai. 1933, D. Ioannes Franciscus O'Hern, episcopus Roffensis.

Pasto (Colombia). 23 mai. 1933, D. Hippolytus Aguledo, episcopus Pastopolitanus.

Mazzara del Vallo (Italia). 21 iun. 1934, D. Nicolaus M. Audino, episcopus Marariensis.

Pavia (Italia). 22 iun. 1933, D. Iosephus Ballerini, episcopus Papiensis.

Massa Carrara (Italia). 2 iul. 1933, D. Iosephus Bertazzoni, episcopus Massensis.

Aleppo (Turchia). 1 aug. 1933, D. Georgius Kortikian, archiepiscopus Aleppensis Armenorum.

Cajamarca (Perù). 2 aug. 1933, D. Antonius Raphael Villanueva, episcopus Caiamarcensis.

Diamantina (Brasile). 30 aug. 1933, D. Ioachinus Silverius de Sousa, archiepiscopus Adamantinus.

Berlino (Germania). 1 sept. 1933, D. Christianus Schreiber, episcopus Berolinensis.

S. Giacomo di Compostella (Spagna). 7 sept. 1933, D. Zacarias Martinez Nuñez, Archiepiscopus Compostellanus.

Cefalù (Italia). 11 sept. 1933, D. Ioannes Pulvirenti, episcopus Cephaludensis.

Roma 16 sept. E.mus D. Card. Raphael Scapinelli di Léguigno, S. S. Datarius.

Giavarino (Ungheria). 6 oct. 1933, D. Antonius Fetser, episcopus Jaurinensis.

Tegucicalpa (Honduras). 17 oct. 1933, D. Augustinus Hombach, archiepiscopus Tegucicalpensis.

Des Moines (U. S. A.). 24 oct. 1933, D. Thomas G. Drumm, episcopus Desmoinensis.

BIBLIOGRAPHIA

I. Ex Libris

Orazio Mazzella (Excell. Ep.). *La vera Chiesa e le false Chiese.* Vol. (12 × 17,5), 120 pag. Stab. Tip. Arciv., Taranto s. d. Lit. 3. (ementibus 25 exempl. prostat 1,50 Lib.).

Delle varie Chiese che si dicono vere - La vera Chiesa - Proprietà della vera Chiesa: unità, santità, cattolicità, apostolicità - La Chiesa romana - La Chiesa greco-scismatica, e la Chiesa Protestante - Il Protestantesimo non merita il nome di religione - Domande e risposte - Le obbiezioni dei Protestanti.

Orazio Mazzella (Excell. Ep.). *I Dogmi della Chiesa Cattolica ed il Protestantesimo.* (12 × 17,5), 235 pag. Stab. Tip. Arciv. Taranto, 1933. Lit. 4.

Corruzione del puro evangelo o progresso? - Bibbia o Tradizione e Bibbia? - Libero esame o Magistero della Chiesa? - La fede sola o la fede e le opere? - Sacerdozio o Gerarchia? - Primato - L'Infallibità del Papa - La presenza reale - La Messa - La Confessione - Il Purgatorio - Culto o superstizione? - La verginità di Maria V.

Enrico Pinard de La Boullaye (S. I.) - **A. Basile** (S. I.). *Gesù Figlio di Dio.* Conferenze di Nostra Signora di Parigi - Traduzione del P. A. Basile S. I. Vol. (12,5 × 20), 260 pag. Marietti, Torino-Roma, 1933. Lit. 8.

Sogno o realtà? - Le Divinizzazioni pagane e la Chiesa primitiva - La rivelazione del gran mistero - La testimonianza del discepolo prediletto - La testimonianza del Padre - Ombre e luce nella Rivelazione cristiana.

Enrico Pinard de la Boullaye (S. I.). *Le gioie del male.* Ritiro pasquale di N. S. di Parigi (1932). Traduz. del P. A. Basile S. I. Vol. (13 × 20), 122 pag. Marietti, Torino, 1933. Lit. 3,50.

Le illusioni dello spirito - Il disordine dei sensi - L'ultimo quarto d'ora - L'indomani della festa - La misericordia di Dio - Discorso alla Comunione degli uomini.

Pol Joatton (Dr.) *Essai critique sur la Théorie générale de la Responsabilité civile.* Vol. (16,5 × 25,5), 126 p. - Rousseau, Paris, 1933.

Avant-propos. - I. L'obligation morale de réparation, source première de la responsabilité civile. - II. La responsabilité du

fait de l'homme, responsabilité de droit commun. - III. La responsabilité du fait des choses et des animaux, responsabilité d'exception.

L. Guarriguet. *La Vierge Marie : Sa prédestination - Sa dignité - Ses privilèges - Son rôle - Ses vertus - Ses merites - Sa gloire - Son intercession - Son culte*. Vol. (14,5 × 23), 450 pag. Téqui, Paris, 1933. 15 fr.

Marie dans la pensée de Dieu et l'attente des peuples - Marie sur la terre - Marie au ciel.

P. Héribert Jone (Dr.). *Précis de Théologie Morale Catholique* - Traduit de l'allemand par l'Abbé Marcel Gautier. - Vol. (14,5 × 23), 430 pag. Éditions Salvator, Mulhouse, 1933.

Morale générale - Les commandements - Les sacrements - Appendice.

Benedictus H. Merkelbach. *Summa Theologiae Moralis*. Tom. III. Vol. (15,5 × 22,5), 259 pag. Desclée de Brouwer, Paris, 1933.

De sacramentis - De sacramentis in generali : De essentia sacramenti. De necessitate sacramentorum. De effectibus. - De causa. De numero - De Baptismo - De Confirmatione - De SS. Eucharistia : De sacramento externo. De corpore et sanguine Christi. De ipso sacrificio. De praeceptis pertinentibus ad sacrificium altaris - De paenitentia : De ipso paenitentiae sacramento. De effectibus paenitentiae. De ministro. De subiecto - De Extrema Unctione - De Ordine - De Matrimonio : De ipso matrimonio. De celebratione matrimonii. De impedimentis. De obligationibus coniugum.

L. Wouters (C. S. I. R.). *Manuale Theologiae Moralis*. 2 Vol. (16,5 × 25) Beyaert, Brugis, 1932. I Vol. XV-855 pag. : De principiis generalibus vitae christianae - De exercitio vitae christianae seu cultu virtutum. — II Vol. 842 pag. : De adminiculis vitae christianae seu de sacramentis - De sanctione vitae christianae seu de poenis ecclesiasticis.

Piscetta-Gennaro (S. S.). *Elementorum Theologiae Moralis Summarium* Vol. (11 × 17,5), XXXIII-820 pag. Soc. Edit. Intern. Torino, 1933.

De Theologiae Moralis fundamentis — De obligationibus seu officiis — De mediis officiis implendis aptis.

Stephanus Carton de Wiart (Dr.). *Tractatus de Peccatis et Vitiis in genere*. Vol. (14 × 22,5), 172 pag. Dessain, Mechliniae, 1932.

Maurice de Backer (R. D.). *La vie, la vivre, la rayonner.*

Vol. (12 × 19), 195 pag. Éditions de la Cité Chretienne. Bruxelles, 1933. 10,50 fr.

Introduction: l'inquiétude humaine — La vie (synthèse philosophique et dogmatique) — Vivre la vie (synthèse ascètique et mystique) — Rayonner la vie (synthèse apostolique).

*** *M'orienter, me garder, me former. Vers le Mariage et la Maternité.* Vol. (11,5 × 18), 140 pag. Dewit, Bruxelles, 1930.

Charles Grimaud (Abbé). *Non-Mariées: À celles qui s'en vont solitaires...* Vol. (12 × 19), 320 pag. Téqui, Paris 1933. 10 fr.

Futures Célibataires — Le Calvaire de la Non-Mariée — Le Thabor de la Non-Mariée.

Emmanuel Viau (R. D.) *La jeune Fille moderne et le Mariage: Préparation ou Improvisation?* Vol. (11,5 × 18,5), 176 pag. Maison Aubanel Père, Avignon, 1932.

*** *Monita Nankinensia.* 2 Vol. (11 × 16,5), Typ. Orphan. T'Ou-sè-wè, Zikawei, 1933. I Vol. VIII-1056-64* pag.: Proemium: de consecrationibus et de patronis; de ritibus Sinicis; de operis divisione — De Missionum gubernatione — De facultatibus — De Sacramentis N. L. — II Vol. IV-388-64* pag.: De Scapularibus et Confraternitatibus — Varia Documenta.

P. Timothée Richard (O. P.). *Études de Théologie Morale.* Vol. (13 × 20,5), 354 pag. Paris, Desclée de Brouwer, 1933. 20 fr.

Le plus parfait; doctrine et pratique: Le précepte. La perfection et le précepte. Le conseil, son objet. Le dynamisme du conseil. De l'obligation négative et indirecte de l'oeuvre de perfection et de conseil. De la perfection de la charité divine — De la probabilité à la certitude pratique: Theorie de la certitude morale. La vraie question; Notion du probable. Du jugement de probabilité. Du rôle de la volonté dans l'opinion. Aperçu comparatif de nos états de connaissance. Probabilisme pragmatique ou d'action.

Patrick J. Gearon (O. C. C.) *Consolazione per gli scrupolosi.* Vol. (11 × 17,5), 174 pag. Marietti, Torino, 1931. Lit. 5.

Definizione dello scrupolo — Cause — Sintomi — Cause di una condotta strana — Opinioni diverse — Rimedi — Alcuni esempi di scrupoli — Il porto della pace.

Pierre Bastien (O. S. B.) *Directoire Canonique à l'usage des Instituts a voeux simples.* Vol. (15,5 × 23,5), 590 pag. Beyaert, Bruges, 1933.

Notions préliminaires. Fondation, approbations des instituts. Gouvernement extérieur — Gouvernement intérieur — De la vie religieuse et de ses obligations.

Pierre Cotel (S. I.) - **É. Jombart** (S. I.). *Les principes de la vie religieuse ou l'explication du catéchisme des voeux.* - Sixième édition adaptée au Code de droit can. par le P. É. JOMBART S. I. Vol. (12 × 19), 280 pag. Museum Lessianum, Louvain, 1933.

Des voeux de religion en général — Des trois voeux de religion en particulier.

Lodovico Fanfani (O. P.). *Catechismo sullo Stato Religioso.* Ad uso dei Noviziati. Vol. (11 × 17, 5), VII-150 pag. Marietti, Torino 1933. Lit. 3,50.

Stephanus Sipos (Dr.). *Enchiridion Iuris Canonici.* Vol. (16 × 24), 1040 pag. Haladás R. T., Pécs, 1931.

De fontibus et normis generalibus iuris canonici - De personis: De clericis. De religiosis. De laicis - De rebus: De sacramentis et sacramentalibus. De locis et temporibus sacris. De cultu divino. De magisterio ecclesiastico. De beneficiis aliisque institutis ecclesiasticis non collegialibus. De bonis Ecclesiae temporalibus - De processibus: De iudiciis. De causis beatificationis Servorum Dei et canonizatione Beatorum. (Remissive). De modo procedendi in nonnullis expediendis negotiis et sanctionibus poenalibus applicandis - De delictis et poenis. De poenis in singula delicta.

Aemilius Funczik (Dr.). *Conspectus canonum codicis Iuris Canonici.* Vol. (10 × 16,5), 187 pag. Trnava, 1933.

Dr. J. Smulders - J. G. H. Holt - Dr. P. Heymeyer (S. I.). *Periodieke Onthouding In Het Huwelyk Metode: Ogino-Smulders.* Vol. (16 × 25), XXVII - 236 pag. Dekker et Van de Vegt, Utrecht, 1933.

De grondslagen van Ogino's methode - Normale en pathologische conceptietermin - De toepassing der periodieke Onthouding - Een oude, ingeroeste dwaling - Ovulatiepijn en aanverwante verschijnselen - Iets over den regel van Knaus - Casuistiek en enkele Beschouwingen - Indicaties voor perodieke Onthouding - Neomalthusianisme en periodieke Onthouding - Moraal - Het Doelbewust verwekken van Kroost.

René Le Picard (R. D.). *La Communauté de la vie conjugale: Obligation des époux.* Préface par E. DUTHOIT. Vol. (16,5 × 25,5) XX - 467 pag. Éditions Recueil Sirey, Paris, 1930.

Les caractères de l'obligation - La compétence à l'égard de l'obligation - Les requêtes de l'ordre public à l'égard de l'obligation - Les sanctions de l'obligation - Conclusions: L'actuel désaccord des faits et de la loi.

A. Vermeersch. (S. I.). *Katechizm Malzenstwa Chrzescijanskiego.* Vol. (13 × 19,5), 97 pag. Wojciecha, Poznan, 1932.

Wendelin Rauch. *Probleme der Eugenik im Lichte der christlichen Ethik*. Brochure. Waibel, Freiburg in Breisgau, 1933.

H. Du Passage (S. I.). *Notions de Sociologie*. Vol. (14×19,4), 243 pag. J. De Gigord, Paris, 1933.

Sociologie économique: La Production. La Circulation. la Répartition - Sociologie domestique - Sociologie politique - La Religion, l'Art et la Science au point de vue sociologique.

Eugène Duthoit. *L'Économie au service de l'homme*. Vol. (12×18,5), 247 pag. Flammarion, Paris 1932. 12 fr.

Giuseppe Piazza (Avv.). *Introduzione allo studio delle Scienze Giuridiche e Sociali*. Pref. di S. E. Dr. Renato Malinverno. Vol. (13×19), 118 pag. Signorelli, Milano, 1931. Lit. 5.

Edward F. Angluin (O. S. B.). *The use and control of alcohol drink*. Vol. (15×23), 136 pag. The catholic University of America, Washington D. C. 1933.

The use of alcohol - The abuse of alcohol - Special question concerning the abuse of drink - Individual control - The control of alcohol drink by organized society.

Jacques Maritain. *Éléments de Philosophie*. Tom. II L'Ordre des concepts: Petite logique. Vol. (14×23), XI-345 pag. Téqui, Paris 1933. 20 fr.

Le concept et la première opération de l'esprit - La proposition et la seconde opération de l'esprit - Le raisonnement.

C. M. De Heredia (S. I.). *Una Fuente de Energia*. Vol. (12×18,5), 375 pag. Patricio Sanz, Mexico D. F. 1932.

Analisis - Pinacoteca - Epilogo.

Yves De La Brière (S. I.). *Eglise et Paix*. Vol. (12×18,5), 280 pag. Flammarion, Paris, 1932. 12 fr.

Luigi Scremin (Dr.). *L'Unione delle chiese e il movimento « Pancristiano »*. Vol. (12×18), 31 pag. Ed. L. I. C. E., Torino, 1931.

Paul Dabin (S. I.) *L'Apostolat laïque*. Vol. (12×19), 228 pag. Bloud et Gay, Paris 1931.

Fondements scripturaires — Patristiques — L'enseignement des derniers papes — Participation — Laïcat — Hiérarchie — Apostolat — Apostolat laïque — Obligation — Direction laïque — Le mystère de l'Église et l'action catholique.

J. E. Goerg. *Eheleben und natürliche Geburtenregelung*. Mit 42 tabellen über die unfruchtbaren Tage der Frau. Vol. (15,5×22,5) 240 pag. Adolf Ott, Prag, 1033.

Ueber den Geschlechtstrieb — Die Ehe — Die Geburtenregelung — Die natürlichen Vorgänge im Körper der Frau — Die Vermeidung der Schwangerschaft durch zeitweise Enthal-

tung — Kurzer Ueberblick über die einschlägige wissenschaftliche Forschungstätigkeit — Empfängnisvermeidung und Moral — Soziale Bedeutung der natürlichen Geburtenregelung — Empfängnisvermeidung und Geburtenrückgang.

Léo Hlynk (Dr.) *Bohoslovia : De potestate episcoporum necnon praerogativis metropolitanae potestatis in bona ecclesiae temporalia in Oriente novem primis saeculis (Dissertatio canonico-historica).* XI Vol. (17,5 × 25), 88 pag. Leopoli, 1933.

E. Magnin (Prof.). *L'État : conception païenne, conception chretienne.* Vol. (12 × 19), 160 pag. Bloud et Gay, Parigi, 1931.

Avant l'Encyclique *Immortale Dei* — L'Encyclique et les tendances de l'époque — Lendemains d'Encyclique.

A. Roul (Dr.). *L'Eglise Catholique et le Droit Commun.* Vol. (14 × 18,5), 542 pag. Éditions Doctrine et Vérité, Paris, 1931.

Analyse historique et logique de la formule du Droit commun : Trois dates. Le Droit nouveau. Le Droit commun. La formule du Droit commun au service des catholiques. Des persécuteurs — Un problème — Examen de la thèse du Droit commun : Jugement sommaire sur le Droit nouveau. Sur la thèse générale du Droit commun. La thèse du Droit commun appliquée à l'Église. Appliquée aux divers degrés de la hiérarchie ecclesiastique — Examen de l'hypothèse du Droit commun : Quelques vérités préliminaires bonnes à rappeler. Un État catholique peut-il TOLÉRER le droit commun. Les Catholiques peuvent-ils USER du Droit commun qu'une loi INJUSTE prétend leur concéder. Peuvent-ils DEMANDER le Droit commun. Un argument en definitive inefficace.

Antonino D'Alia. *Popoli e Paesi nella storia dell' umanità : Saggio di scienza politica.* Vol. (17,5 × 25,5), XI-710 pag. Treves, Roma, 1932. Lit. 50.

Elementi di carattere generale — Popoli e Paesi — Saggio di scienza politica.

Giovanni Semeria (Barn.). *I miei quattro Papi : Benedetto XV.* II Vol. (13 × 19,5), 201 pag. Scuola tip. Orfan. Masch. di Guerra, Amatrice, 1932. Lit. 12.

Henri Morice (Ch.). *La vie mystique de Saint Paul : L'ascète, l'apôtre, l'homme.* II Vol. (12 × 19), 264 pag. Téqui, Paris 1933. 10 fr.

Gustave Bardy (Abbé) *Origène.* Vol. (12 × 18,5), 312 pag. J. Gabalda et fils, Paris, 1931. 20 fr.

Les principes — La vie et les vertus chrétiennes — Vers la vie parfaite.

Paul Archambault. *Saint François de Sales.* Vol. (12 × 18,5), 317 pag. J. Gabalda et fils, Paris, 1930. 20 fr.

Les principes — Les vertus — Les moyens.

Giovanni Tamburelli (Sac.). *Alessandro Mazzucchi : Profilo di un piccolo inserviente, santo, di Gesù Sacramentato.* Vol. (12 × 18,5), 175 pag. Scuola tip. Casa Div. Provvidenza, Como, 1933. Lit. 4.

Armand de Ponlevoy (S. I.). *Actes de la captivité et de la mort des RR. PP. S. I. Olivaint, Ducoudray, Coubert, Clerc, De Bengy.* Vol. (12 × 19), 340 pag. Téqui, Paris, 1933. 10 fr.

Notices biographiques - Les préliminaires - Les arrestations - La Conciergerie - Mazas - La Roquette et les exécutions - Le Mont-Parnasse. — *Invention et déposition des corps.* — L'église du Jésus. *Translation dans la chapelle des Martyrs* - Oraison funèbre des R. R. P. P.

Guéranger (O. S. B.). *Sainte Cécile et la Société Romaine aux deux Siecles.* 2 Vol. (12 × 19) Téqui, Paris, 1933. Vol. I, 378 pag. 12 fr.: Destinée du patriciat romain - Saint Pierre à Rome - La Gentilité dans l'Église - Saint Paul à Rome - Persécution de Néron - Martyre des Apôtres - Saint Clément - Rome chrétienne sous Domitien - Trajan et Hadrien - Paix d'Antonin - L'Église et Marc Aurèle - Les Caecilii. — Vol. II, 446 pag. 12 fr.: Les fresques des catacombes - Les Valerii - Les Noces et la conversion - Les deux frères - Le martyre - Fin des Antonins - Le cimetière de Calliste - Le culte de sainte Cécile - Moyen age - Triomphe de Cécile - Les adversaires - La victoire.

**** Morte et Vivante. La Mère de Soubiran à Notre-Dame de Charité.* Vol. (12 × 19), III-196 pag. Editions Spes, Paris, 1933.

Luigi Cornaggia Medici (Mons.). *Il Conflitto dopo la Conciliazione.* Lettera aperta al Sen. Vincenzo Morello. Vol. (15 × 21), 62 pag. Ed. Buona Stampa, Roma, 1932. Lit. 3.

Georges Legrand (Prof.). *L'organisation Corporative de l'État.* Brochure.)13 × 18) Éd. Pensée Cathol. Liège, 1933.

R. Riche (Dr.). *Catholicisme et Socialisme.* Vol. (13 × 17,5), 125 pag. Éditions La Pensée Cathol. Liège, 1932.

En face de la question religieuse - Du mariage et de la famille - De l'État - Du patriotisme, de la cooperation et de la pacification internationales - Du problème économique - De l'organisation ouvrière - Les conceptions socialistes radicales.

R. Riche. *Pour la paix scolaire.* Vol. (12,5 × 18,5), 106 pag. Éditions de la Pensée Catholique, Liège - Paris, 1933.

Principes qui dominent la question scolaire - La question scolaire en Belgique - Nos adversaires et la question scolaire.

Feige (Mons.). *Noblesse oblige*: *La Grâce Sanctifiante.* Vol. (9 × 14), 132 pag. Téqui, Paris, 1933. 3 fr.

Qu'est-ce que la grâce sanctifiante? - Nos devoirs envers la grâce sanctifiante.

P. Feige (Mons.) *Ange et Apôtre : La Piété et le Zèle.* Vol. (12 × 19), 478 pag. Téqui, Paris, 1933. 10 fr.

Alessandro Adami (Sac.). *Note d'arte.* Vol. (16 × 23,5), 40 pag. Tip. del Seminario, Padova 1933. Lit. 3.

Arte e Liturgia, Clero, Moda - L'arte e i diritti di Dio - Arte e Progresso, Popolo, Immortalità, Apostolato - Tutti artisti - Arte e Santità - Vita dell'artista, sua missione - Semplicità, Natura e Industria - L'arte e la Chiesa - Arte e Sacerdozio - Arte e suo ultimo fine - Moniti di S. S. Pio XI - Arte e Libertà.

A. C. De Schrevel (Dr.) - **A. Legrand** (Dr.) — *Florilegium seu fasciculus Precum et Indulgentiarum.* — Editio tertia. Vol. (9,5 × 16), XII - 473 pag. Desclée de Brouwer, Brugis-Flandorum, 1933.

Varia de Indulgentiis — Exercitia pietatis et misericordiae sacerdotalis — Opera pia et piae associationes — Formulae variae — Appendix pro dioecesi Brugensi.

P. Lescoeur. *Les deux Vies en face de la Mort : Courtes Méditations pour la Retraite du Mois et Penseés diverses.* Vol. (12 × 19), 269 pag. Téqui, Paris, 1933. 10 fr.

G. Joannès. *La Vie de l'Au-delà dans la Vision béatifique.* Vol. (13,5 × 20), 173 pag. Téqui, Paris, 1932. 9 fr.

Le dogme — La grâce sanctifiante — Nature de la Vision béatifique — La Béatitude — Prérogatives Joies accidentelles — L'acheminement — La grande transformation de l'éternité.

G. Joannes. *Deux Ames vers les cimes: Histoire vécue.* Vol. (12 × 18,5), VIII-227 pag. P. Téqui, Paris, 1934. 10 fr.

Jacques Dorval et le problème de la destinée — L'entrée dans la lumière — La rencontre, l'intimité — L'épreuve — Le couronnement.

*** *L'Ascension d'une Ame : Yvonne (1914-1929) - Souvenirs d'une Maman.* Préface de Mons. Le Roy. Vol. (12 × 19), IX-168 pag. Téqui, Paris, 1933. 10 fr.

L'Enfance - La Muse d'Yvonne - Adolescence - Vocation - Va... fille de Dieu - En Savoie - L'Accident - Rayonne et sers.

II. Ex Periodicis

The Clergy Review 1933. — C. MARTINDALE (S. J.). The « Under-Mind » of Boys.

Collectanea Mechliniensia 1933. — E. CARTON DE WIART. Moralia de consuetudine. — P. GILLET. De divisione personarum physicarum iuxta aetatem.

Il Diritto Ecclesiastico 1933. — MARIO GORINO. Il privilegio paolino nel diritto canonico e nel diritto concordatario. — A. CICCHITTI. Chiesa e Stato nelle Colonie italiane dal 1894 al 1930. - Nuove considerazioni sull'applicabilità degli Atti lateranensi nelle Colonie italiane. — W. D'AVANZO. Le formalità proceduali e l'accertamento della « causa ammessa nel codice civile » secondo l'art. 22 della legge 27 maggio 1929, n. 843.

Ephemerides Liturgicae 1933. - I. M. HANSSENS. Le texte du *Liber officialis* d'Amalaire - A. RAES. Le consentement matrimonial dans les rites orientaux (*continuatio*).

Gregorianum 1933. — S. TROMP. Disputationes S. Roberti Bellarmini de praedestinatione. — J. DE GHELLINCK. Diffusion, utilisation et transmission des écrits patristiques. — B. LEEMING. A note on a reading in Tertullian's de Baptismo. « Credo quia non credunt ». — DE ALDAMA J. El Simbolo « Clemens Trinitas » Notas para su texto y su historia. — BRUGGER W. De Sebastiano Basso Occasionalismo praeludente. — PELSTER J. Die Quaestionen des Alexander von Hales. — LEDIT J. Les légendes slaves des SS. Cyrille et Méthode. (a propos d'un livre). — VAN LAAK H. Disceptationes quaedam circa « Controversias » S. Roberti Bellarmini. — Conspectus bibliografici.

Monitore Ecclesiastico 1933. - DARMANIN (O. P.). La comunione agli infermi non digiuni. — *** Dei delitti e delle pene nel foro ecclesiastico.

Perfice Munus 1933. — ROSSI (Sac.). L'Istituto del Matrimonio in Italia dopo il Concordato.

Palestra del Clero 1933. — P. VITO (Sac. Avv.). Ancora del Vicario Cooperatore. — ANASTASIO FILOCALO. Il problema demografico, gli espedienti tedeschi e la castità.

Pastor Bonus (Maerz 1933) WENDELIN RAUCH (Dr). « Erlaubte Geburtenbeschränkung » und die Scholastik.

Theologisch-praktische Quartalschrift 1933. — KARL FRUHSTORFER. Fakultative Sterilität der Frau. — JOSEF FLIEBER (Dr.). Die Trauungszeugen.

Revue Ecclésiastique de Liége 1933. — *** De conceptu creationis. — De diversa ratione Juris et Moralis.

Nouvelle Revue Theologique. – 1932. Fasc. 10. — R. P. GOREUX (S. I.) dissertatione « Une consultation de théologiens sur le problème de la moralité de la guerre » summatim attingit conclusiones de belli honestate quas theologi qui Friburgi Helvetiorum ad hanc rem tractandam convenire solent, die 19 oct. 1931 probarunt. - 1933. Fasc. I. — R. P. DOEL (S. I.) articulo « Thérapeutique des Onanistes » diversas tradit rationes agendi cum paenitentibus qui Onanismi culpam contraxerunt iuxta gradum quem ipsi in ordine ad se excogitato tenent. — J. CREUSEN (S. I.). Le voeu du plus parfait.

Nederlandsche Katholieke Stemmen 1933. — H. H. Roomsche Kinderen op niet-Roomsche school. — W. MULDER (Dr.). Om het behoud van de vastenwet - De usu matrimonii na voorafgaand votum castitatis. — H. BEIJERSBERGEN (S. I.). Een huwelijksgeval. — L. BENDER (O. P.). Huwelijksgeval. — S. TROMP (S. I.). De H. Johannes Chrysostomus en het Leeken-apostolat. V.

INDEX SCRIPTORUM HUIUS VOLUMINIS

Léon Bouvier S. I., 45* ss.

F. M. Cappello S. I., *Prof. iuris can. in Pont. Univ. Gregoriana*, 101* ss.; 146* ss.; 202* ss.; 138 ss.; 144 ss.; 149 ss.; 155 ss.; 159 ss.

Mich. S. Fabregas S. I., *Prof. iuris can. in Pont. Univ. Gregoriana*, 68* ss.; 113* ss.; 191* ss.

I. Hanssens S. I., *Prof. theolog. liturg. in Pont. Univ. Gregoriana*, 173* ss.

E. Jombart S. I., *Prof. iuris can. in Coll. Theol. S. I. Angiensi*, 42*.

G. Lo Grasso S. I., *Prof. iur. can. in Pont. Univ. Gregoriana*, 171*.

Ulp. Lopez S. I., *Prof. theol. mor. in Pont. Univ. Gregoriana*, 157* ss.; 207 s.

M. Mostaza S. I., *Prof. iuris can. in Pont. Univ. Gregoriana*, 141* ss.

F. Ogara S. I., *Prof. script. sacr. et ling. hebraicae in Pont. Univ. Gregoriana*, 1* ss.

I. Pauwels S. I., *Prof. sacr. liturg. Namurci*, 133* ss.; 138* ss.; 216*.

A. Vermeersch S. I., *Prof. theol. mor. et scientiae soc. in Pont. Univ. Gregoriana*, 30*; 32*; 34* ss.; 39* ss.; 43*; 60* ss.; 96*; 99*; 108* ss.; 122* ss.; 129* ss.; 136* ss.; 156*; 165*; 168* ss.; 210* ss.; 217*; 1 ss.; 96 ss.; 104 ss.; 106 ss.; 116 ss.; 168 ss.; 197 s.; 200; 202.

Summa Dissertationum, Quaestionum et Casuum

Dissertationes.

	pag.
Amoris et curae in pauperes in primis Ecclesiae saeculis selecta aliquot testimonia	1*
I. De beneficentiae commendatione et pretio	2*
II. De modo exercendae caritatis eiusque ambitu	11*
Morale iudicium de actu imperfecto coniugis ab altero separati	45*
De Frustulo et Coenula quadragesimali	60*
I. Doctorum sententiae	60*
II. Conclusiones inde collectae	64*
III. De ipsa mentis lege	67*
Iubilaeum anni sancti 1933-1934	68*
I. Indulgentiae per impendentis anni sancti dies lucrabiles	69*
II. A. Quaenam facultates in genere suspendantur	78*
B. Facultatum amplificatio	81*
III. Facultates erga impeditos	94*
De iubilaeo varia supplementa	96*
Notandum de indulg Angelus Domini	98*
De vacatione beneficii post emissam professionem religiosam	101*
De componendo canone 1094 et 209	113*
I. *a*) Canonis 1094 origo	114*
b) Doctorum sententia	117*
c) Rationis argumenta	120*
De damnosa in materia castitatis praeteritione principii S. Thomae de delectatione.	
I. Damnosi errores vel modi dicendi	122*
II. Principium S. Thomae damnose in ratiociniis praetermissum	127*
De cooptatione haereticorum in Ecclesiam	129*
De auditione Missae festivae in Oratorio semipublico.	
I. Potestne Ordinarius loci limitare quoad aliquos fideles facultatem adimplendi praeceptum Missae in Oratoriis semipublicis sibi subiectis?	141*
II. De potestate Ordinarii loci in Oratoria semipublica religiosorum	144*
De Missa pro populo, quando festum Annuntiationis B. M. V. incidat in feriam V, VI vel sabbatum hebdomadae maioris.	146*
I. Utrum quaestio, de qua agitur, sit liturgica, an canonica	148*
II. Quaenam fuerit disciplina ante Codicem	149*
III. Num Codex disciplinam antiquam mutaverit necne	153*
IV. Quaenam doctrina tenenda?	155*
Notandum.	156*
Debitum coniugale et votum castitatis ex can. 1111.	157*
De pleniore delectationis ratione.	165*
Non nullae propriae virtutis castitatis notae.	168*
I. Duo singularia virtutis castitatis	168*
II. Castitatis pulchritudo	170*
III. Undenam gravis luxuriae malitia exoritur	170*
De instauranda in ordinibus conferendis Pontificalis Romani auctoritate	173*
De signis negativis vocationis sacerdotalis et religiosae	187*

Pag.

De componendo canone 1094 et 209 . . . . . 191*
De beneficio possesso a candidato qui religionem ingreditur 202*
I. Utrum praescriptum can. 584 applicetur etiam sodalibus iuramento vel voto obstrictis 203*
II. An beneficiarius valeat renunciare beneficio ante elapsum tempus 204*
III. An vacatio beneficii effectum sortiatur si professio religiosa invalida sit . . 205*
IV. Num beneficiarius possit beneficio renuntiare sub conditione 206*
V. Utrum canonicus post ingressum in religionem lucretur distributiones chorales . 207*
VI. Utrum indultum concedendum sit a S. C. de Religiosis an Concilii. . . . 209*

Quaesita varia.

De calendario in Missionibus 30*
Quid Ordinarius *in can. 883 C. I. C.* 32*
A quonam momento estne Professo a votis temporariis integrum religionem deserere ad normam can. 637? 34*
De Contumacia quae committendae censurae est requisita condicio. 39*
Varia Quaesita de iubilaeo
I. De absolutione censurarum 108*
II. De usu facultatum in proprium commodum 109*
III. De requisita intentione 110*
IV. De usu eiusdem confes. et commun. ad indulgentiam iubilaei et aliam lucrandam 111*
V. De operibus eadem occasione pro multiplici iubilaei acquisitione repetitis . . 112*
VI. Quotiens preces sint recitandae 112*
VII. Quaenam Fidei professio requiratur 112*
Varia Quaesita liturgica
I. De calendario in Missionibus 133*
II. De diebus quibus ordines minores conferri possunt 136*
III. De missis pro defunctis 137*
IV. De statuis tabernaculo non imponendis 138*
Quaesita Varia
I. De negotiatione clericorum 210*
II. De potestate Vicarii Generalis 211*
III. De titulo ordinationis in sacris 212*
IV. De iure parochi et iterata Viatici ministratione 213*
V. De sancto nominando in oratione « A cunctis » 216*
VI. De postulatus diuturnitate 217*

Casus.

Casus de usu dispensationis 42*
*Solutio casuum de Matrimonio qui propositi sunt t. XXI, p. 240** 43*
Casus de absolutione a censuris 44*
*Solutio casus propositi p. 44** 99*
Casus liturgicus 100*
*Solutio casus liturgici propositi p. 100** 138*
Casus de censuris 140*
*Solutio casuum de censuris, propositorum p. 140** 171*
Casus de Iustitia 172*
*Solutio casus de Iustitia propositi p. 172** 218*
Casus de Iustitia (de sic dicta dichotomia) 219*

Index analyticus Monumentorum

SS. D. N. Pius Pp. XI.

Pag.

1. Bulla *Quod nuper*, de indictione Anni Sancti extra ordinem ac generalis maximique iubilaei undevicesimo exeunte saeculo a peracta humani generis redemptione (6 ian. 1933) 1

Annotationes

I. Iubilaei indictio 6
II. Quaedam historica 6
III. Duo iubilaeorum genera 9
IV. De praesenti iubilaeo 10
V. De hoc iubilaeo eiusque condicionibus potissima notanda 11

2. Bulla *Nullo non tempore*, de i dulg. et facultatum suspensione (30 ian. 1933) . . 14
3. Bulla *Indicto a Nobis Sancto*, de facultatibus maximi iubilaei Paenitentiariis aliisque in Urbe confessariis concessis (30 ian. 1933) 18
4. Bulla *Qui umbratilem vitam*, monialibus et impeditis prospiciens (30 ian. 1933) . 24
5. Epistola *In comperto omnino*, ad R. P. Murray C. SS R. Moderatorem generalem altero pleno saeculo a condita Congregatione (18 oct. 1932) 28
17. Sacrum Consistorium de variis negotiis (13 mart. 1933) 45
Allocutio Consistorialis 46
25. Epist. enc. *Dilectissima Nobis*, de iniuxta rei catholicae condicione in Hispania (3 iun. 1933) 81
26. Bulla *Quod divina*, quacum in Patr. Basilica Ostiensi Paenitentiariorum min. Collegium in perpetuum stabiliterque conditur (3 mai. 1933) 93

Annotationes 96

27. Breve *Paterna caritas*, de Instituti Ord. Soc. Iesu, post Cod. S. C., confirmatione (12 mart. 1933) 98

Annotatio 100

28. Breve *Inter instituta*, de suppressione Ordinis S. Hieronymi Congr. B. Petri de Pisis (3 iun. 1933) 101

Annotationes 104

52. Epist. Encycl. *Dilectissima Nobis*, de iniusta rei catholicae condicione in Hispania (12 ian. 1933) 169
53. Inter S. Sedem et Germanicam Rempublicam sollemnis conventio 180

Acta summatim relata

7. A. Sermo de arte sacra 31
B. Bulla de novae Praefecturae Apost. Tumacensis in Columbia erectione . . 32
C. Bulla erectionis novarum dioecesium Iaboticaballensis et Riopretensis in Brasilia 32
D. Bulla de nova Praef. apost. de Bo'ama 32
E. Bulla de nova provincia ecclesiastica ritus Antiocheni in Malabarica regione . 32
F. Breve decernens de Magno Cancellario Pont. Univ. Gregorianae 33
G. Motu Proprio addicitur templum S. Antonii catholicis slavici ritus . . . 33
H. Litterae de Dioecesibus, Vicariatibus, Abbatiis *nullius*, Praefecturis Apostolicis et Missionibus 33

Pag.

I. Litterae de ecclesiis 38

24. Breve *Septuaginta quinque,* de gratiis Lourdes concessis occasione iubilaei 75 annorum ex quo V. Immaculata se pluries conspiciendam dedit (11 ian. 1933). 75

33. A. Inter S. Sedem et Badensem rempublicam sollemnis conventio inita 7 nov. 1932, rata habita 11 mart. 1933 117

B. Breve Abbatem prim. pro tempore O. S. B. instituens Magnum Cancellarium Coll. S. Anselmi (14 ian. 1933) 118

C. Decretum S. C. de Sem. et stud. Univ. de mandato SS. D. Colleg. S. Anselmi titulo *Pontificii* exornans (15 ian. 1933) 118

D. Breve Magistrum Gen. pro tempore O. P. Magnum Cancellarium Pont. Coll. Angelici instituens (7 mart. 1933) 119

E. Epistola ad R. P. Praep. Gen. IV exeunte saeculo ab approbatione Congr. Clericorum Reg. a S. Paulo (8 febr. 1933) 119

F. Bulla de erectione novae provinciae eccl. Goyasensis (8 nov. 1932) . . . 119

G. Litterae, praeter Bullas, de Dioecesibus, Vicariatibus, Praefecturis Apostolicis et Missionibus 119

H. Litterae de ecclesiis 121

65. A. Sollemnis Canonizatio B. Andreae Fournier 209

B. Bulla de erectione novae paroeciae, in Urbe, in regione Monteverde . . . 209

C. Epistola qua S. Pontifex Em. Card. Capotosti, XXV appetente natali episcopatus eius, gratulatur 210

D. Bulla de regimine spirituali et temporali Basilicae S. Antonii Patavensis . . 210

E. S. S. D. recognitionem reliquiarum S.S. Fundatorum O. S. M. concedit . . 210

F. Litterae de beatificandis et canonizandis servis Dei 210

G. Litterae de dioecesibus 211

H. Bulla qua aliquot paroeciae dioecesibus in Italia aggregantur 211

I. Bulla erectionis novae paroeciae in Urbe, in regione Garbatella 211

K. Acta consistorii secreti (16 oct. 1933) et publici (18 oct. 1933) 212

S. C. S. Officii.

43. Responsum de copia aquae in calice Ordinationis (11 april. 1932) 133

Annotatio. 134

44. Decretum quocum liber P. Alfaric, P. L. Couchoud, A. Bayet, cui titulus « Le problème de Jésus et les origines du Christianisme, damnatur (17 iun. 1933). . . . 134

52. Decreta opera omnia Caroli Guignebert et « Congrès d'histoire du christianisme » Jubilei Alifridi Loisy opus proscribentia (28 iun. et 12 iul. 1933). 165

53. Decretum quocum Sacerdos Prosper Alfaric excommunicatus vitandus declaratur et poena degradationis damnatur (29 iul. 1933) 166

Acta summatim relata.

8. 1. Decretum librum proscribens (15 iul. 1932) 38

2. Decretum religiosam communitatem « delle Piccole Ostie » dissolvens (29 oct. 1932) 38

34. 1. Decretum librum proscribens (27 ian. 1933) 121

2. Evulgatio decreti Consociationem religiosam supprimentis. 122

S. C Consistorialis.

Acta summatim relata.

10. Decreta dismembrationis et aggregationis (7 aug. 1931 - 22 apr. et 11 nov. 1932) . 39

35. A. Decreta erectionis, dismembrationis et aggregationis. 122

B. Designationes Ordinariorum pro appellationibus. 122

66. I. Decreta dismembrationis at aggregationis (17 mart. 1933 - 29 sept. 1933) . . 212

II. Decretum de consistorio semipublico 212

III. Monitum Praefecti Ap. Caeremoniarum 212

pag.

S. C. pro Eccl. Orientali.

67. Decretum approbationis formulae unctionis infirmorum apud Coptos Patriarchatus Alex. 213

Acta summatim relata.

9. 1. Decretum R. D. Dionysium Varrouhas praeficiens Ordinariatui pro fidelibus ritus Orient. in Turcica Europa (11 iun. 1932) 38
2. Decretum Congregationem et Constitutiones Sor. Servularum B. M. V. Immaculatae ritus graeco-rutheni approbans (27 iul. 1932) 38

S. Congr. Concilii.

45. Variae Resolutiones:
46. I. Alexandrina. Iurispatronatus (15 mart. 1930) 135
Annotationes 138
46. II. Fesulana. Iuris praesentandi (21 iun. 1930). 141
Annotationes 144
47. III. Gallipolitana. Funerum (24 maii et 15 nov. 1930) 146
Annotationes 149
48. IV. Malacitana. Vacationum et distributionum (15 nov. 1930). 153
Annotatio 155
49. V. Aversana. Matricitatis (13 iun. 1931) 155
Annotationes 159

S. Congr. de Prop. Fide.

50. Responsum de usu et administratione eleemosynarum per Unionem Missionariam Franciscanam collectarum (28 iul. 1932) 162
56. Responsum de usu et administratione eleemosynarum per Union. Missionariam Franciscanam collectarum (28 iul. 1932) 192
57. Responsiones de calendario in Missionibus (18 maii et 17 nov. 1932) 192
Annotatio 196

Acta summatim relata.

13. A. Approbatio Constitutionum 40
B. Designatio pro appellationibus 40
37. Designationes pro appellationibus 123

S. C. Rituum.

Acta summatim relata.

12. A. Decretum de festo S. Gabrielis a Virgine perdolente 39
B. Causae beatificationis et canonizationis 39-40
36. Causae beatificationis et canonizationis 122
68. Causae beatificationis et canonizationis 213

S. C. Caerimonialis.

54. De colore violaceo adhibendo (24 iun. 1933) 167

S. C. de Sem. et stud. Univ.

54. Penes Pont. Athenaeum Urbanianum institutum missionale scientificum canonice erigitur 190
55. Antonianum Athenaeum O. F. M. canonice erigitur. 191

Acta summatim relata.

38. Institutum S. Anselmi titulo Pontificii exornatur 123

Pag.

S. Paenitentiaria Apostolica.

6. Decretum de extensione indulgentiarum recitantium officium coram SS. Sacramento (7 nov. 1932) 29
18. Monita de usu facultatum confessariis per annum sanctum tributarum deque ratione indulgentiae iubilaei lucrandae (28 feb. 1933). 60
19. Facultates confessariis concessae anno vertente iubilaei (28 febr. 1933) . . . 66
20. Decretum de facultatibus exstraordinariis Palaestinae confessariis anno sancto concessis (12 ian. 1933) 70
21. Decretum quocum indulgentiae augentur pio exercitio annexae, quod feria VI ad sacri aeris pulsum perficitur in memoriam D. N. I. C. morientis (30 ian. 1933). . 71
22. Decretum de indulgentiis recitationis annexis precationis « Angelus Domini » (20 febr. 1933) 72
23. Declaratio decreti circa indulgentias « Stationibus » annexas (20 febr. 1933) . . 73
29. Decretum de expresso mandato SS. D. de facultatibus indulg. piis operibus aut devotionis obiectis annectendi deque analogis quibusdam indultis, tantum directe a S. Paenitentiaria in posterum concedendis (20 mart. 1933) 105
Annotationes 106
30. I. Decretum quocum pium exercitium, quod « Horam Sanctam » vocant, indulgentiis ditatur (21 mart. 1933). 111
II. Decretum quocum indulgentia ditatur invocatio quaedam ad SS. Redemptorem (23 mart. 1933) 112
31. Responsa de dubiis circa facultates confessariis peregrinis concessas anno vertente generalis maximique iubilaei (30 mart. 1933) 113
Annotationes 114
32. Decretum de quibusdam indulgentiis annexis recitationi « Pater, Ave, Gloria » sexies repetitae (22 apr. 1933) 114
Annotationes 116
51. I. Decretum de Indulgentiis per re itationem Divini Officii coram SS. Sacramento lucrandis (18 maii 1933) 163
II. Decretum quocum invocatio in conficiendis vel reficiendis sacrarum aedium suppellectilibus ac liturgicis vestibus recitata Indulgentiis ditatur (2 iun. 1933). . 164
55. Decretum de non permiscendis operibus pro multiplici iubilaei acquisitione (1 aug. 1933) 168
Annotationes 168
58. Declaratio de clausolis « Visitandi Ecclesiam vel Oratorium » et « Precandi ad mentem S. Pontificis » (20 sept. 1933) 196
Annotationes (**A. Vermeersch** S. I.) 197
Variae indulgentiarum largitiones (24 iul. et 25 sept. 1933) 199
59. I. Novis indulgentiis ditantur pium XL Horarum exercitium frequentantes . . 199
Annotatio (**A. Vermeersch** S. I.) 200
60. II. Indulgentia plenaria iis conceditur qui processionibus eucharisticis intersunt . 201
Annotatio (**A. Vermeersch** S. I.) 202
61. III. Invocatio B. M. Virginis indulgentiis ditatur 202

S. R. Rota.

Acta summatim relata

39. Tabulae Synopticae causarum S. R. Rotae anno 1932 124

P. Com. de Re Biblica.

62. De falsa duorum textuum biblicorum interpretatione (1 iul. 1933) 203

P. Com. de Cod. Interpretando.

63. Responsa ad proposita dubia (17 iul. 1933) 204
I. De sacrarum reliquiarum authenticitate. 204

Pag.

II. De Matrimonii accusatione 204
Annotationes 205

P. Com. pro Russia.

Acta summatim relata.

11. Decretum Const. Congr. byzantino-slavicam Sor. Missionariarum S. Cordis Iesu approbans (5 iun. 1931) 39

Nuntius Hispaniae

64. Litterae ad Ordinarios Hispaniae (1 aug. 1933) 207
Annotationes 207

Provisio Ecclesiarum

14. Decretis S. C. Consistorialis 40
40. A. In Consistorio 125
B. Decretis S. C. Consistorialis 126
69. A. Decretis S. C. Consistorialis 214
B. Decretis S. C. Orientalis 215

Nominationes

15. A. Brevibus Apostolicis 41
B. Decretis S. C. de Prop. Fide 42
41. A. Brevibus Apostolicis 126
B. Decretis S. C. de Prop. Fide 127
70. A. Brevibus Apostolicis 215
B. Decretis de Prop. Fide 216

Necrologium

16. 42
42. 128
71. 216

Bibliographia 43. 76. 130. 217

MONUMENTORUM

INDEX CHRONOLOGICUS

N. B. *Loci in quibus monumenta* plene *exscripta reperiuntur, numeris* crassioribus *designantur: numeris* italicis *indicantur loci ubi quaedam ad verba allegantur.*

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1300	22 febr.	Bulla	Bonifatius VIII	7	
1343	27 ian.	»	Clemens VI	8	
1389	11 apr.	Constitutio	Urbanus VI	8	
1423	23 mai.	Bulla	Martinus V	156	49
1473		»	Sixtus IV	9. 15	2
1585	25 mai.	»	Sixtus V	10	
1678	7 mart.	Decretum	S. C. Indul. et SS. Rel.	116	
1690	12 febr.	»	S. C. Rituum	151*	
1706	20 mart.	»	»	151*	
1724	14 sept.	Breve	Benedictus XIII	72	22
1729	19 nov.	Resolutio	S. C. Concilii	139	
1740	13 dec.	Breve	Benedictus XIV	71	21
1747	14 ian.	Epistola	»	103*-104*	
1749	26 iun.	Litt. Enc.	»	65	18
1773	10 dec.	Decretum	S. C. Rituum	151*	
1786	9 sept.	Resolutio	S. C. Concilii	142	46
»	11 oct.	Decretum	»	141	46
1821	31 mart.	»	S. C. Rituum	138*	
1830	30 »	Responsum	S. C. Concilii	*140*	
1845	12 iul.	Decretum	S. C. Indulg.	116	
1856	14 apr.	»	S. C. Indul. et SS. Rel.	116	
1868	26 sept.	»	S. C. Rituum	150*	
»	5 dec.	»	»	*150**	
1875	24 apr.	Decisio	S. C. Concilii	*151**	
1876	15 sept.	Decretum	Pius IX	30	
1879	18 aug.	Rescriptum	S. C. Rituum	*150**	
1882	26 aug.	Decretum	S. C. Indulg.	116	
1886	15 mai.	Concessio	Leo XIII	72	21
»	13 iul.	Litt. Apost.	»	99	
1888	24 »	Breve	»	210	65E
1899	11 mai.	Bulla	»	13	
»	15 dec.	Decretum	S. C. Rituum	134*	
1902	28 apr.	Responsum	»	137*	
1905	23-24 aug.	Decretum	S. C. S. Officii	33*	
1906	10 nov.	»	S. C. Rituum	*145**	

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1907	23 febr.	Resolutio	S. C. Concilii	*157*	49
1909	6 sept.	Decretum	S. C. S. Officii	88*	
1910	22 apr.	»	S. C. Rituum	134*	
1912	12 dec.	»	»	135*	
1913	8 mart.	Breve	Pius X	10	
»	28 oct.	Decretum	S. C. Rituum	31*. 133*. 134*	
»	12 dec.	Responsum	»	*152**	
1914	22 ian.	Decretum	S. C. S. Officii	199. 200	59
»	28 febr.	»	S. C. Rituum	135*	
»	26 apr.	»	S. C. Consist.	142	
»	3 mai.	»	S. C. de Relig.	35*	
»	29 »	Sententia	S. R. Rota	152	
1917	10 aug.	»	»	*158*	49
1919	21 iul.	Responsum	S. Paen. Apost.	197	
»	30 nov.	Litt. Enc.	Benedictus XV	*194*	57
1924	29 mart.	Concordatum	Pius XI	180	53
»	29 mai.	Bulla	»	6. 10. 12 13	
»	15 iul.	Const. Apost.	»	109*	
»	» »	Instructio	S. Paen. Apost.	97*	
1925	31 iul.	Monita	»	108*	
»	13 nov.	Decretum	S. C. Rituum	136*	
»	11 dec.	Litt. Enc.	Pius XI	172	
»	25 »	Bulla	»	10. 164*	
1926	28 febr.	Litt. Enc.	»	*194*	57
1927	17 ian.	Decretum	Episc. Alexandr.	*136*. 138	45
»	1 mai.	Bulla	Pius XI	*32*	7B
1928	16 nov.	Decretum	S. Paen. Apost.	19. 66. 70. 75	3. 19. 20. 24
1929	6 ian.	Bulla	Pius XI	164*	
»	25 »	»	»	*32*	7C
»	4 febr.	Decretum	Episc. Aversanus	*155*. 159	49
»	12 mart.	Responsum	P. Com. de Re Bibl.	205	
»	23 »	Resolutio	S. C. Rituum	30*.133*.134*.193	
»	23 mai.	Responsum	»	133*	
»	14 iun.	Concordatum	Pius XI	180	53
»	8 dec.	Instructio	S. C. de Prop. Fide	162	
1930	13 ian.	Responsum	S. Paen. Apost.	198	
»	17 febr.	»	P. Com. de Re Bibl.	205. 206	
»	17 »	»	P. Com. de Cod. I.	206	
»	13 mart.	Decretum	S. C. Rituum	136*	
»	15 »	Resolutio	S. C. Concilii	**135.** 141	45
»	24 mai. et 15 nov.	»	»	**146.** 152	47
»	21 iun.	»	»	**141.** 144	46
»	30 »	Consistorium	Pius XI	46	17
»	15 nov.	Breve	»	200	59
»	15 »	Resolutio	S. C. Concilii	**153**	48
»	24 dec.	Sermo	Pius XI	*54*	17
1931	24 mai.	Constitutio	»	189. 191	53. 55
»	5 iun.	Decretum	P. Com. pro Russia	*39*	11
»	13 »	Resolutio	S. C. Concilii	**155**	49
»	8 iul.	Decretum	S. C. Rituum	136*	
»	7 aug.	»	S. C. Consist.	*39*	10
»	21 dec.	Breve	Pius XI	*33*	7H
»	22 »	Brevia	»	*33*	7H

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1932	11 ian.	Breve	Pius XI	*33*	7H
»	18 »	»	»	*33*	7H
»	21 »	»	»	*34*	7H
»	2 febr.	Brevia	»	*34*	7H
»	3 »	»	»	*34*	7H
»	4 »	»	»	*34. 38*	7H. 7I
»	5 »	Decretum	S. C. Consist.	*122*	35A
»	11 »	Breve	Pius XI	*34*	7H
»	16 »	Decretum	S. C. Rituum	136*	
»	22 »	Breve	Pius XI	*38*	7I
»	14 mart.	Decretum	S. C. de Prop. Fide	*40*	13A
»	21 »	Bulla	Pius XI	*32*	7D
»	22 »	Brevia	»	*34-35*	7H
»	23 »	Breve	»	*35*	7H
»	25 »	Bulla	»	*209*	65B
»	11 april.	Responsum	S. C. Officii	**133**	43
»	12 »	Decretum	S. Paen. Apost.	73	23
»	13 »	»	S. C. Rituum	*39*	12B
»	20 »	Breve	Pius XI	*35*	7H
»	22 »	Decretum	S. C. Consist.	*39*	10
»	25 »	Breve	Pius XI	*35*	7H
»	7 mai.	»	»	*35*	7H
»	18 »	»	»	*38*	7I
»	» »	Responsum	S. C. de Prop. Fide	30.* 133.* **192.** 193. 195	57
»	27 »	Brevia	Pius XI	*35*	7H
»	28 »	Breve	»	*36*	7H
»	1 iun.	Brevia	»	*36*	7H
»	6 »	Epistola	Deleg. Apost.	**193**	57
»	11 »	Decretum	S. C. pro Eccl. Orient.	*38*	9
»	17 »	Brevia	Pius XI	*36*	7H
»	21 »	Bulla	»	*32*	7E
»	21 »	Breve	»	*33*	7F
»	» »	»	»	*38*	7I
»	4 iul.	»	»	*37*	7H
»	7 »	»	»	*37*	7H
»	7 »	Instructio	»	189	53
»	10 »	Decretum	S. C. Rituum	*39*	12B
»	12 »	»	»	*39*	12B
»	13 »	»	»	*40*	12B
»	15 »	»	S. C. Consist.	*122*	35A
»	» »	»	S. C. S. Officii	*38*	8
»	18 »	Brevia	Pius XI	*37. 119*	7H. 33G
»	27 »	Decretum	S. C. pro Eccl. Orient.	*38*	9
»	28 »	Responsum	S. C. de Prop. Fide	162. 192	50. 56
»	4 aug.	Breve	Pius XI	*121*	33H
»	21 »	»	»	*119*	33G
»	25 »	Brevia	»	*119. 120*	33G
»	26 »	Breve	»	*120*	33G
»	31 »	»	»	*120*	33G
»	18 oct.	Epistola	»	**28**	5
»	7 nov.	Responsum	S. C. de Prop. Fide	**194**	57

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1932	27 oct.	Sermo	Pius XI	31	7A
»	28 »	Motu proprio	»	*33*	7G
»	29 »	Decretum	S. C. S. Officii	*38*	8
»	7 nov.	Concordatum	Pius XI	117. 180	33A. 53
»	» »	Decretum	S. Paen. Apost.	**29**	6
»	8 »	Bulla	Pius XI	*119*	33F
»	11 »	Decretum	S. C. Consist.	*39*	10
»	20 »	»	S. C. Rituum	*40*	12B
»	29 »	Breve	Pius XI	*120*	33G
1933	3 ian.	Rescriptum	S. C. Consist.	*122*	35B
»	6 »	Bulla	Pius XI	**1.** 10	1
»	8 »	Decreta	S. C. Rituum	122	36
»	9 »	Breve	Pius XI	*120*	33G
»	10 »	Brevia	»	*120. 121*	33G
»	11 »	Breve	»	*75*	24
»	12 »	»	»	**101**	28
»	» »	Decretum	S. Paen. Apost.	**70**	20
»	14 »	Breve	Pius XI	*118*	33B
»	15 »	Decretum	S. C. de Sem. et Un.	*118*	33C
»	20 »	Bulla	Pius XI	*211*	65G
»	» »	Decretum	S. C. Consist.	*122*	35A
»	22 »	»	S. C. Rituum	*123*	36
»	27 »	Breve	Pius XI	*121*	33H
»	» »	Decretum	S. C. S. Officii	*121*	34
»	30 »	Bullae	Pius XI	**14. 18. 24**	2. 3. 4
»	» »	Decretum	S. Paen. Apost.	**71**	21
»	5 febr.	Decreta	S. C. Rituum	122. 123	36
»	8 »	Epistola	Pius XI	*119*	33E
»	10 »	Bulla	»	*211*	65H
»	13 »	Decreta	S. C. Rituum	123	36
»	19 »	Decretum	»	*123*	36
»	20 »	Brevia	Pius XI	*121*	33H
»	» »	Decretum	S. Paen. Apost.	**72**	22
»	25 »	Declaratio	»	**73**	23
»	28 »	Facultates	»	**66**	19I. II
»	» »	Monita	»	68.* 72.* 109.* 110.* 111* **60. 68.**	18. 19
»	7 mart.	Breve	Pius XI	*119*	33D
»	11 »	Ratihab. conv.	»	*118*	33A
»	12 »	Breve	»	**98**	27
»	» »	Decreta	S. C. Rituum	123	36
»	13 »	Consistorium	Pius XI	**45**	17
»	» »	Allocut. Cons.	»	**46**	17
»	17 »	Decretum	S. C. Consistorialis	*212*	66I
»	18 »	Rescriptum	»	*122*	35B
»	20 »	Decretum	S. Paen. Apost.	**105**	29
»	21 »	»	»	**111**	30I
»	23 »	»	»	**112**	30II
»	24 »	»	S. C. Consist.	*122*	35A
»	30 »	Responsa	S. Paen. Apost.	**113**	31
»	6 april.	Bulla	Pius XI	*211*	65G
»	22 »	Decretum	S. Paen. Apost.	**114**	32

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1933	30 april.	Bulla	Pius XI	*210*	65F
»	1 mai.	»	»	*211*	65H
»	3 »	Bulla	»	**93**	26
»	7 »	Breve	»	210	65F
»	14 »	»	»	*210*	65F
»	17 »	Decretum	S. C. de Sem. et Un.	**191**	55
»	18 »	»	S. Paen. Apost.	**163**	51I
»	21 »	Breve	Pius XI	*211*	65F
»	25 »	Epistola	»	*210*	65G
»	28 »	Breve	»	*211*	65F
»	31 »	Decretum	S. C. Rituum	*213*	68
»	2 iun.	»	S. Paen. Apost.	**164**	51II
»	3 »	Litt. Enc.	Pius XI	**81. 169**	25. 52
»	4 »	Bulla	»	*211*	65F
»	13 »	»	»	*210*	65D
»	17 »	Decretum	S. C. Officii	**134**	44
»	24 »	»	S. C. Caerem	**167**	54
»	26 »	»	S. C. Rituum	*213*	67
»	1 iul.	Responsa	P. Com. de Re Bibl.	**203**	62
»	2 »	Decretum	S. C. Rituum	*213*	68
»	9 »	»	»	*213*	68
»	14 »	Decreta	S. C. Officii	**165**	52
»	15 »	Bulla	Pius XI	*211*	65G
»	17 »	Responsa	P. Com. de Cod. In.	**204**	63
»	20 »	Concordatum	Pius XI	**180**	53
»	24 »	Decretum	S. C. de Indulg.	**199**	59
»	26 »	»	S. C. Rituum	*213*	68
»	29 »	»	S. C. S. Officii	**166**	53
»	31 »	Breve	Pius XI	*210*	65E
»	1 aug.	Litterae	Nuntius Hispan.	**207**	64
»	1 »	Decretum	S. Paen. Apost.	**168**	55
»	6 »	»	S. C. Rituum	*214*	68
»	15 »	»	»	*214*	68
»	31 »	Brevia	Pius XI	*121*	33H
»	1 sept.	Decretum	S. C. de Sem. et Un.	**190**	54
»	20 »	Declaratio	S. Paen. Apost.	**196**	58
»	25 »	Decreta	S. C. de Indulg.	**201. 202**	60. 61
»	29 »	Decretum	S. C. Consist.	*212*	66I
»	16 oct.	Consistorium	Pius XI	*212*	65K
»	18 »	»	»	*212*	65K
»	20 »	Decretum	S. C. Consist.	*212*	66II
»	» »	Monitum	Praef. Ap. Caerem.	*212*	66III

INDEX ONOMASTICUS

Numeri seriem paginarum indicant; Asteriscus paginas prioris Partis significat De SS. Congregationibus; de S. Paenitentiaria, de Pontificia Commissione interpretando Codici non repetuntur acta quae iam in indice analytico Monumentorum legi possunt.

Libelli periodici eo ordine quem primum tituli substantivum nomen postulat ponuntur, Paucis exceptis, nomina quae inter Acta summatim relata continentur hoc indice non recitantur.

Alessandro Adami, R. D. Opus, 224.

Aertnijs-Damen, C. SS. R. De contumacia, 40*. — De coniuge separatim imperfecte carnaliter fruente, 47* — De cenula et frustulo, 62*. — De viatico non praecepto, 214*.

Alberti Jos., R. D. De coniuge separatim carni indulgente imperfecte, 48* — Errans in castitate, 122*. 123*. 125*. 126*.

S. Albertus M. O. P. Tactus instrumentorum non necessarius, 176*.

Alexander VI. Portam sanctam aperit, 9.

Alexander VII. De modica luxuria, 124*.

N. Alonso, S. I. Dubium de calendario in Missionibus, 193. 194.

S. Alphonsus, C. R. De separato imperfecto coniugii usu, 47*. — De cenula et frustulo, 60*. — Quo potestate parochus assistat matrimonio, 117*. — Tutiorismus in sacramentis, 175*. — De indulg. scapul. B. M. V. Imm., 116 nota Opus, ibidem.

Edward F. Anglum, O. S. B. Opus, 221.

Antonelli, R. D. errans circa VI Praec., 122*. 123*. 125*. 126*.

Antoniutti, R. D. De calendario in Missionibus, 193.

Paul Archambault. Opus, 223.

J. Arendt, S. I. Opus, 78.

Antonius Arida, archiep. Tripolitanus Maronitarum, eligitur et confirmatur Patriarca Antiochenae Ecclesiae Maronitarum, 45. 58. 59.

Avedis Arpiarian, arch. titulo Anarzabensis Armenorum. Eligitur Patriarcha Ciliciae Armenorum, 45. 57. Confirmatur, 58.

Arregui, S. I. De cenula et frustulo, 64*.

Athenagoras. Materia gravis in osculis, 123*.

M. Baers. Opus, 78.

Ballerini-Palmieri, S. I. De contumacia, 40*. — De Coniuge separatim carni indulgente imperfecte, 48*. — De malitia actus impudici, 53*. — De cenula et frustulo, 61*. — Qua potestate parochus interest matrimonio, 120*.

Ballerini Petrus, R. D. De malitia osculi, 124*.

Barbosa, R. D. Ubi missa audienda sit, 143*.

Gustave Bardy, R. D. Opus, 222.

C. Barthas, R. D. Opus, 43.

A. Basile, S. I. Opus, 217.

Pierre Bastien, O. S. B. Opus, 219.

Ianuar. di Belmonte, Card. Decanus. Portae S. Basil. S. Pauli aperiendae designatus, 57.

Bender, O. P. De signis negativis vocationis superioris, 188* nota.

Benedictus XIV. De beneficiorum vacatione, 103*. 104*. Qua potestate parochus matrimonio interest, 117*. — De

loco ubi praecepto Missae satisfit, 142*. 143*. 146*. — De signis vocationis superioris, 187*. — Ordinator iubilaei, 9. — largiens indulg. commemorantibus passionem D.ni, Feria VI, 71. — Indulg. « Angelus D.ni », 72.

Benedictus XV. Indulgentia pro agonizantibus, 77*. — De collegio Angelico, 119.

Berardi, R. D. De coniuge separatim carni indulgente imperfecte, 48*. 59*. — De cenula et frustulo, 62*.

Beringer-Steinen, S. I. Opus, 30. — De indulg. scapularis B. M. Virg. Immac. 116.

Bertagnolli, R. D. De die qua cessant vota, 36*.

Biat, O. P. De die qua cessant vota 37*. — Usus in proprium commodum facultatis tollendi poenas, 110*. — Qua potestate parochus interest matrimonio, 120*. — Nemo se a censura absolvit 110*. — De can. 1111 et voto castitatis, 161*.

Blaton, R. D. De cenula et frustulo, 64*.

Boggiani, Card. Cancellarius S. R. E., 45.

E. Bonaiuti, R. D. Opus damnatum, 121.

Bonifatius VIII, auctor iubilaei, 7. 9. Sine paenitentia in sacramento, 10. — Quid debeatur supplenti beneficiarium, 106*.

Léon Boucher. Opus, 132.

Bouix, R. D. Portio debita supplenti beneficiarium, 106*.

Brandys, O. F. M. De postulatus diuturnitate, 217*.

A. Brucculeri, S. I. Opus, 43.

Bucceroni, S. I. De coniuge separatim carni indulgente imperfecte, 47*. — De cenula et frustulo, 62*. 67*. — Qua potestate parochus interest matrimonio, 120*.

Busembaum, S. I. De cenula et frustulo, 61*.

Caietanus, O. P. De malitia osculi, 124*; luxuriae imperfectae, 128*.

Al. Capotosti, Card. honoratur litteris Pontificiis, 210.

Cappello, S. I. De die qua cessant vota, 36*. — De contumacia, 40*. — De vicario substituto, 44*. — Intentio lucrandi iubilaeum in confessione vel communione non requisita, 111*. — Qua potestate parochus interest matrimonio, 110*. — Missa pro populo in festo Annuntiationis, 141*. — De can. 1111 et voto castitatis, 160*. 161*.

Caprara, Card. Decretum de Festis in Gallia, 149*.

Steph. Carton de Wiart (Dr.). Opus, 218.

Cerretti, Card. S. R. E. Camerarius, 45. — Episcopus Veliternus, 101*. — Aperiendae Portae S. Basilicae Liberianae designatus, 57. — Obiit, 129.

Chelodi, R. D. De die qua cessant vota, 36*. — Missa pro populo in festo Annuntiationis, 147*. — De can. 1111 et voto castitatis, 161*.

Cicognani, R. D. De die qua cessant vota, 36*.

Claeys-Simenon, R. D. De die qua cessant vota, 37*. — De can. 1111 et voto castitatis, 161*.

Clemens VI, Iubilaeum in 50 annum indicens, 8.

Clemens XIV, Ordinatio de Rota Hispana, 207.

Clergy Review, De can. 1111 et voto castitatis, 158*.

Cocchi, Missa pro populo in festo Annuntiationis, 147*. 156*.

Collomb, R. D. Opus, 44.

Commissio Pont. inter. Cod. De iure accusandi matrimonium, 205.

SS. Congregationes Romanae

S. Congr. Concilii. Competentia in renuntiatione beneficii, 209*.

S. Congr. Indulg. et SS. Reliquiarum. De scapulari B. M. Virginis Imm. 116.

S. C. S. Officii. Indulgentiae pro precibus ante expositum SS. Euch. Sacramentum. 199. 200.

S. C. de Propaganda Fide. De calendario in Missionibus, 31*. 133*. 193. 195.

S. C. de Religiosis. De computando tempore pro professione, 35*. 36*. — Competentia in renuntiatione beneficii, 209*.

S. Rituum Congr. De calendario in Missionibus, 30*. 31*. 133* 135* 136* et nota. — De Missa pro defunctis, 137*. — De statuis non imponendis tabernaculo, 138*.

L. Cornaggia Medici, R. D. Opus, 223.

Pierre Cotel, S. I. Opus, 220.

Creusen, S. I. De contumacia, 41*. — Missa pro populo in festo Annuntiationis, 147*.

Benedetto Croce. Opus damnatum, 38.

Paul Dabin, S. I. Opus, 221.

Antonio D'Alia, Opus, 222.

Elias Dalla Costa, arch. Florent. Cardinalis, 46. 59. 60.

D'Annibale, Card. De Contumacia, 40*. — De coniuge separatim carni indulgente imperfecte, 48*. — Censura nequit a reo absolvi, 110*. — Qua potestate parochus interest matrimonio, 120.

Dante, R. D. Bullam iubilaei promulgans, 6.

J. Dargaud, R. D. Opus, 79.

Jean D'Avignon. Opus, 79.

Davis, S. I. De can. 1111 et voto castitatis, 158*.

Maurice De Backer, R. D. Opus, 218.

A. M. de Carpo, O. F. M. Opus, 78.

C. M. De Heredia, S. I. Opus, 221.

Yves De La Brière, S. I. Opus, 221.

De Meester, R. D. De die qua cessant vota 37*. — Irregularis nequit se ab irregularitate dispensare, 110*. — Missa pro populo in festo Annuntiationis 147*.

A. C. De Schrevel R. D. Opus, 224.

De Smet, R. D. D. De can. 1111 et voto castitatis, 161*.

Angelus Maria Dolci. Cardinalis, 45. 59. 60.

H. Du Passage, S. I. Opus, 221.

Du Cange. De matricula, 13*.

Eugène Duthoit. Opus. 221.

Louis De Bonnières. Opus, 132.

E. Duplessy, R. D. Opus, 43.

Estius. De loco ad Philipp. 4*. 4. 18.

Fanfani, O. P. Opus, 220. De die qua cessant vota, 37*. — Qua potestate parochus interest matrimonio, 120. — Missa pro popolo in festo Annuntiationis, 147*. — De Viatico non praecepto, 214*. — De postulatus diuturnitate, 217*.

P. Feige, R. P. Opera, 224.

Ferraris, O. M. Portio debita supplenti beneficiarium, 106*.

Ferreres, S. I. De cenula et frustulo, 63*. — De can. 1111 et voto castitatis, 161*. — De surrepta scheda loteriae, 218*.

Maurilius Fossati, archiep. Taurin. Cardinalis, 45. 59. 60.

B. Andreas Fournet. Canonizatio, 40. 122. 209. 211.

Frins, S. I. De relatione operum in Deum, 52*.

Petrus Fumasoni Biondi. Cardinalis, 45. 59. 60.

Aemilius Funczik. Opus, 220.

S. Gabrielis a Virgine perdolente Festum in cal. univ. 39.

René Gaeli. Opus, 78.

Gemma Galgani. Beata renuntiatur, 123. 210. Causae canon. reassumptio, 213.

Gasparri Henr. optat Eccl. Veliternam, eaque providetur; praestat iuramentum, 212.

Gasparri Petrus Card. Qua potestate parochus interest matrimonio, 150*. — De can. 1111 et voto castitatis, 157*. 158*. — De parocho putativo celebrante matrimonium, 192*.

Patrick J. Gearon, O. C. C. Opus, 219.

Génicot-Salsmans, De Coniuge separatim carni indulgente imperfecte, 48*. 58*. — De cenula et frustulo, 63*. — Complacentia de pollutione 127*. — De vocatione sacerdotali et religiosa, 188*. 189*. — De viatico non praecepto, 214*.

J. E. Georg. Opus, 221.

Vincentia Gerosa. Beata renuntiatur, 123. 210.

Ghedini. Opus, 19*.

Charles Grimaud, R. D. Opus, 219.

Gougnard, R. D. Opus, 130. — De cenula et frustulo, 66*. 67*.

Gregorius XIII auctor rationis qua iubilaeum indicitur, 6.

L. Guarriguet, R. D. Opus, 218.

Maurice Guéchot. Opus, 78.
Guéranger, O. S. B. Opus, 223.
Gury, S. I. De coniuge separatim carni indulgente, 47*.
Haegy, C. S. Manuel de Liturgie, 140*.
Hecht, S. M. De casu liturgico, 138*.
Heymeyer, S. I. Opus, 220.
Leo Hlynk, R. D. Opus, 222.
J. G. H. Holt. Opus, 220.
Victor Hostacky, M. S. Opus, 131.
Theodorus Innitzer, arch. Vindobonensis. Cardinalis, 46*. 59. 60.
G. Joannès, R. D. Opera, 224.
Pol Joatton. Opus, 217.
Régis Jolivet. Prof. Opus, 77.
E. Jombart, S. I. Opus, 220.
Jone, O. M. C. De matrimonio coram existimato parocho, 192*.
Knecht, R. D. De can. 1111 et voto castitatis, 161*.
Koch, R. D. De coniuge separatim carni indulgente imperfecte, 48*.
Catharina Labouré, e S. Vincentii Societate. Beata renuntiatur, 123.
Pietro La Fontaine (Card.). Opus, 131.
Lahitton, R. D. Opus, 187* nota.
Laurenti, Card. Refert de canonizandis B. Soubirous et Antida Thouret, 212.
Laymann, S. I. De separato imperfecto coniugii usu, 47*. Qua potestate parochus interest matrimonio, 119*.
Jacques Leclerq, R. D. Opus, 76.
Ledochowski, S. I. confirmationem Instituti petens, 98.
A. Legrand, R. D. Opus, 224.
Georges Legrand, Prof. Opera, 44. 223.
Lehmkuhl, S. I. De coniuge imperfecte carni indulgente separatim, 47*. — De cenula et frustulo, 61*. — De substantiali ieiunii laesione, 67*. — Complacentia de pollutione, 127*.
Georges Lemaître, R. D. Opus, 131.
Leo XIII, Indulg. « Angelus D.ni » 72. — Confirmatio S. I. eiusque privilegiorum, 99. — De collegio S. Anselmi, 118.
V. Lepetit. Opus, 79.
René Le Picard, R. D. Opus, 220.
Lépicier, O. S. M. Card. deputatus ad recognoscendas reliquias SS. Fundatorum O. S., 210.
P. Lescoeur. Opus, 224.
Ks. Hermann Libinski, S. I. Opus, 131.
Linneborn, R. D. De can. 1111 et voto castitatis, 161*. — De matrimonio coram existimato parocho, 192*.
Locatelli, Card. Camerarius S. Collegii, 212.
L. Longhaye, S. I. Opus, 77.
Lugo, Card. S. I. Qua potestate parochus interest matrimonio, 119*. — De putativo magistratu, 194*.
Lusseau, R. D. Opus, 44.
E. Magnin, Prof. Opus, 222.
Charles Maignen. Opus, 132.
Marc-Gestermann, C. SS. R. De imperfecto usu carnali a coniuge separato, 47*. — De can. 1111 et voto castitatis, 161*.
Franc. Marchetti Selvaggiani, Card. Vicarius. Aperiendae Portae S. Basilic. Lateranensis designatus, 57.
Jacques Maritain. Opus, 221.
Maroto, C. M. F. De die qua cessant vota, 37*. 38*. 39*.
Marrani, O. F. M. Erectio athenaei Antoniani, 191.
Martene, O. S. B. De traditione facienda subdiacono 179*; sacerdoti, 184*.
Martinucci, R. D. opus, 175* nota.
Martinus V. Iubilaeum anno 1423 indicens, 8.
Matthaeus a Coronata, O. M. C. Opus, 43. 130. De die qua cessant vota, 36*. — Absolutio acensuris nequit a reo sibi dari, 110*; nec dispensatio a poenis vindicativis, 110*. — Missa pro populo in festo Annuntiationis 147*.
Orazio Mazzella. Opera, 217.
H. Ménard. R. D. De lectione dubia Pontificalis, 182*.
Menghini, R. D. Opus, 175*, nota.
Mercier, Card. De mortificatione, 68* nota.
Merkelbach, O. P. Opus, 218. — De separato coniugis usu carnali imperfecto, 47*. — De cenula et frustulo, 63*.
Merry del Val, Card. Epist. de opere Lahitton, 187*.

Michiels, O. M. C. De die qua cessant vota, 37*. 38*. 39*.
Minucius Felix. De castitate christianorum, 122*.
Moënner, R. D. Opus, 44.
Monitore Ecclesiastico. Missa pro populo in festo Annuntiationis, 148.
Moretti, R. D. Opus, 78.
Mori, Card. optans pro ordine presbyterali, 45.
Henri Morice, R. D. Opus, 222.
Murray, ep. SS. D. honoratur, 28. 29.
Navarrus Dr. Qua potestate parochus interest matrimonio, 118*.
Nicolaus V. Iubilaeum 50i anni restaurans, 8.
H. D. Noble, O. P. Opus, 76.
Noldin, S. I. De contumacia, 40*. — De venerea in matrimonio delectatione, 53*. 58*. — De cenula et frustulo, 65*. — Qua potestate parochus assistit matrimonio, 120*. — De can. 1111 et voto castitatis, 161*.
Noldin-Schmitt S. I. De coniuge separatim carni indulgente imperfecte, 48*.
Oesterle, O. S. B. De die qua cessant vota, 37*.
Ojetti, S. I. Opus, 193* nota.
Pacelli, Card. Repraesentat S. Sedem in Concordato cum Reich, 20 iul. 1933, 180. 188. 190.
Paludanus. S. I. De imperfecto usu carnali a coniuge separato, 47*.
S. Paenitentiaria. De frustulo et cenula, 65*. — Monita de ieiunio, 72*. 74*. 97*; de iubilaeo, 72*. 78*. — Instructio de usu facultatum, 97*. — Facultates, 164*. — De indulg. « Angelus D.ni » 98*. 108*. 109*. 110*. 112*. 72. — De absolutione a specialissime reservatis, 66. 70. — Indulg. stationum, 73. — De Litaniis: error in recitatione, 197. — Preces pro indulg. « toties quoties » 198.
Von Papen. Repraesentat Reich in concordato 20 iul. 1933, 180. 188. 190.
Pasetto, Exc. D. Delegatus ad supprimendum Cong. B. Petri de Pisis, Ord. S. Hieronymi, 103.
Pauwels Ios. S. I. De calendario in Missionibus, 133*. Solutio casus liturgici, 138*-140*. — Annotationes in Decr. *Augetur*, 200 nota.
Paulus II. Celebrans iubilaeum 25i anni, 8.
Nicolaus Paulus. Opus, 9.
Payen, S. I. De can. 1111 et voto castitatis, 161*.
Giuseppe Piazza. Opus, 221.
Maria a S. Euphrasia Pelletier. Beata renuntiatur, 122. 210.
Iosephus M. Pignatelli, S. I. Beatus renuntiatur, 123, 211.
E. Pinard de la Boullaye, S. I. Opera, 217.
Pirhing, S. I. Portio debita supplenti beneficiarium, 106*. — De usu iuris coniugii, 159*.
Piscetta et Gennaro S. S. Opus, 218. — De cenula et frustulo, 66*.
M. Pistocchi, R. D. Opus, 44.
Pius VI. Indulg. « Angelus D.ni », 72.
Pius X. Iubilaeum extraordinarium indicens, 10, nota. — De collegio S. Anselmi, 118. — De Collegio Angelico, 119.
SS. D. N. **Pius Pp. XI.** Indulg. pro agonizantibus, 77*. — Primus redemptionem iubilaeo illustrat, 11. Acta de iubilaeo, 14-28.
Armand de Ponlevoy, S. I. Opus, 223.
Praepositus Ioann. De separato usu carnali a coniuge, 47*.
Prudentius. Versus de S. Laurentio 6*. 8*.
Prümmer, O. P. De die qua cessant vota, 37*. — De cenula et frustulo, 62*. — Usus in proprium commodum facultatis dispensandi vel absolvendi a censuris, 110*. — Delectatio de pollutione, 127*.
Linzner prakt Qtsch. Iudicium de vocatione superiori, 188* nota.
Augusto Rapanelli, R. D. Opus, 76.
Wendelin Rauch, R. D. Opus, 221.
The Irish ecclesiastical Record. Ius parochi dandi viaticum non praeceptum, 213*.
Reiffenstuel, O. M. De contumacia, 40*. 41*. — Portio debita supplenti beneficiarum, 106*. — Cuinam post profes-

sionem, cedant fructus beneficii, 107*. *Ecclesiastical Review*. De coniuge separatim carni indulgente imperfecte, 48*.

Timothée Richard, O. P. Opus, 219.

R. Riche, R. D. Opera, 78. 213.

Ruch. Excell. D. Opus, 43.

I. Rutten, C. I. C. M. De calendario in Missionibus, 30*. 31*. 193. 195.

A. Rosat. Opus, 131.

Rossi, R. D. De iubilaeo 1933-34, 71*. 109*.

A. Roul Dr., Opus, 222.

Albert Ryckmans R. D. Prof. Opus, 77.

Sabetti-Barret, S. I. De coniuge separatim carni indulgente imperfecte, 48*.

S. Fr. Salesius. Regulae de usu matrimonii, 57*.

Salmanticenses, O. Carm. De separato coniugis imperfecto usu carnali, 47*. — Qua potestate parochus interest matrimonio, 118*. — Tutioristae in sacramentis, 175* nota.

Sanchez, S. I. De coniuge separatim carni indulgente imperfecte, 49*. — Portio debita supplenti beneficiarium, 106*. — Limes potestatis concessae ad tollendas poenas, 110*. — Qua potestate parochus interest matrimonio, 118*. — Nullitas actus invite facti, 121*. — De putativo parocho, 194*.

L. Scalabrini. Opus, 76.

Schmalzgrueber, S. I., 103*.

B. Schmittmann Dr., Opus, 131.

Luigi Seremisi Dr., Opus, 221.

Giovanni Semeria, Barn. Opus, 222.

Sincero, Card. Ep. Praenestrinus, 45.

Steph. Sipos Dr., Opus, 220.

Sixtus IV. Suspendit indulgentias et facultates in iubilaeo, 8.

Sixtus V. Iubilaeum extraordinarium indicens, 10.

J. Smulders, R. D. Opus, 220.

Agapitus M. de Sobradillo, O. M. C. Opus, 130.

B. Mar. Bern. Soubirous. Canonizatio, 212. 213.

Sporer, O. M. De separata coniugis delectatione carnali, 47*.

Steinen, S. I. Opus, 30.

Suarez, S. I., De contumacia, 41*. — De motivo iubilaei, 69* nota. — Qua potestate parochus interest matrimonio, 118*. — Iurisdictionis divisio ex foro, 120*. — De putativo magistratu, 193*. 194*.

Tanquerey, R. D. De can. 1111 et voto castitatis, 161*.

Giovanni Tamburelli, R. D. Opus, 223.

Tertullianus, De castitate christianorum, 122*.

Petrus Terzian, Patriarcha Armenorum. Munus resignat, 57.

S. Thomae, O. P. Moralitas delectationis, 127*. 128*. 166*. Principium de delectatione, 122* ss. Pulchritudo castitatis, 170*.

B. Antida Thouret. Canonizatio, 212. 213.

A. Toso, R. D. De die qua cessant vota, 37*.

Triebs, R. D. Opus, 76. — De voto castitatis et can. 1111, 161*.

Ubach, S. I. De coniuge separatim carni indulgente imperfecte, 48*. — De cenula et frustulo, 63*. 65*.

Urbanus VI. Iubilaeum 33i anni indicens, 8.

R. Valuy, S. I. Signa negativa vocat. religiosae, 189*.

F. van Goethem. Opus, 78.

Primus Vannutelli. Opus, 131.

van Rossum, Card. De essentia disputata sacramenti ordinis, 173*.

Vazquez, S. I. De imperfecto matrimonii usu, 46*. 4*. — Qua potestate parochus interest matrimonio, 118*.

Vermeersch, S. I. Opera, 131. 220. — De moralitate imperfectae luxuriae, 53*. — De visitatione ecclesiae, 74* nota. — Qua potestate parochus interest matrimonio, 120*. — De malitia luxuriae imperfectae, 126*. — Missa pro populo in festo Annuntiationis, 147*. 156*. — Responsiones de materia vel forma necessaria ordinationis, 175* nota. — Opus, 187* nota. — Usus negotiationis de rebus piis, 210*.

— **Creusen**, S. I. De can. 1111 et voto castitatis, 161*.

Rodriguus Villeneuve, archiep. Quebec. Cardinalis, 45. 59. 60.
Emmanuel Viau R. D., Opus, 219.
A. Villien. Ante saec. X una erat impositio manus in ordinatione, 173*.
Vlaming, R. D. De can. 1111 et voto castitatis, 161*.
Wehr, R. D. Intentio iubilaei lucrandi non requisita in confessione vel communione, 111*. — De necessaria precum repetitione pro iubilaeo, 113*.
Wernz, S. I. Opus, 130. — De contumacia, 40*. — Quid iurisdictio, 120*. — De temporibus ordinationis, 137*. — De negotiatione politica clericorum, 211*. De mandato Vicarii generalis, 212*.
Wernz-Vidal, S. I. Qua potestate parochus interest matrimonio, 119*. — De can. 111 et voto castitatis, 161*.
Wiestner, R. D. Opus, 195* nota.
H. Willette. Opus, 132.
Wilned. Opus, 78.
Wilpert, R. D. Bullam iubilaei legens, 6.
Wouters, C. SS. R. Opus, 218. — De separato usu carnali imperfecto, a coniuge, 47*. — Definitio delectationis venereae, 127* nota.
Fr. Juan Ylla, O. P. Opera, 44.
Zerola. Ubi missa audienda sit, 143*.

MONUMENTORUM ET RERUM

INDEX ALPHABETICUS

Numeri = numeri paginarum

Asteriscus paginas prioris Partis designat

Linea (—) = vocabulum in principio positum.

Abbatiae, 119.

Abbatiae " nullius „. Acta de iis, 33.

Abiuratio *condicionata* acatholici dubie baptizati eiusque cooptatio in Ecclesiam, 129*-132*.

Abortus. Censura, 140*. 171*.

Acatholici mere civiliter coniuncti post divortium, an cooptandi in Ecclesiam, 129*-132*.

Actio catholica commendatur, 47. 48. 49. Seminat vocationes ecclesiasticas, 49.

" A cunctis „. Oratio. Sanctus in ea nominandus, 216*.

" Angelus Domini „. Indulgentiae et modus recitandi, 98*.

Annuntiatio B. M. V. incidens in Feria VI, Parasceve Missa pro populo, 146*-156*.

Antoniani Athenaei O. F. M. canonica erectio, 191.

Apostasiae ab instituto religioso absolutio, 140*.

Appellatio. Ordinarii pro appellatione, 122. 123.

Aquae copia in calice ordinationis, 133.

Ars sacra. Sermo SS. D. quo quaedam nova ars magna vi carpitur, dum verae artis progressui favetur, 31.

Basilicae visitandae in iubilaeo, 73*-75*. — Aperiendis portis Legati designati, 57.

— Minores, 38. 121. — Basilica *Ostiensis* acquirit Paenitentiarios, 93. 97. Basilica Patavensis regimen in spiritualibus et temporalibus, 210.

Beatificationis causae, 39. 40. 122. 123. 210. 211. 213.

Beneficii vacatio et professio religiosa, 101*-108*, possessio a candidato religionis. Variae quaestiones, 202*-209*.

Biblici textus male intellecti, 203. 204.

Bibliographia, 43. 44. 76-80. 130-132.

Bulgaria. Vehementer SS. D. reclamat baptismo ab acatholico ministro infantulae regiae collato, 55.

Calamitas praesens descripta a SS. D.o 53; remedia indicata, 51-54.

Calendarium in Missionibus, 30*-32*. 133*-136*.

Cancellarius M. Pont. Univers. Gregorianae, Instituti Biblici et Orientalis, 33. — *Pontificii Collegii S. Anselmi*, 118. — *Pontificii Collegii Angelici*, 119.

Canones. Vide pag. 252.

Canonici inservientes Episcopo solos praebendae fructus percipiunt. In causa Malacitana, 15 nov. 1930.

Canonizationis causae, 40. 122. 211. 213. — ritus, 209. 213. 214.

Capitulum, parochus habitualis, ius praesentandi amisit propter unitam vicariam cum dignitate reservata S. Sedi. In causa Fesulana, 21 iun. 1930, 141-145.

Cardinales creati 45. 59. 60.

Carnales actus imperf. coniugum, 45*-59*. — motus. Moralitas, 122*-129*.

« Casti conubii » Encyclica confirmatur, 46.

Castitatis virtutis duo singularia, 168*. 169*. — pulchritudo, 170*.

Censura. Contumaciae condicio, 39*-42*. 44*. 99*. Censurarum absolutio in iubilaeo, 79*. 82*-85*. 91*. 92*. 93*. 94*. 95*. 108* (correctio), 62. 63.
— absolutio omni tempore, 99*. 100*.
Cenula in Quadragesima, 60*-68*.
Clericorum negotiatio ex rebus devotionalibus, 210*. 211*.
Pontificium Collegium Angelicum, 119.
Pontificium Collegium S. Anselmi, 119. 123.
Communio in iubilaeo, 70*. 71*. 73*. 74*. 112*. 113*. 64.
Concordatum S. Sedis cum republica Badensi, 117. 118. — cum republica Germanica, 180-190.
Confessarii electio in iubilaeo, 95*, facultates in iubilaeo, 81*-95*. — Lapurdenses. Facultates 93*. 94*. 61.
— peregrini. Facultates, 66-70. 113. 114.
— Palaestinae. Facultates 93*. 61-70.
Confessio pro iubilaeo, 70*. 71*. 72*. 73*. 76*. 112*. 113*. 64.
Confessio sacrilega iniubilaea 86*.
Congregatio. *B. Petri de Pisis Ordinis S. Hieronymi.* Historica, 104. Suppressio, 101-104.
Congregatio *SS. Redemptoris,* altero saeculo ab ea condita, laudata in epist. SS. D. 28. 29.
Congregationes religiosae. Approbationes Instituti vel Congregationis, 38.-39. 40. — Suppressio Congregationis religiosae B. Petri de Pisis, Ord. S. Hieronymi, 101-104.
Congressus eucharisticus *Dublinensis* laudatur, 46.
Coniugum actus imperfecti, 45*-59*.
Consensus in veneream delectationem. Moralitas, 122*. 129*.
Consistorialis allocutio, 46-60.
Consistorium *publicum* 13 mart. 1933, 45-60, 18 oct. 1933, 212. — *secretum* 16 oct. 1933, 212. — *semi-publicum* 10 nov. 1933, 212.
Consuetudo eximens a portione paroeciali, 151.
Contumacia requisita condicio censurae, 39*. 44*. 99* et nota.
Credo quodnam pro iubilaeo recitandum, 112* 113*.
Defuncti. Missae pro defunctis, 100*. 137*. 138*. 139*.
Delectatio. Quid, 165*-167*.
— sensibilis, 123. — Venerea, 128*. 167*. Moralitas, 122*-129*. Immutationes corporales in delectatione, 167*.
Delegatio ad matrimonium, 44*. Suppletne Ecclesia defectum delegationis, 196*-201*.
" Dichotomia " Pacto de dividendo lucro, 229*-230*.
Dies ad quem votorum temporariorum, 34*-39*.
Dioeceses. Acta de iis 32. 39. 122. 211. 212.
Dispensationis ab impedimentis *matr.* usus et abusus, 42*. 43*. *Vide Matrimonii.*
Divitiarum fames funestum exemplum, 205. Divitum officium, 220.
Ecclesiae *antiquae,* amor et cura in pauperes, 1*-30*. — ampliatione in novis circumscriptionibus laetatur Pontifex, 47.
— visitatio quid postulat, 196, 197.
Electuaria, quid, 60* nota.
Eleemosynarum regimen in missionibus, 162. 192.
Error communis in assitente matrimonio, 113*. 191*-201*.
— in materia castitatis, 122*-129*.
Eucharistiae *cultus* incrementa, 46. 48.
Facultates suspensae vel non in iubilaeo, 78*-81*. 96*. 97*.
— Paenitentiariorum, 82*-90*. 164*. 16. 17. Facultates ampliatae, 81*. 18-24 Confessariis Urbis et suburbii, 82*-90*; iis qui paenitentiariis aequiperantur. 90*; iis qui a Vicariatu approbantur, 90*; peregrinis, 91*. 92*; 66.-70; Confessariis Palaestinae, 93*. 61-70; Lapurdensibus, 93*. 94*.; 61. parochis Urbis et suburbii, 61. — Facultatum usus in proprium commodum, 109*. 110*. De usu facultatum monita S. Paenitentiariae, 60-65. 68-70 in Urbe et suburbio, 65. — Facultates Confessariorum Palaestinae, 70. 71. benedicendi materiam E. U. sacerdotibus Coptis concessae, 213.

Fidei *promotor*, accusatne matrimonia, 204-206.

Forma *sacramentalis* materiae unctionis infirmorum, 213. — Formula brevior et brevissima ministrandi unctionem infirmorum pro Patriarchatu Alexandrino Coptorum, 213.

Frustulum permissum in ieiunio, 60*-68*.

Funerandi ius ex consuetudine. In Gallipolitana, 24 maii et 15 nov. 1930. 146-149. — De isto iure, 149-152.

Haeretici concubinarii an cooptandi in Ecclesiam, 129*-132*.

Hispania. Iniusta rei catholicae condicio. Enc. *Dilectissima nobis*, 3 iun. 1933, 81-92 et 165-179. Suppressa Rota Hispaniae, 207. 208.

Indulgentia iubilaei ubi et quando lucranda prostat, 70*.

Indulgentiae in iubilaeo, 69*. 70*. 76*-78*. 97*. 14-17. 65. Indulta communicandi indulgentias reservata S. Paenitentiariae, 105-111.

— « *Angelus Domini* » 98*. 72. 73.

— *Officii divini* coram Sanctissimo Sacr. 29. 30. 163.

— *exercitii Fer. VI* in memoriam Christi morientis, 71.

— *stationum*, 73. 74.

— *Horae sanctae*, 111.

— *Invocationis SS. Redemptoris*, 112. 113.

— *Sexies repetitis Pater, Ave, Gloria*, 114-116.

— Invocationis « *Iesu, via et vita nostra*, miserere nobis » in conficiendis vel reficiendis paramentis sacris, 164.

— *Pii XL Horarum (etiam ad instar) exercitii*, 199-201.

— *Processionum eucharisticarum*, 201. 202.

— Invocationis *Maria Mater gratiae*, etc. 202. 203.

Pont. Instituti Biblici. Magnus Cancellarius, 33.

Pont. Instituti Orientalis. Magnus Cancellarius, 33.

Lapurdenses confessarii. Facultates in iubilaeo, 78*. 93*. 94*. 61. Lapurdensi *iubilaeo* laetatur Pontifex, 46. Gratiae concessae, 75.

Loteriae scheda furto surrepta, 172*. 218*. 219*.

Luxuriae malitia gravis, undenam, 170*.

Mandatum generale ad omnia, datum Vicario generali, 210*. 211*.

Missionarii character praevalet religioso, 195.

Missiones. Calendarium, 30*-32*. 192-196. — Usus et administratio eleemosynarum, 162. 192.

Missionale *Institutum* scientificum. Erectio canonica penes Pont. Athenaeum Urbanianum, 190.

Ordo

— *Servorum B. M. V.* sacellum novum et recognitio reliquiarum SS. Fundatorum, 210.

— *Societas Iesu.* Nova confirmatio, 98-101.

Iubilaeum, ordinarium, extraordinarium, 69*. 9. 10. — anni 1933-34, 78*-66*. Opera commendata, praeter praescripta, 75*. — Sperati fructus et mens Pontificis, 55. 56. — Indictio per Bullam *Quod nuper*, 6 ian. 1933, 1-5. Ritus, 6. — Historica, 6-9. De praesenti iubilaeo potissima notanda, 10-13. — Condicionum mitigatio, 76*. — Quinam sine aditu Urbis iubilaeum lucrari possunt, 94*-96*. — Ubinam opera utiliter praestari possint, 70*. 97*. — Facultates in iubilaeo. *Vide Facultates Confessarii-Paenitentiarii*,

Indulgentiae in iubilaeo. *Vide.* Indulgentia.

" **Lampadis** „ Ordo apud Coptos, 213.

Maritimum iter. Quis Ordinarius approbans pro confessionibus, 32*-34*.

Matricitas. In causa Aversana, 13 iun. 1931, 155-161. — Eius praecipua signa, 160.

Matrimonii celebrandi delegatio generalis, 44*.

— impedimenta. Dispensatio in iubilaeo, 80*. 88*.

— celebratio et error communis, 113*-122*, 191*-201*.
— accusatio quibusmam permissa, 204-206. Matrimonio mere civili post divortium unit, an cooptandi in Ecclesiam, 129*-132*.
— usus et votum castitatis, 157*-165*.
Maximum illud (Enc. litt.) citatae p. 194.
Medicus et censura abortus, 171*.
Mediolanenses ecclesiae stationales, 118. Pontificia Universitas SS. Cordis, 50.
Missa. Ministratio pelvis et manutergii, 100*. 139*.
Missae pro defunctis, 100*. 137*.
— festivae auditio iu oratorio semipublico 141*-146*.
— pro populo, cum Annuntiatio B. M. V. incidit in Fer. VI Parasceve, 147*-156.
Missiones independentes. Acta de iis, 35. 37. 121.
Monialium privilegia in iubilaeo, 94*. 95*. 24-27. — Usus extra Urbem, 65.
Necrologium, 42. 128. 129. 216.
Negotiatio clericorum ex obiectis devotionalibus, 210*-211*.
Novicius renuntians beneficio, 104*. 105*.
Nominationes, 41. 42. 126-128. 215.
Occupatio rei nuper amissae 172*. 218.
Opera praescripta pro iubilaeo, 71* ss.; commendata, 75*. Opera in quae commutatio fieri potest, 97*. Ubi fieri possunt, 70*. 97*. — Requirituine intentio, 112*. 113*. — repetita pro repetita iubilaei acquisitione, 112* sed cfr. Operum ordo, 64.
— proscripta, 38. 121. 122. 134. 135.
Orationes sub unica conclusione computantur ut una, 139*. — Oratio « a Cunctis ». Quis sanctus nominandus, 216*.
— ad mentem Pontificis, quantae requiruntur, 196. 197. — in visitanda ecclesia, quaenam requirantur, 196. 197.
Oratorium *semi-publicum* et Missa festiva, 141*-146*.
Ordinarius quisnam approbat pro confessionibus in mari, 32*-34*. Eius potestas in oratoria semi-publica, 141*-146*.
— monendus de substituto, 44*.
Ordinationis ritus planior, ex Pontificali Romano, 173*-186*.
— titulus ab Episcopo impositus, 212*. 213*.
— Aquae copia in calice ordinationis, 133.
Ordines *minores*. Dies quibus conferri possint, 136*-137*.
— conferendi ex Pontificali Romano, 173*-186*. Arcendi ab ordinationibus, 187*-191*.
Orientalium Patriarcharum confirmata electio, 57-59.
— formula ministrandi E. U., 213.
Ostiensis Basilica providetur Paenitentiariis, 93-97.
S. Paenitentiariae reservatae facultates annectendi indulgentias operibus piis, rebus devotionis, et analoga indulta, 105-111.
Paenitentiarii in iubilaeo, quinam, 82*-90*. 164*. 16. 17. Eorum facultates, 82*-90*.
— Basilicae Ostiensis, 93-97.
Palaestinae confessarii. Facultates in hoc anno sancto, 78*. 93*. 61. 70.
Parochus delegans ad matrimonia, 44*. — qua potestate assistit matrimonio, 113*-122*. - Quid in errore communi, 173*-196*.
— eligens supplentem, 43*. 44*.
— Ius parochi in Viaticum non praeceptum, 213*. 214*.
— Parochi Urbis et suburbii facultates mitigandi visitationes pro iubilaeo, 61.
Paroeciae. Acta de istis, 209. 211. 212.
Patronatus ius. Tituli; modi istud exercendi; transactionis vis. In causa Alexandrina, 135-141.
Patroni Vicariatus Ap.ci 34.; 120; Dioecesis, 119, Oppidi, 120.
Pauperes amati et curati in primis Ecclesiae saeculis, 1*-30*.
Perplexus casus, 43*. 44*.
Pontificale Romanum docens quomodo ordines conferendi sint, 173*-186*.
Portio *paroecialis,* 146-149.

Postulatus diuturnitas, 217*. Renuntiatio beneficio in postulatu, 207.
Potus rationem quaenam habent, 61*. 62*. 64*.
Praefecturae Apostolicae. Acta de iis, 32. 34. 35. 36. 37. 119. 120. 121. 122.
Provincia ecclesiastica *ritus Antiocheni*, 32. — in Brasilia, 119.
Preces ad mentem Pontificis, quot et quaenam requirantur, 196. 197. 198.
— visitantibus ecclesiam, quot et quaenam requirantur, 196.-198.
— praescriptae in iubilaeo anni 1933-34, 74*. 75*. Commutatio, 97*. — Quotiens dicendae, 112*.
Professus a votis temporariis a quonam momento discedere potest, 34*-39*. — et vacatio beneficii, 101*-108*.
Praesentandi Vicarium Capitulo adimitur ius facta perpetua unione cum Dignitate reservata S. Sedi. In Fesulana, 21 iun. 1930, 141-145.
Protestantium conatus in Italia et in Urbe, SS. D. deplorat, 54.
Provisio Ecclesiarum, 40. 41. 125. 126. 214. 215.
" Quadragesimo anno „. Encyclica confirmatur, 46.
Religiosae. Privilegia in iubilaeo, 94*. 95*. 96*. Usus extra Urbem, 65.
Religiosi suadentur in locis missionum erigere proprie dictos conventus seu domos, 195.
Religiosorum oratoria semi-publica, 144*-146*.
SS. Reliquiarum authenticitas. Potestas Vicarii generalis, 204.
Rerum Ecclesiae (Enc. litterae) citatae 194.
S. Rotae causae anno 1932. 124.-125. — S. Rota *Hispaniae*, 207. 208.
Sacram suppellectilem conficientibus vel reficientibus, indulgentia vocationis, 164.
Secretum Secretariae Status; S. Officii, 82*.
Seminarium. Non admittendi vel dimittendi alumni, 187*-191*.
Sepulturae electio, 149. 150.
Slavici ritus addicitur templum S. Antonii Eremitae in Exquiliis, 33.
Societatis Iesu nova confirmatio, 98-101.
Stationes. Indulgentiae, 73. 74. Extensae ad quasdam ecclesias Mediolanenses, 120.
Statua, ne SS. Cordis quidem, imponenda tabernaculo, 138*.
Substitutus parochi, 44*.
Supplentis parochum potestas, 43*. 44*.
Suppressio communitatis religiosae, 38. — Congregationis de Pisis Ordinis S. Hieronymi, 101-104. — religiosae mulierum consociationis, 122. — Rotae Hispaniae 207, 208.
Titulus ordinationis ab Ep.o impositus, 212*. 213*.
Unctio *infirmorum*. Formula brevior pro Patriarchatu Alexandrini Coptorum, 213. — Facultas benedicendi oleum sacerdotibus concessa, 213.
Unio Missionaria Franciscana. *Eleemosynae ab ea collectae*. Cuius usus et administratio, 162.
Pont. Universitatis Gregorianae Magnus Cancellarius, 33.
Universitati Mediolanensi SS. Cordi SS. D. gratulatur novam sedem et profectum, 50.
Vocationes et distributiones chorales. In causa Malacitana, 15 nov. 1930, 153-155.
Venerea delectatio, quid, 128*. Moralitas, 122*-129*.
Venerei actus imperfecti coniugum, 45*-59*.
Venereus motus, quid 123*. Moralitas 123*-129*.
Vexilla in funere, 146*.
Viaticum ex devotione. Ius parochi, 213*-215*.
Vicaria in perpetuum unita Dignitati reservatae S. Sedi ius praesentandi tollit Capitulo. In Fesulana 21 iun. 1930, 141-145.
Vicariatus Apostolici. Acta de iis, 33. 34. 35. 36. 37. 119. 120.

Vicariatus ecclesiae de iure non pertinent ad Institutum religiosum 195.

Vicarius Apostolicus. Ad eum spectat usum et administrationem eleemosynarum collectarum, 162.

Vicarius *oeconomus*. Eius nominatio, 144.

— perpetuus. Ius eum praesentandi, 144. 145.

— *generalis* potestne reliquias authenticare, 204. — delegatus ad omnia specialia, 211*. 212*.

Visitatio ecclesiae, quid postulat, 196. 197.

Visitationes in iubilaeo, praescriptae, 71*. 73*-75*. 64, commutandae, 89*. 61. 63.64.

Vocationis sacerdotalis et religiosae nenativa signa, 187*-191*.

— semina in actione catholica, 49.

Vota *temporaria* a quonam momento permittunt discessum Professi, 34*-39*.

Vota. Potestas in tempore iubilaei, 80*. 87*. 91*. 92*. 63. 67.

— castitatis non tollitur vi can. 1111, 157*-165*.

Canones allegati: Can. 5, de consuetudinibus 149. — Can. 6, 2°. 3° et 4°; 23. A veteri iure, in dubio, non est recedendum, 33*. 153*. 155*. 156*. 212*. — Can. 13. Impedimenta dubia dubio facti, 80*. — Can. 19, de legibus poenam statuentibus, 121*. 122*. — Can. 34 § 3, 3°, et 5°, quandonam professionis tempus elapsum sit, 34*. 35*. 36*. 37*. 38*. 39*. 102*. — Can. 60 § 2; 70. 71. Indulta perpetua de indulgentiis, 65. — Can. 63 § 1. Quomodo privilegia acquiruntur, 153. — Can. 67, de privilegio absolutionis, 109*. — Can. 91, de incolis, 141. — Can. 101 § 1, de maiori numero suffragiorum, 140. — Can. 102, de personae moralis extinctione, 104. — Can. 163, de suffragio per epistolam, 138. 141. — Can. 188. Tacita renuntiatio beneficii, 101*. 102*. 207*. — Can. 198, de nomine Ordinarii, 32*. 33*. — Can. 200, § 1, de potestate dispensationum, 42*. 43*. 93*. 114*. — Can. 201 § 2 et 3, de potestate iudiciali in proprium commodum, 109*. 110*. — Can. 209. Iurisdictionem in dubio supplet Ecclesia. 113*. 114*. 121*. 191*. ss. — Can. 239 § 1 n. 24. Privilegia Card., 78*. — Can. 250, § 2, de negotiis C. Concilii commissis, 209*. — Can. 274 2°; 349 § 2 2°. Privilegia Ep., 78*. — Can. 294 § 2. Privilegia Vicar. et Praef. Ap., 78*. — Can. 296. 533 § 1, 4°, de administratione eleemosynarum, 162. — Can. 339 § 3; 466, de missa pro populo applicanda, 149*. 153*. ss. — Can. 395, § 2 et 3. Distributiones cotidianae, 113*. 122*. 191*. 202*. 207*. 208*. 153. 154. 155. — Can. 396. Collatio dignitatum S. A. reservata, 143. 145. — Can. 406, de canonicis ad honores nominandis, 211*. — Can. 418 § 1, de canonicorum absentia, 153. — Can. 421, § 1, 4°. Canonici Episcopo inservientes, 153. ss. Can. 451 § 2. De quasi-parochis et vicariis paroecialibus, 80*. 196*. — Can. 462, 7°, de benedictione fontis bapt., 155*. — Can. 467, § 1 et 2, de ecclesia paroeciali frequentanda, 142*. ss. — Can. 468 § 2, de benedictione apostolica sacerdotum muribundis, 77*. — Can. 471, § 1 et 2; 472, 1°; 475 § 1; 476, 1°, de nominatione vicarii paroecialis, 106*. 142 ss. — Can. 473, de vicariis oeconomis, 196*. — Can. 474, de vicariis substitutis, 196*. — Can. 487. Quid status religiosus, 204*. — Can. 488, 1°. Quid societas, 204*. — Can. 492, de congregationis religiosis condendis, 211*. — Can. 493. 494, de bonis religionis extinguendis, 102. — Can. 512, § 2, 2°. Visitatio quinquennalis Ordinarii loci, 146*. — Can. 514 § 1; 518. 875. 1313. 1314, de potestate Superioris Religionis. 33*. 80*. 22. — Can. 539 § 1, de postulatu ante noviciatum, 205*. — Can. 568. In noviciatu beneficiis renuntiatio irrita, 205*. — Can. 569 § 1; 580 § 2; 581 § 1; 583, de bonis religiosi, 104*. 105*. 107*. — Can. 572 § 2, de validitate professionis, 102*. 204*. — Can. 574, de professione tem-

poranea perpetuae praemittenda, 102*. — Can. 575 § 1, 577 § 1; 637, de mora non interponenda renovationi votorum, 34*. 35*. — Can. 584, de vacatione beneficii post professionem, 101*. ss. 202*. 204*. 206*. 207*. — Can. 586, de professione religiosa irrita, 206*. — Can. 673, de societatibus, 202*. 203*. — Can. 680, de clericorum privilegiis. 203*. — Can. 693 § 3, de adscriptione defunctorum confraternitati, 150. 151. — Can. 774 § 1, de fontis baptism. erectione, 160. — Can. 852, de administratione S. Viatici, 213*. — Can. 858, de communione infirmi praesertim non ieiunii, 214*. — Can. 864, de communionis praecepto in periculo mortis, 214*. — Can. 882, 2252, de absolutione in periculo mortis, 79*. — Can. 883 § 1, de iurisdictione in mari, 32*. 33*. — Can. 884. Absolutio complicis invalida, 79*. — Can. 894, de accusatione sacerdotis innocentis, 84*. 62. — Can. 900, § 3; 2247 § 2; 2254, de censuris reservatis, 82*. 83*. 19. 66. 70. — Can. 908. 910, de loco confessionis, 91*. 22. 68. — Can. 914, de benedictione ap.ca Episc. et aliis Prael. concessa, 78* — Can. 916. Designatio alt. privil., 78*. — Can. 923, de indictione formali iubilaei, 3. — Can. 925, § 1. 2, 1°; 927. 933. ad acquirendas indulg. condiciones, 70*. 71*. 72*. 73*. 64. 69. — Can. 930, § 3, de indulgentiis sine confessione lucrandis, 70*. 73*. — Can. 931 § 1, Confessio et communio ad plures indulg. lucrandas sufficere possunt, 111* 112*. — Can. 932. Indulgentia per opus impositum non acquiritur, 111*. — Can. 934 § 1 et 3, de ordine et idiomate precum, 75*. 197. 198. — Can. 936. Muti lucrari possunt indulgentias, 64. — Can. 969 § 1, de ordinatione ex saecularibus, 213*. — Can. 979 § 1; 981, de titulo canonico pro clericis, 212*. — Can. 983. de signibus irregularitates constituentibus, 187*. — Can. 985, 4°. Ordinatio irregularis ex homicidio, 67*. 80*. 187*. — Can. 990 § 1 et 2; 991, de dispensatione ab irregularitatibus, 80*. 88*. 187*. 20. — Can. 1006, § 4, de diebus quibus conferendi ordines minores, 136*. 137*. — Can. 1043. 1045 § 2 et 3, de dispensatione ab impedimentis iuris ecclesiastici, 80*. 81*. — Can. 1044, de potestate confessarii in foro sacramentali, 81*. — Can. 1045 § 3 usus, 43*. 62. — Can. 1050. Facultas dispensandi ab uno impedimento non non sufficit ad dispensandum ab alio concurrente. 43*. — Can. 1061 § 1. 2°, de prole catholice baptizanda, 54. — Can. 1075, de coniugis homicidio, 88*.— Can. 1093, de consensu praestito, in matrimonio, 52*. — Can. 1094. de forma matrimonii, 113*. 114*. 121*. 191*. 201*. — Can. 1095 § 1, 1°. Quando parochi vel Ordin. valide matrim. assistunt, 121*. 122*. 198*. 201*. — Can. 1096, de licentia matrimonio assistendi, 201*. — Can. 1098 2°, de sacerdote qui, parocho impedito, matrimonio assistit, 81*. — Can. 1110. Effectus essentialis matrimonii, 159*. — Can. 1111, § 1. 2, de debito coniugali, 157* ss. — Can. 1135, de consensu privato, 89*. 21. 68. — Can. 1161, de missa festiva in ecclesia, 145*. — Can. 1164 § 1; 1279 § 2; 1296 § 3, de arte sacra in Ecclesiis, 31. — Can. 1166, de consecratione eccl. vel altaris, 78*. — Can. 1081 § 2, de consensu matrimoniali, 50*. — Can. 1188 § 2, 1°, de oratorio publico, 145*. — Can. 1192. 1193, de potestate Ordinarii in oratoria, 143*. 145*. — Can. 1216 § 1; 1223 § 1; 1225. 1226 § 1 et 2, de ecclesia pro funere, 146. 147. 148. 149. — Can. 1236 § 1; 1237 § 1, de portione paroeciali, 146. 151. — Can. 1247 § 1 et 2, de festo annuntiationis B. M. V., 150*. 153*. 154*. — Can. 1249, de loco Missae festivae, 141* ss. — Can. 1251 § 1, de frustulo et cenula, 64*. — Can. 1283 § 2; 1285 § 1, de authenticandis reliquiis, 204. — Can. 1309, de

privatis votis Apostolicae Sedi reservatis, 23. 66. — Can. 1427 § 3 et 4. de vicaria aut paroecia ex reditibus dotata, 158-160. — Can. 1446, de clerico beneficium possidente, 206*. — Can. 1451. 1454, de iure patronatus, 135. 136. — Can. 1460 § 1 et 2. Modus ius patron. exercendi, 137. 140. — Can. 1486, de renuntiatione sub conditione, 207*. — Can. 1508, de praescriptione acquiquirendi, 152. — Can. 1545 § 3, de dispensatione super aetatem, 43*. — Can. 1569 § 1, de appellatione ad S. Sedem, 208. — Can. 1888, § 1 et 2, de oratorio semipublico. 141*. — Can. 1971 § 1 et 2, de accusatione matrimonii, 204. 205. — Can. 2209 § 3 et 4, de censuris cooperantium, 171*. 172*. — Can. 2236 § 1, de absolutione a censuris, 79*. 110*. — Can. 2242 § 1, de delicto cum contumacia, 39*. 40*. 99*. — Can. 2254 § 1. 2. 3.; 2229 de confessarii in casibus urgentioribus ad S. Paenit. recursu, 79*. 86*. 87*. 93*. 16. 62. 66. 67. 70. — Can. 2278 § 2; 2279 § 1 et 2; 2283. De suspensione, 121*. 122*. — Can. 2297 § 3. Absolutio censurae ex ignoratione, 171*. Can. 2314, de excommunicationem incurrentibus, 166. — Can. 2318 § 1, de librorum prohibitorum vetita lectione, 63. — Can. 2320. 2338 § 1; 2343 § 1; 2369 § 1. Censurae S. A. specialissimo modo reservatae 82*. — Can. 2335, de excomunicatione sectae vetitae adscriptorum, 83*. — Can. 2336 § 2, de clericis sectae vetitae adscriptis, S. C. Off. denuntiandis, 83*. 20. 69. — Can. 2342, 2°, de clausurae violatione. 84*. 62. 69. — Can. 2345. 2349, de acquirentibus sine venia bona vel iura ecclesiastica, 83*.— Can. 2364, de delictis in administratione sacramentorum, 83*. — Can. 2385, de apostasia a religione, 84*. 140*. 171*. 63. Can. 2386. de religioso fugitivo, 85*. 63.

ERRATA

Pag. 77*, l. 9: 408 § 1, *corrige* 468 § 2.
» 79*, l. 8 ab infra: 225, *corrige* 2254.
» 81*, l. 1: 1078, *corrige* 1098.
» 88*, l. 4: 220, *corrige* 990.
» 97*, l. 10-21: *corrige*: Attento Monito XIV Const. *Indicto*. 30 ian. 1933 (hic supra, p. 18), et Monito II 28 febr. 1933 (hic supra, p. 61), strictior facultatis interpretatio in hoc iubilaeo facienda est, et negandus est etiam primus usus facultatis absolvendi a reservatis, erga eos qui veniam iubilaei iam lucrati sunt.
» 104*, l. 8: durante noviciatu, *corrige:* durante postulatu.
» 112* n. V. R.: *corrige*: Id fieri non potest ex decreto S. Paenitentiariae (hic infra, p. 168).
» 54, l. 7 ab infra: 2349 § 3, *corrige* 1061 § 1. 2.
» 165-179. Ex errore confusionis hic repetita est Enc. epistola de rebus Hispaniae.

16766
Periodica de re morali
v.22
CBPac

v.22 16766

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709